LUITPRA
CHRONIC


EX LIBRIS · HANS – UNO BENGTSSON
PANS ANSIKTE ÄR FÖRFÄRANDE
I SIN SKÖNHET; PÅ SAMMA SÄTT
KAN KUNSKAP FÖRSKRÄCKA: MEN
ÄNDÅ, VILKET UNDER, ATT HA SKÅDAT

LVITPRANDI,
SIVE
EVTRANDI

E Subdiacono Toletano, & Ticinensi Diacono
EPISCOPI CREMONENSIS,
Berengario II. Italiæ Regi à Secretis,
Pro Othone I. Germ. Imp. ad Pont. M.
& ad Imp. CP. LEGATI

CHRONICON

Ad TRACTEMVNDVM Illiberritanum
in Hispania Episcopum,
A multis hactenus desideratum,
Nunquam editum,
Ex Bibliothecâ
D. THOMÆ TAMAIO DE VARGAS
Abulæ-Carpetani, PHILIPPI IV. MAGNI Hispaniar.
Regis HISTORIOGRAPHI, Indiarum PRIMARII,
& in sanctiori Ordinum Equestrium Consilio
ADMINISTRI.

Accessêre eiusdem Historiographi Regij
NOTAE, & FRAGMENTA
Luitprando attributa.

Cum Privilegio. MANTVAE CARPETANORVM.

Ex Typographia Francisci Martinez.
ANNO cIↃ IↃC XXXV.

C. PLINIVS SECVNDVS.
Præf. ad VESPAS. Imp.

Res ardua, vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem, omnibus verò naturam, & naturæ suæ omnia.

Illuſtriſſ. Heroï

ADAMO CENTVRION ET CORDOBA

IO. BAP. F. MARCI N. ADAMI PRON. MARCHIONI *d' Eſtepa, d' Armuña, de Bula de Bivola, de Monte de Bai,* &c.

Antiquiſsimi iuxtà ac ditiſsimi de TORRALBA, BETETA, OCENTEJO, patrimonij, utpotè illuſtriſsimar. d' ALBORNOZ, & CARRILLO Familiarum, MAGNATVM Hiſpaniæ (RICOS-HOMBRES vocant) originis primævæ DOMINO.

In quo uno nobilitando ITALIA, GERMANIA, HISPANIA, decertaſſe concorditer æmulæ viſæ ſunt. Nam VRSINA GENS, immortale Rom. nominis decus, tot Imperatorum, Pontificum, Regum, Purpuratorum Patrum, & Procerum origo, illi nunquam intercisâ Virorum de Rep. ſemper benè merentium ſerie eam originem dedit, quam Genuenſis Nobilitas præſtantiſsim s affinitatibus no n auxit ſolùm, ſed pænè adoravit;

Cui

Cui adiunctus generosissimæ compellationis de VNGNAD, liberorum Imperij Rom. Baronum in SONECH, & ENSECH splendor vetustatem exæquans latiùs dilatavit.

Successit illa de CORDOBA tot stemmatibus illustris, tot triumphis clara, tot Dynastijs magna, tot bellicæ virtutis laudibus & civilis doctrinæ exemplis Nulli Secunda, Primæ Proxima, ut tanti Viri paternum, maternumque Genus adornarent: à quibus Castellæ, Aragoniæ, Lusitaniæ, Galliæ, Angliæ Reges, Germaniæ Impp. & primarij universi ferè Orbis Heroës genus verè, & laudabiliter ducerent suum.

Verùm hæc cùm sua possit iactare, vix sua reputat.

Maiora, Maiora, & cum ipsa Immortalitate certantia indefesso doctrinæ melioris adipiscendæ studio sectatus adeptus est.

Sufficeret, Prudentum consilio, Viro Principi exacta maternæ Linguæ, & Historiæ notitia; & cum laude sufficeret; sed tantis à primis annis hunc Heröa stimulis litterarum amor inci-

cita-

citavit, & ad ſeſe abripuit, ut exoticarum linguarum Sacraria multis impervia, paucisſimis recluſa penetrarit.

Latium, Græcia, Idumes arcanos ex ſe ſenſus argutè cōmentantem ſtupent; Arabia Scribentem, Docentem vix fateretur, niſi quotidiano experimento cum ſtupore comprobaret.

His ornamentis diſciplinarum omne genus ita excolit, ut in utro præſtantior, vix auſint affirmare in unoquoque præſtantiores: Quibus præſidium & ſubſidium eſt, nam illos amat, ut Litteratus; fovet, ut Princeps.

In cuius Domo cùm nihil generoſum deſit, nihil non litteratum interlucet: Hinc divitiæ, lautitiæ, arma, nobiliſsimum famulitium; illinc Libri, Plutei, Chartæ, Scriptores, Præla, Viri docti ita circunſtant, ut exemplo vix imitando Aulam cum Academia non diſpari vinculo copularit.

Adeſte PRINCIPES; Adeſte LITTERATI & in Principe Litteratiſsimo Doctrinā Principi inſolitam, principatu celſiorem, atque

Modeſtiam litteris dignam, Doctrinâ laudabiliorem admiramini, imitamini; unà & pietatem in DEVM, in DIVOS cultum, in REGEM fidem, in HOMINES, quod iam diù à Palatio exſulaverat, verum.

Cui debitum antiquũ HVNC SCRIPTOREM è tenebris à ME primùm erutum, & NOTATIONIBVS illuſtratum exiguum magnæ obſervantiæ monimentum D. THOMAS TAMAIO DE VARGAS H. R. L. M. D. D. C. Q.

PRI-

PRIVILEGIVM, PRETIVM, mendarum correctiones.

PRæmissâ de more censione, & suffragante iudicio VV. Clarissimor. D. Alphonsi Carranza I.C. scriptorum famâ satis noti, & D. Bartholomæi de Castro studiorum merito Canonici Toletani, cautum Regio Privilegio est Madridij quincto Decẽbris anni cIↃ IↃc xxx. ne quis præter Auctorem Librum hunc edere, sive divendere audeat intra decennium, assignato singulis papyri philuris sive plagulis quatuor cum semisse assium pretio, emẽdante priùs Correctore publico operarum σφάλματα in hanc modum.

IN CHRONICO.

PAG. 14. *Batestaniæ*, lege *Bastetaniæ*: 15. *Montua*, l. *Murcia*: 29. *Lerinensis*, l. *Lirinensis*: 33. *Pigmenius*, l. *Pimenius*: 34. *Vvambane*, l. *Vvambani*: 44. *morere*, l. *morerere*: 61. *Paptista*, l. *Baptista*: 76. *Gallatia*, l. *Gallæcia*: 79. *seperiùs*, *l.* *superiùs*: 81. *Illerdensis*, l. *Ilerdensis*.

IN NOTIS.

PAG. 2. emendetur numerus 2. pro 4. pag. 4. 2. pro 4: 8. *qui ipsius corpus & libros sedulò condidit*, dele *corpus*: 45. *horum*, lege *hortum*: 51. *Topag.* l. *Topog*: 58. *Sidori*. l. *Isidori*: 60. *constant*. l. *Constant*: *Coron*. l. *coronat*: 78. *Pigmenij*, l. *Pimenij*: 72. *Fodem*, l. *Eodem*: 96. *edor*, l. *odor*, 97. *tratio*, l. *natio*, *apoteo*. l. *apotheos*: 98. *Villon*, l. *Villan*: 102. *vtro*, l. *verò*: 117. *Vettoni*, l. *Vettonia*: 129. *Campanulla*, l. *campanula*: 141. *Epis.* l. *Episc*: 149. *Pallettia*, l. *Pallantia*: 150. *Alcaraensis*, l. *Alcaracensis*: 158. *Beda*, l. *Bleda*: 176. *Arnaldus*, l. *Arnoldus*: 180. *Felix*, *l. felix*: 184. *C. Vidmast*, l. *A. Vidmanstad*: 188. *Ambrozi*, l. *Ambrozij*: 197. *mirum*, l. *nimirùm*: 198. *L. 9 Iosep*, dele hanc lineæ secundæ partem: 216. *Hispani*, l. *Hispanè*: 231. emendetur numerus 233: 249. *Dortesan*, l. *Dertosan*: 250. *Columela*, l. *colu-*

lumella: 201. *Cibibus*, l. *civibus*: 223. *Tarraconensem*, l. *Dertosensem*.

IN FRAGMENTIS.

NE in his paginas quæras, sed numeros, itaque post 1. apponatur 2, qui deest: num. 8. *Acatha*, lege *Acatha*: 11. *Martyrij*, l. *Martyris*: 13. *Salanensis*, l. *Salernensis*: 19. *Ilercitanus*, l. *Illiberritanus*: 34. *pone*, l. *pæne*: *Salabaris*, l. *solaiaris*: 39. *adam*, l. *addam*. 43. *non novus*, l. *non iam novus*: 56. *Barbin.* l. *Barcinon*: 58. *Mamausens.* l. *Nemausensis*: 64. *Dertossam*, l. *Dertosana*: 78. hucusque numeri rectè signati sunt, emenda sequentes, qui non benè à 73. incipiunt, sed 172. fragmentũ numeri 98. postponendum est sequenti: 114. *Eventiam*, l. *Evantiam*: 119. *quo se recepit Iznatoraf*, l. *quò se recepit vocant Iznator*: 127. *transfertur*, l. *transfert*, & * signa, nam mutilum est: 144. *Toletanum Primatum translatum*, l. *Toletanus Primatus translatus*: 145. *convenit*, l. *cùm venit*: 146. *Thophanes*, l. *Theophanes*: 164. *Ariminensis*, l. *Ariminensi*: 166. *Synchbionius à S. Gregorio*, l. *synebronus S. Gregorio*: 196. *Eborenses*, l. *Elborenses*: 206. *tunc*, l. *hunc*: 228. *Aguilanus*, l. *Agilanis*: 269: *Abdeeram*, l. *Abderam*.

SVMMA DE LA TASSA.

EL Consejo Supremo de Castilla tassò cada pliego à quatro maravedis i medio, como consta de testimonio de Marcos de Prado i Velasco Escrivano de Camara. En Madrid à 13. de Março 1635.

ANA-

SVIS LOCIS INSERENDA.

FOL. 4. Luitprandum etiam inter Cremonenses Episcopos numerat Lud. Cavitellius A sub ann. 967. *Luizone Episcopo Cremonæ defuncto subrogavit* [Otho Imp.] *Luitprandum, eique mortuo infra breve tempus Oldericum Gallum.* Habes hîc decessorem & successorem Luitprandi nostri, unà & illum brevis ævi in Episcopatu fuisse; quòd fortasis per legationes obitas in Hispaniam illicò moriturum, ut æternùm viveret, remeasset.

A *Fol. 27. Annal. Cremon.*

Fol. 9. רמון *Rimon*, Punica vox, eius etymon, quòd granis scateat, sunt qui deducant ab רמה *Rama, proiicere*; quod non abhorret ab ijs, quæ de *Granata* urbe dicuntur. Addam etiam *Remmon* idôlum in S.S. B esse. Sed quid illud? Eruditisimè, ut solet, Nic. Serarius C: *Ab altitudine Hebræo verbo dictum fortè est, ut sit vel Deorum summus, vel altitonans, vel qui altioribus in locis coleretur. Quia tamen eadem omnino vox Punicum malum in S.S. passim notat, eam in coniecturam feror, ut Venerem esse arbitrer. Huic enim aut Deo, aut Deæ (utrumque siquidem, Macrobio auctore, fuit) poma, præsertimque aurea seu Punica ob pulcritudinem, & quandam veluti seminij fœcunditatem, sacra fuisse, testes statuæ veteres, nomismata, Poëtæ, alij. Et quanvis apud Latinos, D. August. monitore, non Pomum, sed Pomona Dea fuerit, apud alias tamen gentes Pomi nomine appellatam esse quid vetat? Quemadmodum nulla vocabuli declinatione,* inquit idē August. *Deus fuit Honor, & Deæ Pecunia, Virtus, Concordia, Victoria.* Benè. Sed annè *altitudo* illa, sive *fœcunditas* Granatæ conveniat? alius argutetur.

B *4. Reg. 5. 18.*
C *In Naam. Syro.*

Fol. 15. Vbi de *Antapodosi*, sive *Antidosi*, quâ Berengarij Regis & Vvillæ uxoris vitia insequitur Luitprandus; non absimiliter Procopius Cæsariensis Ἀντίῤῥησιν

(si

D *Lib.* 17. *cap.* 10.*Hist.Eccl.*

(si Niceph. Callixto D credimus) scripsit, quasi *retractationem earum orationum, quas apud Iustinianum laudibus eum vehens habuit, & palinodiam quandam, sive recătationem minùs rectè ab eo dictarum.* Nam octo libris *de rebus Iustiniani* adiecit nonum, hoc est, Ἀνέκδοτα, in quo ψόγοις, καὶ κωμῳδίας Ἰουστινιανοῦ τοῦ βασιλέως περιέχει, καὶ τῆς αὐτοῦ γυναικὸς Θεοδώρας, ἀλλὰ μὴν καὶ αὐτοῦ Βελισαρίου καὶ τῆς γαμετῆς αὐτοῦ, *vituperationes & insectationes Iustiniani & Theodoræ eius coniugis, atque etiam Belisarij, & uxoris eius*, teste Suida. Quod quidem opus non perijt, ut arbitratur Ger. Vossius E, sed beneficio viri eruditiss. Nic. Alemani F nuper revixit.

E *Lib.* 2. *de Histor. Græc. cap.* 22.
F *Ann.* 1633.

Fol. 29. Ab Isidoro Machumetum Cordubâ pulsum docet Auctor miraculorum Isidori Lucæ Tudens. tributus G.

G *Ad Calcem p.* 1. *cap.* 85.

Fol. 82. *Isidorus Setabitanus*] Benè *Setabitanus*, nam Plinio H (si ita benè legas & interpungas) *Setabitani* (non *Setabinani*, ut in vulg.) *qui Augustani Valerienses* (non *Augustani, Valerienses*) sunt; ut Gratio I *Setabes*, & Straboni K Σεταβῆται (non Σαλτιῆται) sive Σαιταβῆται, nam in lapidibus antiquis *Sætabis*, & in Ptolemæo Σαίταβις, etsi in Catullo L, Sillio M, Plinio N, alijsque *Setabis*, hodie *Xativa* non procul à Valentia celeberrima Edetanorum Vrbe.

H *Lib. & cap.* 3.
I *In Cyneget.*
K *Lib.* 3. *Geog.*
L *Hendecasyll. in Asinium.*
M *Punic.* 3.
N *Lib.* 19. *cap.* 1.

Fol. 83. Adnumeretur ijs, qui Isidoro Hispalensi collectionem Conciliorum attribuũt, Antonius de Aquino O, editor Epistolarum SS. PP. etiam si utriusque Isidori mentionem faciat.

O *Tom.* 1. *Epist. ad Innoc.* 9.

Fol. 102. ad Ær. 738. *Carmen Isidori triste, minaxque*] Quod illud? Annè quod Lucas Tudensis P ab Isidoro in Toletana Synodo dictum asserit:

P *Lib.* 3.

-------- *Non impunè feretis*
Cùm rectè prava puniat acta Deus,
Inde cadent Gothi bellis, & barbarus hostis
Vos premet innumera clade, timore, fame?

Nullo

Nullo modo: ſed cùm paullò ante obitum *Hiſpaniis ventura prædixit*, eodem auctore Q; *Hiſpaniæ nempè à Saracenis vaſtationem*, ut de illo teſtatur Eccleſia R, cui ſuffragantur Baronius S, Bzovius T, Mariana V, Padilla X, Bleda Y, alij; & circunfertur quidem *vaticinium* Iſidori nomine, verumne an fictum non diſputo, quod M.S. habeo, unà & *Commentarium* in illius partem, auctore F. Ioãne de Guadalajara, Monacho, ut reor, Hieronymiano. Sed nec hoc celabo, Methodio etiã Martyri attributũ aliud de Hiſpaniæ excidio vaticinium, cuius Alphonſus Spina Z, & Garivaius A meminêre; verùm libellus *Revelationum Methodij* ὑποβολιμαῖος Viris doctis B eſt.

Fol. 104. Vbi de electione Regum Gothorum, cui addebatur (ne quid memoria dignum ſilentio involvã) elevatio ſuppoſito à militibus ſcuto. Diſtinctè Vvitigis Rex apud Caſſiodorum C: *Indicamus parentes noſtros Gothos inter procinctuales gladios, more maiorum, ſcuto ſuppoſito regalem nobis contuliſſe, præſtante Deo, dignitatem, ut honorem arma darent, cui bella opinionem pepererant.* Hinc in antiquis Suprabienſium D Hiſpanorũ legibus, cùm Regum electio præſcribitur, legimus, *Levanteſe Rei en ſediella de * Roma, o de Archiebiſpe; e que ſea arreito la nuit en ſu vegilla, & oia ſu Miſſa en la Igregia, & offrezca porpora, & de ſu moneda, & deſpues comulgue, e al levantar ſuba ſobre ſu eſcudo teniendo los Ricos Homes, clamando tres veces Real, Real, &c.* Quem etiam morem obſervo apud Græcos: Curupalates E, & Pachymerius F, νέος βασιλεὺς ἐπὶ σκουταρίου κατεσθεὶς ἤρθη εἰς ὕψος, *Novus Imperator ſcuto impoſitus tollitur in altum:* ſic Zonaras G de Hypatio, Zoſimus H de Iuliano, Gregoras I de Theodoro Ducæ F. Paullus K Diacon. de Germano, Simocata L de Phoca: nonnunquam fortaſſe apud * Romanos; Am. Marcellinus M de Iuliano, qui *impoſitus ſcuto pedeſtri & ſublatus eminens nullo ſilente*

Au-

Q *Ibidem.*
R *Nõ in lection. ſolùm antiquis Breviarij F. Card. Quignonij ſed etiam in recentiorib. Pij 5. Gregor. 13. & Sixti 5.*
S *Ad ann. 636.*
T *Li. 7. Hiſ. Ecl.*
V *Lib. 6. c. 7.*
X *Cent. 7. c. 22.*
Y *Lib. 2. Hiſtor. Maur. c. 1.*
Z *In Fort. Fid.*
A *Lib. 8. c. 49.*
B *Bellar. de Script. Eccl. an. 285.*
C *Li. 10. Var. 31.*
D *Exſtat initio leg. Regni Navar. M.S.*
* *Vid. fol. 104. Not. in Luitpr. quid hìc* Roma *ſignificet.*
E *De offic. Aul. C.P.*
F *In except. l. 2.*
G *In Iuſtinian.*
H *Lib. 3.*
I *Lib. 3.*
K *Lib. 17.*
L *Lib. 8.*
* *Vide P. Pithoe. lib. 2. Adverſ. c. 6. & Bullengerii de Imp. li. 2. c. 2.*
M *Lib. 20.*

N Lib. 2. *Augustus renuntiatus*, ut de Iustino Corippus N: necnon

O Lib. 4. Histor. apud alios, de Caninefatibus Germanis Tacitus O, de

P Æt. 6. Chron. Francis Ado P Vienn. de alijs alij.

Fol. 165. Vbi de *Musca Toletana*, addo ex Ant. Mi-

Q Cent. 8. Memorab. sive Arcanor. aphor. 55 zaldo Q, *Quid, quòd Toleti, quæ Hispaniarum est civitas celeberrima, musca duntaxat una, nec plures toto anno in publico macello spectatur, ut tradit L. B. Albertus? Si modum requiris, auro multo ab aliis tibi comparandum, gratis à nobis illum accepisti, Aphor. 98. cent. 3.*

Fol. 167. De *Specu Salmantina*, adde (ne quid ijs desit, & quia hæc Hispanicæ linguæ cimelia non obvia

R In Triumpho Raimundino. ubique sunt) rhythmũ Petri Gonzalez de Trasmiera R, qui huc inclinat:

Estudio Nigromanteso
De la Cueva Cypriana,
Do es opinion Castellana
De siete quedar un preso. &c.

Fol. 244. de S. *Anglina*. illius etiam meminit Fr. Dia-

S Lib. 2. cap. 85. Histor. prov. Aragon. go S diligens Valentinarum & Aragonensium rerum Scriptor.

CHRONICON
EVTRANDI
ſive
LVITPRANDI
TICINENSIS DIACONI,
TOLETANI VERÒ
SVBDIACONI,
AD TRACTEMVNDVM
EPISCOPVM ILLIBERRITANVM.

EPISTOLA
TRACTEMVNDI AD LVITPRANDVM, sive EVTRANDVM.

SANCTO & amabili filio Eutrando, olim Ecclesiæ Toletanæ Subdiacono, Ticinensis verò Levitæ, Tractemundus Ecclesiæ Illiberritanæ peccator Episcopus, salutem in Domino nostro IESV CHRISTO.

LECTIS tuis litteris (Fili ca-
rissime) magna cõsolatione suf-
fusus sum, sciens te rectè valere,
ac in Germaniæ longa peregri- A.
natione in patientiæ perutili exercitatione
valdè proficere. Etenim vita nostra militia B.
est, *à multis quidem retrò temporibus gra-*
vis & difficilis & innumeris exposita peri-
culis & incõmodis inexcogitabilibus, donec
ad littus optatissimæ Patriæ pervenire Do-
mi-

minus nobis cõcedat: Quod autem deſideras
ſcire de me, ſic habeto; Nos verſari in iſto
C *oppido Granatenſi Illiberritanæ noſtræ ci-*
D *vitati proximo inter Fideles Mozarabes,*
qui cum improbis Sarracenis (utcunque poſ-
ſumus) conflictantes quotidie morimur; ſed
gratias Deo PATRI, *& Domino noſtro* IE-
SV CHRISTO *eius Filio, qui dat ferre poſſe,*
& inter tot adverſa Fidem Catholicam vi-
riliter confiteri: Quotidie pro meis omnibus
ovibus oro; diebus Dominicis ad patientiã
E *conſtantiamque eas exhortor; aliquãdo legi*
facio Epiſtolam S. Adriani PP. quã de hoc
argumento ad Egilanem prædeceſſorem meũ
ſanctæ memoriæ Pontificem miſit; quæ in
Tabulario noſtræ Eccleſiæ reverenter ſer-
vatur; ſimul aliorum Romanorum Pontifi-
F *cum, & diptychorum ſacrorum Epiſcoporum*
G *huius Eccleſiæ, quæ Cæcilium habuit primũ*
Paſtorem S. Iacobi, cùm venit in Hiſpaniã
Hieroſolymis, individuum comitem; iugiſ-
que memoria SS. MM. qui in perſecutioni-
bus Eccleſiæ pro Fide Catholica conſtanter
paſſi ſunt. Nec deſũt quos Sarraceni macta-

tos, & in occisione gladij necatos ad cælos transmittunt indies: ora pro me, Fili cariſ-
ſime. Gratanter accepi librum tuum, id eſt, I
Rerum geſtarum in Europa Hiſtoriam, K
& prætereà Antopodoſin tuam carmine L
proſaque contextam, ut fecit olim ſapiens ille Boëtius in libro de Conſolatione Philoſophica. Quem librum Boëtij Severini diligenter nos duo percurrimus Toleti, cùm
ego Presbyter eſſem, tuque Subdiaconus il- M
lius S. Eccleſiæ Toletanæ, quæ ſemper ve-
rè fuit filia primogenita E. S. Romanen- N
ſis, & cum Patriarchalibus poſt Romanen- O
ſem meritò comparanda. Planè libri, quos miſiſti, crebram ſapiunt lucernam, & tuum felix redolent ingenium. Hìc ſcito maxima nos rerum neceſſariarum commoditate deſtitui, nam ægrè ſuſtentamus vitam in
hac flebili duraque captivitate; necdum P
ut liceat nobis aliunde magnam librorum importare ſupellectilem. Quapropter, Fili cariſſ. obſecro te, & per noſtram veterem
amicitiam impensè obteſtor, ut vitam S. Ia- Q
cobi Hiſpani in Piceno ſanctè mortui I. Nov.

R *Nov. & Methaſtenis lib. de Monarchijs,*
ubi in Perſarum ponit Darium, Cyrum,
Cambyſem, Artaxerxem poſt alterum Da-
rium Longimanum, & ſicubi in Germa-
S *niæ Bibliothecis delitent Dextri, M. que*
Maximi ſcripta membranis Chronica, quæ
nuſquam in Hiſpanijs reperire potui, ſcrip-
ta ad me quamprimùm mittas, & de tuo
addas ab anno 612. ubi finivit Maximus,
uſque ad tua tempora, hoc eſt ad annum 960.
Multùm fortaſsis te onero, ſed tibi perfaci-
le erit hoc officium, mihi certè iucundum,
ne dicam amori in te meo penè debitum.

Vale, Fili cariſsime, & pro hoc ſene
Deum ora.

EPISTOLA LVITPRANDI AD TRACTEMVNDVM.

ADMODVM Reverendo, & totius Sanctitatis pleno Tractemundo Episcopo Illiberritano in Hispania, Luitprandus non meis meritis Ecclesiæ Ticinensis Levita, salutem, & omnimodam observationem.

* Al. Gratissimum.

* Al. Venerande.

GRATVM * *mihi fuit (Beatissime Papa, ac Domine multùm* A ** observande) quòd* Antapodosis *nostra, in qua nũc carmine, nunc prosa ludo, tandem ad manus tuas pervenerit; nec minus meo sedet animo, quòd* B *meam* rerum gestarum in Europa historiã *perlegeris, quæ mihi quodammodo placere incipiunt, cùm tibi viro recto doctoque quodammodo probari video; sequererque tuam in ea parte sententiam, nisi scirem amorem* in-

*interdum cæcutire; quanquam te tam cæco iudicio liberum faciunt integritas vitæ tuæ, & amor veri, qui ſemper tuis intimis hæſit ſenſibus ab adoleſcentia. Poſtremò nō minus iucundum mihi * fuit quòd modò iu-* *Al. *Eſt.*
C *bes, ut in Faldenſis Monaſterij Bibliothe-*
D *ca (ubi nūc exſul* Bibliothecarius immoror)* *Abeſt hæc vox in alijs
E * *quæram tibi* Chronicon Dextri, *quod* * Al. *Quærerem.*
*M. Maximus Monachus Benedictinus, poſteà Epiſcopus Cæſarauguſtanus * proſequutus eſt; & inſuper obnixè petis, * ut ad noſtra tempora ſeriem annorum perducam; nam dicis maxima vos laborare quorundā librorum penuria; etenim inter barbaros, & inhumanos Sarracenos copia non ſuppetit rerum ad vitam tranſigendam neceſſariarum, necdum ut habeatis * locupletem librorum * ſupellectilē. Dolui quidem vicem tuā (Reverendiſsime Pater) quòd adeò * durè vitam exigas in hac urbe Bæticæ non infima; neque enim ita duriter, ſed paullò melius agebamus, cùm Toleti quondā convixi- mus; leniebat enim feroces barbarorū animos hinc Præſulum Toletanorum ſingularis*

*Al. *Rogatu Argebati Epiſcopi cōtinuavit.*
*Al. Interſcritur, *ſi vacaret.*
* Al. *Bonorum.*
* Al. *Copiā.*
* *Duriter.*

ris auctoritas, illinc verò mirabilis bonitas & patientia; auctoritas (ut tu benè nosti) partim amplitudinis antiquæ adhuc remanẽte nitore, partim quòd ea niteretur favore, præsidioque Regũ Ovetensium Catholicorũ, qui litteris crebris commendabant Regibus Toleti rem, auctoritatem, bonamque tractationem tum Fidelium omnium, tum maximè Toletanorum Antistitum. Eratque hoc (ut benè nosti) velut quoddam frænum, ne quod liberet illis, omnino licere putarent; quod non accidit Episcopis in Bætica constitutis, quibus omnibus potẽtissimus Imperator præsidet. Sed soletur te, Pater optime, in tantis augustijs constitutum, quòd tu, ut bonus Pastor, ovibus tuis & solatio & auxilio es, qui quotidie libenter mortem subis illorum caussa. Fac obsecro, ut libros eos Conciliorum & Epistolarum Decretaliũ, & nomina Sanctorum Martyrum Hispanorum ad Sanctissim. Pontificem re nomineque verè Servum Dei transmittas. Porrò Chronicon, quod petis, in huius Bibliothecæ reperi vetusta membrana descriptum,

ad-

adieciq̀ue, ut iussum est abs te, annorum seriem ad hæc usque tempora, id est, ad annum
G *960. & gratulor mihi, quòd cùm * Toleti, ubi* *Al. Toleto.
sub sanctiss. Præsule Toletano Bonito Subdiaconus fui, in Italiã proficiscerer, aliquot Historiæ libros mecum asportavi; in quibus ordine erat series collecta multorum Hispaniæ Episcoporum, quos & in hac Bibliotheca
H *reperi, iussu, ut credo, S. Caroli Magni Imp.*
*ex Hispania allatos, quos ut aiunt, * sibi* * Al. Ibi.
obtulerat sanctissimus Elipandus Episcopus Toletanus, postquàm illum erroris sui de adoptione CHRISTI *seriò & verè pœnituit, ad quem manifestandum Concilium Episcoporum suffraganeorum & Abbatum collegit, & coram omnibus abiurato publicè errore, Fidem S. R. E. confessus est. Vt tu meliùs nosti. Igitur feci quod iussisti (Beatissime Pater) an voto conatus respõderit, tu videbis, qui iussisti, & servum * hunc exsulem* *Al. Tuum.
** in oratione Deo commenda. Vale.* * Interponitur vox Exsul.

Incipiam tamen ab anno 606. Æra 644. & ordinẽ inscribendo sequar, quẽ sequutus
I *est M. Maximus; hinc per Æras Hispano-*

rum more, illinc per annos CHRISTI, *nihil de Consulibus, aut de Egiris Maurorũ: perducamque hoc nostrum Chronicon usque ad annum 960.*

CHRONICON EVTRANDI AD TRACTEMVNDVM.

Æra 644. Ann. CHRISTI 606. TOLETI *nascitur S. Ildephonsus, clarissimis parentibus Stephano & Lucia XIIX. die Decemb. in domo, quæ nunc est Toleti Muzarabum nobilium: Ille verò posteà fuit Toleti Episcopus.*

Floret Metis S. Rufus, patruus S. Adelphi anteà Abbatis Agaliensis, & Archiepiscopi Toleti, posteà Episcopi Metensis, qui patruo Rufo viro sancto successit.

Æ. 645. C. 607. *Machumetus, qui virus erroris sui fundens per Hispaniam, Cordubæ, Hispali, Toleti cœpit seminare, ab Aurasio Toleti Archiepiscopo Toletano pulsus; Catholiciq; Doctores verbo & scripto nefarium errorẽ persequuntur.*

Theo-

Theodoricus Mediomatricũ Rex Hermembergam sponsam suam intactã Vviterico Regi Vviisegothorum Patri remittit cum muneribus, quod Pater ægrè fert. Æ. 646. C. 608.

Flavius Claudius S. Massonæ Episcopi Emeritensis ex sorore, & Claudij Emeritensis Ducis, viri clarissimi, filius floret. Æ. 647. C. 609.

Ad Segontiam, Celtiberorum urbẽ, Vviterici Regis Duces cum Romanis congressi, eos omnino prælio fundunt.

Ad Gregorium P. M. Isidorus Romam petit, & honorificè susceptus à Rom. Pontifice, reversus domum in pretio est. Æ. 648. C. 610.

Mortuo Vviterico succedit Gũdemarus, qui ab Aurasio Toletano, ut olim Imperatores Græci à Patriarchis Constantinopolitanis, inungitur in æde SS. Petri & Paulli Toletana.

Rex Catholicus Gundemarus Toleti iubet Concilium contrahi; contrahit autem Aurasius.

Dignitas Patriarchalis Toletanæ sedis imminuta pristinæ dignitati restituitur, ut ad eius obedientiam rediret Carthaginensis

Provincia, in quam tota Carthaginensis, & Toletana fuerat divisa.

Æ. 649. C. 611. *Adeodata, virgo sancta, Toleti Monialis Benedictina floret, ad quam olim S. Gregorius scripsit.*

Æ. 650. C. 612. *Gundemaro succedit in solio Regni Gothici Sisebutus, vir doctus & pius, & in rebus gerendis satis expertus.*

Æ. 651. C. 613. *Bonifacio Papæ succedit in sede Petri Papa Deus-dedit.*

Memoria est S. Paulli Episcopi Iaccetani, qui Romam dum visitat, cum alijs duobus sub Decio Martyrium patitur VI. idus Februar.

*Floret memoria Mediolani S. Anathalonis * Episcopi, discipuli S. Barnabæ.*

* In alijs *primi*, bene, si post Barnabam numeretur.

Mortuo Aurasio sanctissimo doctissimoque Pontifici succedit in sede Toleti S. Helladius, vir eximius & pius, Monachus Benedictinus; ætate iam ingravescente ad superos evocatur.

Æ. 652. C. 614. *Dulcidius Diaconus Cæsaraugustanus floret, quem S. Gregorius in Epistolis mirũ in modum commendat.*

Vin-

Vincentius Carthaginis Spartariæ Episcopus moritur. Æ. 653. C. 615.

Toletani celebrem mentionem habent S. Vincentij Episcopi & Martyris, qui prædicavit Meviæ.

Murila Episcopus Valentinus attulit ex Gallia corpus S. Vincentij Levitæ, Martyris Aginnensis, Valentiam.

Machumetus pseudo-Propheta Cordubæ prædicat.

M. Maximus Cæsaraugustanus Episcopus ex Monacho S. Benedicti, Scriptor Chronicorum, eximius Concionator, vir pius & doctus, qui Vitam S. Benedicti scripsit carmine, & multa prosa & versu, sanctè moritur. Æ. 654. C. 616.

Ioannes Exarchus populari tumultu perimitur.

Extruso per vim Isidoro Episcopo Hispalensi, viro sanctissimo doctissimoque, Gordianus in sede Hispalensi intruditur.

S. Isidorus Malacæ exsulat.

Papa Deus-dedit scribit Epistolam ad Gordianum intrusum.

Deus-

Æ. 655. C. 617. *Deus-dedit hoc anno moritur; succedit Bonifacius.*

Æ. 656. C. 618. *Opera Sisebuti Regis Vuisegothorũ Catholici sedes Hispalensis S. Isidoro amico suo cum honore restituitur.*

Assota Civitas in Contestanis & in confinio Batestaniæ, quæ quondam sedes Episcopalis fuit, destruitur.

Illic S. Corona, virgo Benedictina, floret.

Æ. 657. C. 619. *Machumetus libros erroris sui in Arabia vulgat.*

Æ. 658. C. 620. *Mortuo Sisebuto Rege Vuisegothorum Catholico, die IIX. Novemb. suffectus est illi Suinthila.*

Isidorus Hispal. Episcop. secundo Concilio Hispali collecto præest; sub cuius disciplina multùm Ildephonsus profuit.

Æ. 659. C. 621. *Bonifacium Papam sequitur in sede Petri Honorius.*

Ad fauces Hispaniæ in Lusitania [vulgò Garganta la olla] Ioannes Abbas, cognomento Magnus, floret.

Æ. 660. C. 622. *M. Maximus Monachus priùs Benedictinus, & pòst Episcopus Cæsaraugustanus,*

nus, celebris post mortem habetur.

Mirè floruit S. Celestinus, vir in Hispania Consularis, Martyr sub Iuliano, Romæ in carcere mense Maio mortuus cum alijs.

S. Leander, viso Constantinopoli templo S. Thyrsi, fecit aliud Toleti.

Exacto Adalbaldo regnat in Italia Ariobaldus Rex Longobardorum. Æ. 661. C. 623.

Sedes Assotana Bigastrum, quæ Mõtua, transfertur.

Obijt Theodelinda Regina Longobardorum mater Adalbaldi. Æ. 662. C. 624.

Reversus Hispali cùm esset Ildephonsus Toletum, eum Archidiaconum suum Helladius facere volebat; ille verò secedens sedulò, vitam agit in Monasterio Agaliensi, quod in suburbio Toleti est Septentrionem versus non procul à Tago flumine, & à Prætoriensi Templo Sanctæ Leocadiæ extra muros, in planitie: quod ego, dum Toleti fui, frequenter invisi; est etiam alterum, Agaliensis huius quasi Colonia, ad pagum Benhalgaviam à Mauris dictũ, tribus mil-

lia-

liarijs à Toleto distans; sed in priori (quod non procul Eremitorio S. Susannæ prope Tagum fuit) S. Ildephonsus vitã egit. Quod, ut dixi, invisi cùm fui Subdiaconus Toleti sub Bonito I. huius nominis Toletano Archiepiscopo, priùs Abbate Agaliensi.

Æ. 663. C. 625. *S. Helladius Episcopus Toletanus vitæ sanctimonia, & eleemosynarum in pauperes misericordia clarus habetur.*

Æ. 664. C. 626. *Imperator Heraclius repetita Cruce ex Perside, in sanctam urbem Hierosolymitanam triamphans intrat.*

Æ. 668. C. 630. *Primogenius Patriarcha Gradensis floret multùm.*

Æ. 669. C. 631. *Protasius Episcopus Arcobricẽsis in Lusitania prope Laconimurgum mirificis floret virtutibus.*

Æ. 671. C. 633. *Prima die Maij moritur sanctè compositèque Toleti Arthuagus Monachus Augustinianus Sislæ Toletanæ.*

Hoc tẽpore floret Orosius Episcopus Elborensis in Carpetania.

Hoc tempore Iustus Diaconus secularis S. Helladij Episc. Toletani Hispaniarum

Pri-

Primatis (ut ceteri fuerãt, ab Elpidio Iuliano Saturnino, & M. Marcello Eugenio) eidem S. Pontifici molestus ludibrijs, dicterijs; & malo linguæ infelicissimo genere mortis malam vitã finivit Episcopus Gallus.

Hoc anno XIIX. die mensis Februarij sanctissimus Põtifex Toletanus Helladius grandæuus sanctè discedit.

Fides CHRISTI *à Discipulis S. Iacobi primo centenario prædicata, Canariæ crescit.*

Patitur S. Avitus in Canaria, & in Insulis adhuc durat eius memoria.

Eligitur Præsul Toletanus S. Iustus Monachus Benedictinus ex Monasterio Agaliensi, Rector Patrimonij; Hic longè alius à seculari, qui vir sanctus, pius, innocens, & optimis moribus instructus, præest per tres annos suis Monachis.

Sub hoc Præside Iusto, Rege Vvisegothorũ Sisenando coacta est IV. Synodus Toletana LXXII. Episcoporum, virorum excellentiũ gravitate, litteris, & moribus; interfuit S. Isidorus.

Æ. 672. C. 634. *Honorius Papa Epistolis datis ad Sergiũ Constantinopolitanum duas Naturas in* CHRISTO, *& unam Personam sensit.*

Æ. 673. C. 635. *Alexandria & Ægyptus à Sarracenorũ duce captæ.*

Iustus Archiep. Toletan. Monachus Benedictinus, vir magnæ religionis, sanctè moritur III. die Septemb.

Sisenandus Rex Vvisegothorum Catholicus, moritur Toleti XXII. Septemb. sepelitur in Æde S. Leocadiæ Prætoriensi.

Chintila eligitur in locum Regis Sisenãdi sub finem Septemb. vir acer, & armorum exercitatione strenuus.

Eligitur Eugenius in locum Iusti Toletani Archiep.

Eugenius XXV. die Octob. cõsecrat, inungit, & coronat Regem Chintilam in præsentia multorum Episcoporum, & Aulicorum, & Palatinorũ in æde S. Leocadiæ Vrbanæ.

Æ. 674. C. 636. *Kalend. Decemb. habita est V. Synodus Toletana in Basilica S. Leocadiæ Confessoris, anno I. serenißimi Regis Vvisegothorũ Flavij Chintilani.*

Flo-

Floret Toleti Archipresbyter Verecundus, cuius meminit S. Isidorus; fuit posteà idẽ Episcopus Africanus.

Festum S. Iacobi filij Zebedæi hoc anno per Hispanias celebriùs agitur quàm multis retrò seculis.

Beatus Bonifacius Episcopus Cauriensis Toleti moritur; in æde S. Iustæ ab Eugenio honorificè sepelitur.

Hoc anno sub eodem Pontifice, II. anno Regis Chintilani V. Idus Ianuarij in æde S. Leocadiæ Prætoriensi, collegit Rex convẽtum Aulicorum suorum. Æ. 676. C. 638.

S. Isidorus, qui iam obierat IV. die Aprilis anno Domini DCXXXV. multis miraculis & gloria refulget.

Honorius Papa obijt IV. iduum Octob. sedit in Petri sede ann. XII. mensibus VI. dies XIIX.

Honorio Romano Pontifici succedit Severinus, qui hoc anno moritur, & Severino Ioann. IV. Æ. 677. C. 639.

Conãtius Episcopus Palentinus, vir sanctus, moritur.

S.Phara virgo Benedictina fugiens patrem, Tudem venit sub Episcopo Tudensi Anastasio; ædificat Monasterium; moritur anno DCL.VII. Decemb.

Æ. 678. C. 640. *Hoc anno XVI. mensis Iunij moritur Chintila Rex.*

Succedit Flavius Tulga in Regno Gothorum; regnat annos II. mens. IV. eligitur die S. Iacobi Patroni Hispaniarum, & eodem die ab Eugenio Toletano consecratur, inungitur & coronatur in æde Sanctæ Mariæ Toleti.

Hoc anno Iustus Helladij Diaconus propter linguæ petulantiam, & morum incontinentiam à suis Clericis (factus Episcopus nescio cuius civitatis) in lectulo laqueo suffocatur; sunt qui suspicentur hunc Episcopũ fuisse Accitanæ civitatis, qui interfuit Concilio Toletano; sunt, qui alium omnino ab hoc admodum diversum putent: omnes quidẽ conveniunt non hunc fuisse Toletanũ Pontificem.

Æ. 680. C. 642. *Hoc anno Heraclius Imperator, qui Crucem Domini restituit ereptam è manibus*

 Per-

Persarum; mense Maio moritur.

Theodorus Theodori F. Hierosolymites, Græcus natione, sedet in sede Petri, post Ioannē IV. annos VI. menses V. dies XIV.

Hoc anno, XIV. die Octob. moritur Rex Tulga, XVI. die Octob. Cindasuindus Rex Gothorum eligitur, & in die SS. CC. MM. coronatur ab Eugenio Toletano in æde S. Petri Prætoriensi, præsentibus Episcopis & Palatinis; in Regno Gothorum regnat annos VI. mens. IX.

Eufridius Diaconus, innixus favore Regis Cindasuindi, invadens honorem Presbyterij, & quædam prædia S. Ecclesiæ Toletanæ attributa, fit illorum dominus; qui divinitùs punitus est, ut Geroncius presbyter, qui malè tractaverat Iustum Episcopū Toletanum; ut Iustus non Monachus, sed Diaconus Toletanus secularis, indignis modis tractaverat S. Helladium.

In sede Constātinopolitana ponitur Paullus hæreticus. Æ. 681. C. 643.

Synodus Romana contra Paullum Patriarcham Constantinopolitanum hæreticū Æ. 682. C. 644.

con-

contrahitur; & Synodi tres Africanæ collectæ contra hæreticos Monotelitas.

Æ. 684. C. 646. *Ineũte anno V. Regis Cindasuindi XXVI. martij moritur S. Braulius Episcopus Cæsaraugustanus, vir eximiæ doctrinæ & sanctitatis, & de clarissima Gothorũ stirpe.*

XV. Kal. Nov. cogitur Toleti VII. Synodus; cõcurrũt Episcopi & Vacarij XXXIX.

Æ. 685. C. 647. *Prima Iulij moritur Toleti S. Eugenius II. vir sanctus; sepelitur in æde S. Leocadiæ Martyris.*

Verecundus Episcopus Vticensis in Africa, vir magnus ingenio, & pius editis libris, moritur.

Æ. 687. C. 649. *Martinus Fabricij F. Tudertinus (postmodũ Martyr) sedet annos VI. menses IV. dies VII. succedit Theodoro in sede Petri.*

S. Eugenius III. litteris & sanctimonia Toleti floret, qui pòst rexit Patriarchalem sedem Toletanam.

Synodus Hispalensis cõtra Monotelitas.

S. Eugenio II. Toletano Pontifici mortuo Toleti mense martio, anno DCXLIX. succedit Eugenius III. huius nominis in sede

de Toletana, vir Sanctus & doctus.

Hoc anno die I. menſ. Octob. moritur Cindaſuindus Rex Vviſegothorum; ſuccedit illi Receeſuindus filius, qui ab Eugenio Epiſcopo Toletano Toleti in æde S. Mariæ (quæ vulgò voce Arabica Alficenſis nominatur) coronatur & inungitur. Æ. 691. C. 653.

Flavius Rodoaldus Rotarij F. Lõgobardorum Rex, regnat annis quinque; miſſus eſt ad Hiſpanias.

Synodus Romæ collecta cõtra Hæreticos Monotelitas.

Martinus Papa martyrio coronatur prid. idus Novemb.

Hoc anno collecta eſt ſub Eugenio III. Toletano Pontifice Synodus IIX. Toletana anno V. Receeſuindi.

Flavius Heraclius Conſtantinus quinctus Pogonatus Kal. Martij conſors imperij à patre Imp. nominatur. Æ. 692. C. 654.

Hoc anno, qui eſt VII. Receeſuindi Regis Vviſegothorum, cõgregatur IX. Synodus Toletana ſub Eugenio III. huius nominis. Æ. 993. C. 655.

Hoc anno, qui fuit IIX. Receeſuindi Regis Æ. 694. C. 656.

gis Vvisegothorum, contrahitur Toleti X. Synodus.

Æ. 695. C. 657. *Hoc anno, XIII. Novemb. moritur Toleti S. Eugenius III. & miraculis clarus per totam Hispaniam celebris habetur; iacet in S. Leocadiæ extra urbem; alij volunt hunc sepultum in domo S. Leocadiæ.*

S. Ildephonsus Monachus Agaliensis, vir nobilis, & religiosus, doctrinæq; variæ fama celebris, Abbas SS. Cosmæ & Damiani, Monasterij diversi ab Agaliensi S. Iuliani Martyris, in demortui locum, Eugenij scilicet cognati sui, voto Reccesuindi Regis Vvisegothorum, & Cleri Populique Toletani sufficitur.

Æ. 698. C. 660. *S. Ildephonsus mores hominum Aulicorũ depravatos, & ipsum etiam Regẽ Christiana libertate reprehendit, & ob id ipsis, & Regi visus est acerbus.*

Nonnullos Iudæos ad Fidem conversos baptizat.

Taio Episcopus Cæsaraugustanus gloriosus habetur.

Æ. 699. C. 661. *Hæreticos Narbona venientes natione Go-*

Gothos Theudium & Helladium per Hispanias teterrimè vagantes, & de Virginitate B. MARIÆ Virginis temerè sentientes, quòd more ceterarum mulierum dilatatis claustris virginalibus peperit CHRISTVM Dominum, verum Deũ & Hominem filiũ suum, sermonibus, & quatuordecim editis libris Ildephonsus diversis ab illo soliloquiorum incipiente. Domina mea, &c. viriliter confutat, & castigatos iussu Regis Reccesuindi Catholici serenissimique Principis tota Hispania cogit exsulare.

Hoc anno IX. Decemb. apparet S. Pontifici S. Leocadia virgo, & martyr (cuius corpus ignorabatur ubi erat) in æde Prætoriẽsi: inde cœpit S. Ildephonsus esse Regi Catholico admirationi, & admirabili reverentiæ.

Composuerat S. Pontifex ad privatam devotionem suam librum quendam Soliloquiorum cum B. Virgine (quæ synonyma dicuntur) post libros & sermones scripsit elegantiori sermone contra hos hæreticos; constat ex litteris Genesij secundi huius nomi-

nis Lugdunensis, qui dictus est etiam Adelardus, Abbas Corbeiæ, pòst Episcopus Vrcitanus.

Æ.701. C. 663. *Reparatus XXXVI. Episcopus Ravennarum floret.*

Theodorus, Tarsensis patria, Archiepiscopus Cantuariensis opinione raræ sapientiæ & prudentiæ floret.

Æ.702. C. 664. *Synodus Britannica habetur de controversia Paschatis inter Anglos & Hibernos sive Scotos.*

Æ.703. C. 665. *Flavius Godebertus & Flavius Bertarisus Ariperth Regis filij regnant in Italia annum unum.*

Æ.704. C. 666. *Godebertus occiditur; Bertarisus Ariperth filius fugatur.*

Grimoaldus filijs Ariperth victis demùm fit Longobardorum Rex.

Æ.705. C. 667. *Feria V. in vigilia Exspectationis* B. MARIÆ *Virginis (quæ die sequenti celebratur festum Incarnationis in Hispania) hoc est XV. Kal. Ianuar. S. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus vidit (post apparitionē S. Leocadiæ post novem dies exclusivè) B. Virgi-*

gi-

ginem multis Angelorum & Cælicolarum agminibus comitatam in sede eburnea, unde solebat ipse concionari ad populum credentẽ (quæ nunc sedes servatur in magno pretio in Æde S. Iustæ in summo templo eidẽ Virgini sacrato) quæ dulciter illum affata, cappa donat cælitùs elaborata.

Elborenses in agro Carpetano Theudiũ Æ. 706.
& Helladium importunos hæreticos ad Hi- C. 668.
spaniam reversos, & Elboram repetentes audacter, ignominiosè, & turpiter viventes à suis ædibus amandant.

Cordubæ, Toleti, & in aliјs Hispaniæ locis celeberrima memoria est S. Genesiј Martyris Hispani, Cordubæ passi in persecutione sævissima Imp. Neronis.

Hoc eodẽ anno appositus est in Sacrario S. Ecclesiæ Toletanæ gladiolus, impensus à Reccesuindo Rege Gothorum B. Ildephonso ad recindendum velũ S. Leocadiæ divinitùs apparẽtis (nunc est in Sacrario S. Iustæ Cathedralis tempore Maurorum) cum lapide marmoreo cãdidissimi coloris, ubi descendẽs de cælo sanctissima Virgo MARIA pedes po-

ſuit, eratque ſuppedaneum Archiepiſcoporũ Toletanorum voluitque B. Virgo decorare, & auctoritatem addere Cathedræ, quæ à B. Iacobo ſemper fuit primogenita filia Romanæ Eccleſiæ, & veritatis Magiſtra, ſed bonam partem huius Cathedræ translatã aliò cognovi.

Iulianus, qui poſteà fuit Archiepiſcopus Toletanus Vrbis Regiæ, ſapiẽtiæ & ſanctitatis opinione cum alijs Eccleſiæ Toletanæ Diaconis Gadila & Felice floret.

XXIII. die Ianuarij menſis V. Ildephonſus ſapientia, vitæ ſanctitate & miraculis clariſsimus ad cælos emigravit; in Æde S. Leocadiæ (quæ domus eius fuit) ad pedes S. Eugenij prædeceſſoris ſui ſepelitur: Iulianus eius diſcipulus & Archidiaconus hæc illi carmina ſepulcralia condidit, & poni fecit.

Alphonſi iacet hoc corpus venerabile ſaxo,
Quo Toletana nihil terra tulit melius,
Luciaque & Stephanus clara de gente Gothorum,
Sed virtute magis nobilitante micant.
Invenit iuvenis portum, ſecloque relicto
Cœnobij cellas Agalienſis amat;
Hincque Toletanam raptatur Præſul ad urbem,
Cui fuit in votis ſede latere ſua.

Rec-

Reccesuintus Abbas Benedictinus Bracarensis floret.

Eodem anno Quiricus ex Episcopo Barcinonensi non multò post Toletanam Ecclesiam regit, qui ex Abbate Agaliensi factus est Episcopus Barcinonensis.

Cæsarius Arelatensis Episcopus ex Mo- Æ. 707.
nacho monasterij Lerinensis, discipulus S. C. 669.
Portarij multùm floret.

Petrus Episcopus Achiliensis multùm Æ. 708.
floret. C. 670.

Vitalianus Papa obijt; succedit illi Adeo- Æ. 709.
datus. C. 671.

Hoc anno Kal. Septemb. moritur Toleti Æ. 710.
Rex Flavius Reccesuintus: sepelitur in Æde C. 672.
S. Leocadiæ, ubi B. virgo & martyr mactata.

Eodem anno sed III. feria eiusdem mensis fuit electus in Regem Vvisegothorũ Flavius Vvamba Palatinus de nobilissimo genere Gothorũ, & usque ad XIX. diem eiusdem mensis dilata est unctio, ut præsentibus Episcopis & Palatinis fieret die Dominico supra dicto sacro Ianuario & socijs eius, in Ecclesia præstantiori sacrata B. Virgini

MA-

MARIÆ *Assumptioni: Ecclesia nimirùm prima Toleti à sanctis Patribus constituta; coronatur verò, sacratur, & inungitur Rex per Quiricum Archiepiscopum Toletanum alijs Episcopis ministrantibus.*

Æ. 711. C. 673. *Ioannes Episcopus Constãtinopoli floret.*

Æ. 712. C. 674. *Gaubaldus Grimoaldi F. XV. Rex Longobardorum.*

Æ. 713. C. 675. *XI. Synodus Toletana Toleti collecta à XVII. Episcopis, Præside Quirico Tol. Põtif. VII. Idus Nov. Anno IV. Regis Vvambanis in Basilica S.* MARIÆ.

Floret Gratindus Abbas SS. Cosmæ & Damiani.

Æ. 714. C. 676. *Rex Vvamba victo Paullo, & profligatis omnibus hostibus suis, gloriosa fruitur quiete; Toleti civitatem Regiam laxat, ac muris ambit; portam, quæ respicit Septentrionem S. Thyrso Martyri dedicat, similiter & S. Leocadiæ Virgini, & Martyri, & eam, quæ respicit Orientem B. Marciæ vel Marcianæ civi Martyriq; ac Virgini sanctæ, supra portam pontis S. Iuliano martyri Toletano Pontifici; in Via-sacra Ser-*

rati

rati portam SS. Pontificibus Damaso, Melchiadique, civibus Mantuæ Carpetanorũ, ac præcipuè D. Michaeli huius urbis Tutelari contra Dæmones meridianos.

Per hæc tempora florebat in Aquitania Pipinus I. cognomẽto Vbertinus, Maior-domus Austrasiæ, pater Caroli Martelli, dicti Maximi, patris Milonis, cognomento Bernardi, & Pipini II. & Caroli M. & aliorũ.

Habetur Concilium Toleti XII. die Novemb. quò confluxerant omnes Episcopi Hispaniæ & Galliæ Narbonensis, præsidente Quirico Metropolitano Toletano (ut totius Hispaniæ & Galliæ Narbonensis Patriarcha) divisæq; sunt omnes sedes Hispaniæ cum suis limitibus & terminis (ut eas olim diviserat Constantinus Magnus, cùm Toleti Concilium Episcoporum totius Hispaniæ contraxit auctoritate Silvestri, & eidem Concilio dicitur interfuisse) sic sub Vuambane Rege dati sunt veteres singulis sedibus termini; quos immanitas persecutionum ingruentium, tot bellorum rabies, & iniquitas temporum maiori ex Æ.715. C. 677.

par-

parte deleverat, ille sua diligentia & studio penitus restituit.

Anno V. Regis Vvābanis coacta est Toleti hæc magna Synodus, in qua divisæ sunt sedes per illum præsentibus Metropolitanis, & ceteris Hispaniæ Episcopis, Abbatibus, & Palatinis; & illis partiri Rex iniunxerat, ut visum esset, diœceses, præsentibus pro Toletano & suffraganeis Sullo, Athanegone & Reccaredo; pro Hispali ac suffraganeis Adilogo, Ela, Vvitiza; pro Bracarēsi Vvimaro, Vitula, Hiendile; pro Emeritensi Idigno, Theodulpho, Ostalpho; pro Narbonensi Salamino, Egisibarino, & Theudegildo; Toletani hinc partiti cum Complutensi, illinc cum Elborensi. Facta est hæc divisionum formula & expressa litteris per Petrum S. Leocadiæ Diaconum, & Concilium habitū est præsente Quirico Vrbis Regiæ Archiepiscopo & Primate totius Hispaniæ tam citerioris, quàm ulterioris.

Iudices designati sunt pro Toleto Quiricus Archiepiscopus, pro Hispali Iulianus, pro Bracarensi Liuba, pro Emeritensi provin-

vincia Stephanus, pro Narbonensi Crescẽtius; Appellant omnes ad Primatem Toletanum, & in caussa Toletanorum ad Suasilium Abbatem ex omnium consensu; prudẽtia Quirici multæ lites subortæ compressæ sunt. Durat Concilium usque finem mensis.

Prætoriensem sedem S. Petri & Paulli extra urbem prope viam ad Talaverã vel Elboram distantem ferè M. D. passus Vvãba Rex noviter Episcopali Cathedra Toletano Patriarchæ subiecta decorat, reclamãte Quirico Toletano, & Capitulo Toletano; & in oppido Aquensi, quod nunc Talavera, olim dicebatur Elbora, sede Episcopali subiecta Emeritensi in villula Aquis (nunc Caçalegas) sedem transtulit Episcopalem consentiente Emeritensi Metropolitano in honorem S. Pigmenij Martyris antiquissimi ibidem quiescentis; quod non diu permansit.

Beatissima sedes de Columna in urbe Cæsaraugustana, quæ constructa est iussu Virginis à B. Iacobo; cùm in Hispania prædicavit, anno XXXVII. à nativitate Domi-

ni, & consecratã eiusdẽ immaculatæ CONCEPTIONI, *quam omnes Apostoli prædicaverant ubique, hoc tempore celeberrimo multorum peregrinorum contubernio visitatur.*

Æ. 718. C. 680. *XIV. die Octob. hoc anno datur pœnitentia Regi Vvambane (erat enim dies Dominica) prima hora noctis. Rex in se reversus tondetur, & accepto habitu monachi Benedictini cum Comite Alberto Pampliegã eius Ordinis præcipuum cœnobium lætus petivit, & se dicat.*

Sequenti die feria secunda, XV. mensis Octob. votis omnium Palatinorũ Ervigius, qui dato poculo dicitur Regem dementasse, Rex eligitur: differtur coronatio, & inũctio in sequentem Dominicam, quam (ut aliqui volunt) Archipresbyter, vel Archidiaconus Iulianus (nam ægrotaverat Quiricus Archiepiscop. Tolet.) fecit.

Quiricus vel morte præventus vel ægrotus (ut communiter dicitur) vel Archiepiscopatu Tolet. abiecto propter scelus, & imposturam Ervigij cum Vvambane ad

mo-

monasterium petit, ubi cum Rege reliquum vitæ laudabiliter confecit.

Iulianus hoc anno vel præcedenti sepelivit sanctißimum Gudilam Archidiaconum Toletanum, condiscipulum suum in monasterio S. Petri & Felicis Tago flumini incumbenti, cui fecit hoc sepulcrale carmen in sepulcro,

Gloria Toleti iacet hac sub mole sepultus
Gudila pars animi dimidiumq; mei;
Qui senis à tenerâ mores ætate tenebat,
Et iuvenis faciens hic iuvenile nihil.
Spiritus in sacro residebat pectore CHRISTI;
Exprimit hunc totum moribus, ore, manu.
Pauperibus cibus est, viduis solamen, ut ægris
Grata salus, miseris omnibus unus erat.
Mercaris multis meritis, bone Gudila, cælum;
Nos desiderium lancinat usque tui.
Mærentesq; vocamus eum, quem sustulit Æther,
Prosequimurq; pijs funera lacrymulis.
Non violas, tenerasq; rosas, non lilia cana
Spargimus ad tumulum, sed bona vota, tuum.
Nos ergo superâ prospecta candidus arce:
Teq; amor & moveat, Gudila, cura mei.
Mœnibus à patrijs morbos averte, famemq;
Hostilesq; minas, dogmata falsa, dolos,

Toletiq; preces audi, comitisq; rogatus,
Qui tibi dat carmen sat Iulianus amans,
Ossaq; Felicis tua sacra condit in æde,
Cuius mens superis est sociata choris.

A ☧ Ω

Obijt in pace servus Dei Gudila Archidiaconus S. Ecclesiæ Toletanæ VI. Kal. Septemb. Æra 718. id est anno D. N. IESV CHRISTI *680.*

Æ. 719. C. 681. *Hoc anno VIII. Kal. Ianuarij in Æde* S. MARIÆ *Toletanæ maioris S. Vir Iulianus iam factus presbyter præsentibus omnibus suis XIX. Metropolitanis Episcopis, Palatinis, & Flavio Ervigio Rege consecratur.*

Anno I. Regis Ervigij V. iduũ Ianuar. habita est in Vrbe Regia Toleto in Basilica SS. Apostolorũ Petri & Paulli Synodus Toletana, præside Metropolitano Vrbis Regiæ Iuliano Primate Hispaniarum, Iulianoque sedis Hispalensis Episcopo, Liuba Bracarensi, Stephano Emeritensi, Argebato Illiberritanæ civitatis Episcopo, viris do-

doctißimis, sanctissimisque; admisit alios XXX. Episcopos, Vicarios III. Abbates IV. Palatinos XV.

Isidorus Setabitanus, qui interfuit Concilio XVI. Toletano, composuit ordinem Cōcilij, & collectionem Conciliorum, quæ dicitur Isidori Peccatoris, vel Mercatoris, quo cognomento vocatus est super Isidori nomen.

Prid. nonas Novemb. anno eiusdem Re- Æ. 721.
gis IV. habita est Synodus XIII. Toletana C. 683.
sub eodē Iuliano à XLIIX. Episcopis, VIII. Abbatibus, XXVI. Palatinis, XXVII. Vicarijs Episcoporum absentium, & inter hos Gratinus Presbyter & Vicarius Argebadoni Illiberritani.

Anno V. Regis Ervigij in Æde Prætoriē- Æ. 722.
si suburbana SS. Apostolorū Petri & Pau- C. 684.
li, eodem præside, habita est XIV. Synodus Toletana.

Leo Papa scribit ad Episcopos Hispaniæ, Æ. 723.
& ad Ervigium Regem, & ad Toleta- C. 685.
num Pontificem, Comitemque Simplicium de Concilio VI. Constantinopolitano recipiendo.

Be-

Æ. 724. C. 686. *Benedictus Papa adhuc electus scribit Petro Regionario.*

Patres Concilij XIV. Toletani scribunt Apologiam à S. Pontifice Iuliano compositā; in eoqueConcilio approbantur, quæ conceperat & scripserat S. Pontifex Iulianus, quādo Legati Concilij XIV. Toletani ferentes Apologeticum venerunt cum illo Romā, ubi erat Papa Benedictus: Legatorum nomina hæc sunt, Benedictus Presbyter, Innocētius Diaconus, Constātinus Subdiaconus; Benedictus fuit postea Episcopus Pacis Augustæ, Innocentius Episcopus Dumiensis, Constātius Egitanensis.

Papa posuit Canones Concilij XIV. Toletani in conspectu S. Petri.

S. Asodi, vel Asodani corpus passi Gazæ, transfertur Romam.

Antiquariæ in Bætica durat memoria Cornelij Proculi, & Cornelij Bassi Pontificum Cæsarum à Discipulis S. Iacobi ad Fidem conversorum.

Æ. 725. C. 687. *Hoc anno Rex Ervigius positus Toleti in ultima ægritudine posuit in Regni solio glo-*

gloriosissimum filium vel generum Egicanem die XVII. Kalend. Decemb. feria V. & altera die feria VI. id est XVI. Kal. Decemb. dictus Rex accepit pœnitentiam, & à iuramento fidelitatis & obedientiæ sibi præstitæ absolvit omnes seniores, qualiter dicti seniores accederant ad accipiendum in Dominum & Regem dictum Principem Egicanem, ut acciperent & iurarent, accipiente iuramentum Regiũ, vel pro Rege Domino Iuliano Toletano Primate; inunctus autẽ est sub eodem Patriarcha in Æde SS. Petri & Paulli intra urbem VIII. Kal. Decemb. & coronatus est Æra DCC.XXV. in præsentia multorum Præsulum, Abbatum, & Palatinorum; quo die regni accepit coronã [Ex Chronico partim Iuliani, partim ex additis à Felice successore.]

Anno primo ineunte Regis Egicanis V. Æ.726. iduum Mai. habita est Toleti XV. Synodus in Ecclesia Prætoriẽsi, id est, suburbana C. 688. versus Septentrionem SS. Apostolorũ Petri & Paulli, præsidente eodem Toletano Primate Iuliano, Suniefredo Narbonensi, Flore-

resindo Hispalensi, Faustino Bracarensi, Maximo Emeritensi, Ioanne sedis Illiberritanæ, & alijs LXV. Episcopis, XI. Abbatibus, V. Vicarijs Episcoporum, & XVII. Palatinis.

Æ. 727. C. 689. Hoc anno misit Dominus Iulianus Toletanus Archiepiscopus, Hispaniarum Primas Concilium, Decreta, & Carmina ad Papam Sergium & Imperatorem; & ab utroque litteras accepit.

Æ. 728. C. 690. Hoc anno postrid. Non. Martij obijt Toleti sanctus, & sapientissimus Pontifex Iulianus, qui inter alia scripsit Chronicon Regum Vvisegothorũ ab Æra CCCCL. ad tempora Regis Egicanis; cetera addidere Felix, & Guntericus Archiepiscopi Toletani; sepultus est S. Pontifex Iulianus in Æde S. Leocadiæ, quæ domus illius fuit; posuit ei Felix Episcop. Toletanus hoc carmen sepulcrale;

Assequeris sanctum in Cathedra, Iuliane, Quiricum,
Optimus in vita, clarus in eloquio;
Vita decens, & larga manus, & cura fidelis,
*Atque Dei * cœtus, iudicijq; iubar,*

*Al. Zelus.

Fe-

Fecit, ut Hispanæ Genti sat amabilis esses,
Ordinibus cunctis, Plebibus, atque Viris.
Deseris heu! solium, sed te Deus intulit astris;
Et tua sat tanto vita beanda loco.
Inter Apostolicos resides, Iuliane, maniplos;
Robur Apostolicum conficis atque decus.
Felicis memorare tui (pater alme) Levitæ,
Vt prece sit dignus servus honore tua.
En tua membra damus tumulo; Leocadia civis
Corporis est custos; hic sua cuna fuit.

A ☧ Ω

Obijt in pace S. Pontifex Toleti Iulianus postrid. Non. Mart. sedit in Patriarchali solio ann. X. mēs. II. dies IX. decessitq; gloriosi regis Egicanis an. V. Æ. DCC. XXVIII.

Hoc anno Kal. April. in Tēplo S. MARIÆ *præsentibus suffraganeis Episcopis consecratus est Episcopus Toletanus Sisebertus (ut quidā volūt) Abbas, acutus ingenio, mediocri litteratura, sed regia cognatione cum Vvambane Rege coniunctus, valdè arrogās, & novarum rerum studiosus (licèt fuerit in Fide Catholica stabilis & acris eius defensor) ideòque à dignitate posteà amotus.*

In eo tempore fuerunt in Hiſpania decē linguæ, ut ſub Auguſto & Tiberio, vetus Hiſpana, Cantabrica, Græca, Latina, Arabica, Chaldæa, Hebræa, Celtiberica, Valentina, Catalaunica; de quibus in III. lib. Strabo, ubi docet plures fuiſſe litterarū formas & linguas in Hiſpania.

Æ. 729. C. 691. *Kalend. Novemb. hoc anno Regis Egicanis IV. habita eſt Synodus in Urbe Cæſaraugustana.*

Æ. 730. C. 692. *Siſebertus veſtem, quam B. Ildephonſus divinitùs acceperat, contradicēte Clero Toletano vult indui, & præcipitatus amentia contra Regem novis rebus ſtudet.*

Æ. 731. C. 693. *Anno VI. glorioſi Regis Egicanis, VI. Nonas Maias habetur Toleti XVI. Synodus Toletana, LIX. Epiſcoporum, in Baſilica SS. Apoſtolorū Petri & Paulli, feria VI. die S. Athanaſij Pōtificis & Confeſſoris, in qua (auctoritate Rom. Pontif. ea de re, ut credimus, conſulta) deponitur Siſebertus Præſul Toletanus, quòd rebus novis ſtuderet contra Regem & prolem Regiam, videlicet Flogellum, Theodomirum, Liubilanē,*

Lui-

Luibigitonem, Theclam, ceterosque Egicanis Regis filios, quos interimere conatus sit, rebus suis omnibus exsutus, anathemate percussus, & usque ad mortem communicatione sacræ Eucharistiæ, & convictu Catholicorũ privatus, ad monasteriũ S. Petri Karadinensis sine suffragio, & loco, omnibus suis rebus cõfiscatis in exsiliũ perpetuũ detruditur.

Felix, Iuliani discipulus, iam creatus Hispalensis Episcopus, vir gravitate & eximia prudẽtia clarus, voto Regis & Metropolitanorum Toletanæ sedi præficitur, suffragio pariter totius Concilij; qui Chronicon S. Iuliani doctoris sui Toletani Archiepiscopi non nihil auxit.

Hoc anno V. Id. Novemb. anno Regis Egicanis, VII. habita est sub Felice Toleti præside Synodus Toletana XVII. in Æde S. Leocadiæ. Æ. 732. C. 694.

Hoc anno abdicato Imperatore Iustiniano succedit Leontius. Æ. 734. C. 696.

Hoc anno Flavius Vuitisa cum potestate Regis vivit in Gallæcia, sic ordinãte patre Rege Egicane. Æ. 736. C. 698.

Floret Toleti Iulianus Lucas, qui multa de utroque Beroso collegit, & continuavit.

Æ.738. C.700. Decentius Episcopus Segoviensis floret, sub quo excisa est à Mauris Segovia, & multi monachi Benedictini à Mauris occiduntur, & in ijs passus S. Fructuosus.

Hoc anno sanctè moritur Felix Toleti, qui scripsit vitã S. Iuliani Toletani Archiepiscopi magistri sui, IV. Nonas Iunij; sepelitur, more maiorum, in Basilica S. Leocadiæ, ubi virgo nata fuisse dicitur & educata; Gontericus eius Archidiaconus posuit ei carmen hoc;

Te tenet (alme Pater Felix) Leocadia virgo
Corpore, sed volitans spiritus astra tenet.
Nil tulit Hispanus gravius te, aut rectius Orbis,
Felix pastor eras, dum tibi vita fuit.
Iria, Toletum, patrem priùs Hispalis ipsa
* Al. Alloquio. Vidit, & * eloquio est sat recreata tuo.
Hæc postrema tibi dat Gontericus amanti
* Al. Testificata. Carmina, tristitiam * testificatq; suam.
Si possem lacrymis mercari, auriq; metallo
Mercarer, Felix, ne morere diu.
* Al. Eripeveris. * Afflictæ patriæ, senioq;, malisq; gravatus
Grande operæpretium plebibus unus erat.

Quas

Quas tamen à supera poteris statione levare,
Alphonso haud meritis, Helladioq; minor:
Gothica res (nisi fallor ego) minitata ruinam;
Eius & immensâ mole laborat opus
Da vires Gentiq; tuæ, Patriæq; faveto,
Carmen Isidori triste, micaxq; timet.

A ☧ Ω

Obijt sanctæ memoriæ Felix Pontifex & Archiepiscopus Toletanus, Hispanus Primas & Patriarcha, anno ultimo gloriosi Regis Egicanis, sub die IV. Nonas Iunij; Æra DCCXXXIIX. currente; Fuit eximius Poëta, magnus Concionator, & acerrimus defensor Fidei, cliensque B. Virginis MARIÆ.

Eligitur in sede Toletana Gontericus ex Episcopo Segontino, comes discipulusque Felicis, cùm fuit Archidiaconus Toletanus & Archipresbyter, ipso die S. Ioannis Baptistæ XXIV. die mẽsis Iunij, ponitur à suffraganeis & Palatinis in sede Toletana.

*Gothi destruunt Lacobricã [prope * Bursadã, hoc est Molinam] ubi Sertorius vicit Metellum & Aquilium Romanorũ Duces.* *Al. Vrsadam.

Hoc

Æ.739. C.701. *Hoc anno Egica Rex Gothorum moritur Toleti V. Idus Novemb. & sepelitur in Æde S. Leocadiæ Prætoriensi extra muros prope Tagum cum suis maioribus; succedit illi in Regno Vuisegothorum Flavius Vvitisa filius eius; consecratur, inungitur, coronatur (ut Imperatores solebant Constantinopolitani manu Patriarchæ eiusdem urbis) die Lunæ XVII. Kal. Sept. à Gunderico Toletano Pontifice præsentibus Episcopis, Metropolitanis, & Palatinis Toleti, urbe Romulea, hoc est Regia, in Æde S. Mariæ, quæ Alficen modò dicitur.*

Gundericus Toletanus Archiepiscopus cũ suis suffraganeis sacrat Ecclesiam S. Torquati Discipuli S. Iacobi, qui cum alijs comitibus fuit in Hispania missus ab Apostolis; Hæc una fuit ex septem, quæ Toleti remanserunt ex pactis cõvẽtis cum Mauris, & modò manent.

Æ.742. C.704. *Gunderico Toletano Pontifice, & Hispaniarum & Galliæ Gothicæ Patriarcha, & Faustino Hispalensi, cum alijs quatuor Metropolitanis, & multis Episcopis & Palati-*

latinis in Basilica Prætoriensi urbana SS. Petri & Paulli anno IV. Regis Flavij Vvitizanis VIII. Kal. Novemb. Conciliũ Toleti celebratur; ubi de Fidei custodia, & morum agitur reformatione per illos sanctissimos Pontifices zelo Fidei, & mirabili sanctimoniæ luce in tota Hispania fulgentes.

Gundericus Toletanus Præsul sapientia, prudentia & ut aliqui volunt, miraculorum gloria præclarus, valdè resistit libidini & petulantiæ Regis Vvitisæ scelestissimi.

Rex Vvitisa effrænatè præcipitans se per omne genus flagitij, legem tulit nequissimã, ut more Sarracenorum, cuilibet laico & clerico liceret, quotquot posset alere, uxores & concubinas impunè domi suæ retinere. Æ. 744. C. 706.

*Guntericus primùm blandè depravatæ legi Regis Vvitisani resistit, mox palàm publicis sermonibus, & interminatione * anathematis * feriendi deterret.* Æ. 745. C. 707.

* Al. anathemate.
* Al. ferendi.

Hoc anno IV. Kal. Ian. S. Pontifex Gũtericus ætate, malis, ærumnaque confectus, sanctè placidèque quiescit in Domino; sepeli-

litur in domo natali S. Leocadiæ Virginis & Martyris; lugentibus eum, tanquã Patrem & Lumen amissum, viduis, egenis, & orphanis effertur. Posuit illi carmen sepulcrale Sinderedus eius Archidiaconus, poëta non invenustus, quod hoc est,

Gunderice pater, viduis pes, lumen egenis;
Orphanus hoc omnis præsule læsus agit.
Nactus est, ô Genitor, scopulosa tempora vitæ
* Al. *Multùm.* *Heu, nocuit * multum consulvisse * boni.*
* Al. *Benè.* *Omnibus ipse malis exemptus in æthere gaudes,*
* Al. *Fert.* * Al. *Zeli.* *Atque ibi * sunt * zelo præmia digna * tuo.*
* Al. *Tui.* *Discipulus tibi dat carmen pro * more magistro,*
* Al. *Mole.* *Sinderedus amans; quod cape, quæso, libens,*
Esto memor nostri, Gentis memor esto Gothorum,
Rex Vvitiza diu regnet, & astra petat.

A ☧ Ω

Obijt sanctissimus Pontifex Gundericus in pace ætate confectus, annos natus LXXXV. Quarto Kal. Ianuar. Æra DCCXLVI.

Æ. 747. C. 709. *Succedit illi in sede Toletanæ Ecclesiæ sanctus vir Sinderedus, patria Romanus, sed in Ecclesia S. Mariæ maioris Toleta-*

næ

næ per omnes gradus & ordines uſque ad presbyteratum eſt evectus; ipſa die Circunciſionis Domini in Æde maiori S. Mariæ, præſente ipſo Rege Vvitiſane, Metropolitanis, & Epiſcopis & Palatinis præſentibus ſacratur, & cum gaudio recipitur.

Confirmavit hic Pontifex, quod Guntericus vivus fecerat, qui Moniales S. Benedicti longè ab Vrbe degentes in ſolitudine prope viam, quæ ducit ad Elboram, vel Talaveram, ad Vrbem tranſtulit in Æde SS. Petri & Paulli Prætorienſi; Hac per Gūdericum facta translatione ei favet Sinderedus honorans memoriam magiſtri & anteceſſoris ſui.

Hoc anno iubet Vvitiza civitates muratas muris nudari, arma deijci, præter Toletum, Legionem, Aſturicam, quòd ſibi perſuaderet in omni caſu ſibi fore fideles.

Conſtantinus Papa monet Vvitizam, ut legem abroget de ducendis uxoribus per Sacerdotes, alioquin eum regno privaturum; ille verò impatiens iræ, nihiloque melior factus minatur ſanctiſsimo Papæ ſe prope

diem Romam cum exercitibus aditurum, eamque captam spoliaturum sanctis suis ornamentis, ut olim fecerant maiores sui, vel * *dirruptam desolaturum.*

* Al. Diru-tam.

Concordius Toletanus Diaconus composuit Homiliã in laudem S. Toribij ex Monacho Benedictino Pontificis Palentini, quæ sic incipit, In nostrum.

Sinderedus Episcopus Toletanus iubente Rege Vvitisane malè tractatur per presbyteros sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, quia se flagitiosis Regis conatibus viriliter opponebat.

Vvitisæ consilio impulsuque Sinderedus Toletanus patitur, ut Oppas frater Vvitisanis (alijs est filius) Archiepiscopus Hispalẽsis, moribus nihilo Vvitisane melior, invadat, conspurcetque sanctissimam castissimãque, & immaculatam sedem Toletanã, quæ eò usque Viro legitimo cõsociata sponsa sanctissimè & felicissimè vixerat, nunc infeliciter Oppane construpatore.

Æ. 749. C. 711. *Rodericus Palatinus de Regio sanguine Gothorũ faventibus nonnullis gentis suæ & generis invadit Regnum contra Vvitisanẽ;*

ille

ille verò vel morbo, vel cæde Toleti descedit anno Regni sui X. die XX. mensis Decemb. exosus Deo, & hominibus tyrannus; sepelitur sine lacrymis in Æde S. Leocadiæ Prætoriensi in Urbe.

Sinderedus nolens ferre vim & tyrannicam oppreßionem Oppanis intrusi, metuq; sacrilegiorum irruentium relicta sede Toletana Romam petit.

Succedit in sede Toletana Sinderedo Romã profecto Archiep. Tolet. XXII. die eiusdem mensis, qui fuit Dominica, Suineredus præsente Oppane, Rege Ruderico, & Episcopis & Palatinis.

Rex Rudericus in principio Regni sui lege lata legem Vvitisanis de Clericis uxorandis & alendis secum pluribus uxoribus abrogavit, & Oppanem de Ecclesia Toletana depulit.

Cavã Florindã filiã Comitis Africæ limitanei Iuliani violat. Arabes Hispaniã adeũt.

Seniores Ecclesiæ Tolctanæ mortuo Suineredo Iulianũ, cognomẽto Vrbanũ, Toletanæ sedi præficiũt ætate confectum, discipulũ S. Ildephõsi Toletani. Æ. 750. C. 712.

G 2 Coa-

Coacta Londini in Anglia Synodus pro sacrarum imaginum defensione, ut Synodus Constantinopolitana prima.

Æ.751. C.713. *Synodus Romana prima pro defensione sacrarum imaginum.*

Æ.752. C.714. *XI. die Novemb. & Dominica Rudericus ultimus Gothorum Rex, curru subvectus eburneo trahentibus sex candidissimis equis, serico auroque venustus, à Sarracenis prælio victus est post octo dies per varios ancipitesque bellorum casus; & ex eo tempore paullatim venerat Hispania in minus Arabum victoria insultantium & grassantiũ.*

In Vettonia oppido Sarandulæ ad montem quendam à primis Christianæ Religionis incunabulis templo quodam S. Salvatoris celeberrimo multi ex varijs partibus cõfugiunt Pontifices, qui plebes eò confugientes docebant, & è Sacramentorũ edulijs nutriebant, & à Mauris obsessi cùm sacris operarentur, servata in puteo profundo sanctissima Eucharistia omnes necati sunt; erant ex eis Cauriensis, Elborensis, Civitatensis, Salmanticensis, Vicensis, Lamicen-

censis, & non pauci Sacerdotes, & Diaconi sanctissimi.

Hoc anno Imperator Constantinopolitanus Anastasius coactus imperio se abdicauit XIV. Kal. Septemb. Æ. 753. C. 715.

Per hæc tẽpora S. Babylas Episcopus Vironensis & Pampilonensis (utrobique enim prædicavit) animo videndi captivos & miseros Muzarabes Toletum venit, & inde ad Odonem oppidum & propè in eremitoriolo pueros docet primas litteras, & venit cũ duobus fratribus, qui fiunt Eremitæ, & posteà omnes martyrium patiuntur.

Hoc anno Iulianus, cognomento Vrbanus, cum Principe Pelagio, alijsque Ducibus Palatinis Toleto in Asturias comportant arcam sanctarum reliquiarum, & corpora S. Iuliani, & Compluto Asturij, cognomento Serrani, sanctissimorum olim Episcoporum Tolet. metuentes ne * *captivitate per Sarracenos illa irreverenter & impiè tractarentur.* Æ. 755. C. 717.

* Al. Capta civitate.

Eodem etiam anno mensis Iulij, die IV. quidam de genere S. Ildephonsi primi nobiles- Æ. 756. C. 718.

lesque Palatini, qui putaverant aliquando posse Toletum defendi, ac ob id detinuerant eius ad Asturias translationem, iam defensione * defici videntes, effodiunt corpus sanctissimi consanguinei * lucis & Patroni Toleti, & ad Urbem Zamorã efferunt, ibique cum thesauro cælesti remanent, & illis morientibus memoria corporis excidit.

* Al. Deficiente.
* Al. Civis.

Æ. 757. C. 719. XXV. die mensis Maij festo S. Vrbani Papæ & Martyris, feria sexta occupant Arabes Toleti Vrbem sub ea pactione, ut septem Ecclesiæ remanerent pro Christianis Muzarabibus ibidem manentibus cũ gravi etiam tributo.

Æ. 760. C. 722. Sinderedus olim Archiepiscopus Toletanus interfuit & confirmavit quoddam Cõcilium Romanum sub Gregorio Papa II. nec multò pòst Romæ grandævus moritur dolore confectus malorum Hispaniæ, ac in Basilica Petri sepelitur.

Florebat civitas Granata, quæ & Illiberris, & Florentinum municipium.

Æ. 762. C. 724. Beda Anglosaxo Monachus Benedictinus floret.

Ioan-

Ioannes Mansur Damascenus, Vir doctus & pius.

Synodus Orientaliũ contrahitur in Tyro pro defensione sacrarum imaginum Ioãnis Damasceni opera. Æ. 763. C. 725.

Hoc anno habita est S. Æcumenica Synodus Romana cõtra Hæreticos Iconomachos. Æ. 764. C. 726.

Flavius Eutychius Patricius succedit in officio Paullo Exarcho Ravennatum; fuit vir egregius & præstans. Æ. 765. C. 727.

Toleti celebris est memoria SS. Iusti & Abundij sub Numeriano in Bætica passorũ, à tempore sancti Doctoris Isidori, qui illos eleganti hymno decoravit.

Synodus Constãtinopolitana cõtra Imagines. Æ. 767. C. 729.

Gregorius II. obijt Romæ III. Idus Februarij. Æ. 768. C. 730.

Gregorius III. succedit in sede Petri Gregorio II. Æ. 769. C. 731.

Synodus collecta Augustæ in Germania à S. Bonifacio. Æ. 770. C. 734.

Theodorus XLIV. Episcop. Mediolanẽs. & S. Bonifacius Archiep. Mogũtinus floret. Æ. 772. C. 736.

Vvilicarius primus Archiepiscop. Viennensis celebratur.

Æ. 778. C. 741. *Gregorius III. obijt IV. Kal. Decemb. Leo Imperator obijt Constantinopoli XIV. Kal. Iulij.*

Æ. 779. C. 742. *Zacharias Monachus ex presbytero Cardinali creatur Papa Kal. Decemb. consecratur III. Non. Decemb.*

IV. die Octobris moritur Toleti sanctus Iulianus cognomento Vrbanus, Vir pius, doctus, & excellentis spiritus; nec multò pòst S. Evantius Archidiaconus.

Æ. 782. C. 744. *In Carpetaniæ finibus multæ Virgines Moniales Benedictinæ, ne violarentur à Mauris à Deo consecutæ sunt, ut à terra absorberentur, quædamque campanula statutis diei horis, qua vocante veniebant ad preces, auditur.*

Hoc loco nonnulli ponunt Suineredum: undecim annos ab eo dicunt gubernatam S. Ecclesiam Toletanam in miserrimo temporum, & rerum afflictarum quodam successu.

In Carpetania, tractuque Aurelianensi S. Veranius exsulat, Episcopus Tarraco-

conensis; colitur XIX. Octobr.

Pelagio divinitùs in spelunca liberato succedit filius Fafila; Fifilæ verò Aldephõsus Catholicus gener.

Petrus cognomento Pulcher regit Ecclesiam Toleti post Concordium, & priùs alios annos quinque. Fuit hic Scriptor nobilis, & acerrimus Fidei defensor. Æ. 784. C. 746.

Hoc tempore scribit etiam Toleti iã ætate ingravescente Diaconus Iulianus Lucas, qui de rebus Hispaniæ libros edidit. Æ. 786. C. 748.

Etiam florebat Toleti sanctißimus Vir Frodoarius Episcopus Accitanus, & Ioannes Episcopus Hispalensis, qui sacras Scripturas de Latino transtulit in Arabicum, quæ iam in Hispania valdè vulgaris erat; in exigua fuit usu lingua Latina.

S. Papa Adrianus scribit ad Egilanem Episcopum Illiberritanum ex Abbate Monasterij Agaliensis Toletani.

S. Vrbicius apportat corpora SS. MM. Iusti & Pastoris intra Vrbem Complutum, [id est Guadalfaxaram] in Campo laudabilius, ubi priùs sepulta fuerant, & reperta di-

vina revelatione ab Asturio Serrano, trãslata primùm in Galliam, deinde prope civitatem Oscam.

Egilæ Abbatis Agaliensis & Episcopi pòst Illiberritani Toleti celebris est memoria. Hic in Vrbe Tadera, seu Secura natus.

Sub Egila floruit Toleti Venãtius Monachus, qui fecit homiliam S. Adelphi Toletani Pontificis, quæ falsò ascribitur Petro Episcopo Ravennati.

Passus est Ledesmæ, quæ Latinè Bletissa *dicitur, S. Nicolaus, puer undecim annorum, dictus cùm erat Sarracenus, nomine patris, Hali Alcamanis, Sarraceni Reguli filius, Galafri Regis Toleti frater, Galianæ coniugis Caroli Magni patruus, & cum eo duo presbyteri Muzarabes Christiani Nicolaus & Leonardus pridie Kal. Novemb.*

Æ. 790. *Cixilla Petri Pulchri Archidiaconus fit*
C. 752. *Toleti Pontifex; præest annos XXI. sub Iuzeph & Abderraman Regibus Toleti.*

Æ. 794. *Hoc anno delatũ est corpus S. Leocadiæ*
C. 756. *Toletanæ Civis, & Patronæ Toleto Ovetũ*

per

*per Argerium Abbatem Agalienſem, & Petrum Abbatem S. Leocadiæ, & Andream Muzarabem Aben-Lupi * Ficulnei, & alios Viros Toletanos primores.* * In aliįs abeſt hæc vox.

Sub hoc tempus venit Toletum Carolus Magnus ſub Rege Galafrio, eiuſque filiam Galianam Chriſtianam factam à Cixillane Pontifice Toleti, duxit uxorem, pro qua ſingulare certamen inivit cum Bradamantio Regulo Complutenſi, [vel Guadalfaxaræ] vaſtæ molis torvique vultus Gygante, quem in prælio victum interfecit. Æ. 809. C. 781.

S. Vrbicius S. Baſardi Abbatis Benedictini diſcipulus in valle Nocita floret; colitur Kal. Novemb.* * Al. Baſſarij.

Toleti conditum eſt templum S. Thyrſi Vernulæ Chriſti, Civis Toletani, paßi Apolloniæ in Græcia, prope Mezquitam maiorẽ, conſecratum quod eſt à Domno Cixillane Archiep. Tolet. cum magno periculo.

Abdalà primus Rex Securæ mirificè floret opibus & fama.

Petrus Abbas Agalienſis Toleti in pretio habetur.

Celeberrimus habebatur in Hispania Cixilla, qui anno DCCLXXVI. cõtraxit Cõcilium Toleti ex mãdato litterisque Adriani Papæ contra Egilanem Episcopum Illiberritanum nolentem die Sabbati à carnibus abstinere; concurrunt ad Concilium ex omnibus Hispaniæ partibus.

Æ. 820. C. 782. *Helipandus Archidiaconus Cixillanis Põtificis Toletani succedit in sede Patriarchali Toleti pro domno Cixillane Magistro suo, ad annos DCCCX. præest.*

Hic mala persuasione Felicis Vrgelitani Pontificis, magistri sui labitur in fœdum de Adoptione Christi errorem, sed epistolis Adriani Papæ, & Caroli Magni, Pipini Francorum Regis filij, ad mentem & verũ sensum Ecclesiæ redijt.

Florebat Toleti Ioannes, Presbyter doctus & sanctus, ad quem misit litteras Adrianus Papa Romensis hoc tempore.

Muzarabes Toletani graviter premũtur à Mauris, impositis novis vectigalibus hoc anno.

Cùm fui Lugduni, ex convictu cum Viris

*ris Tabularijs eius Ecclesiæ cognovi duos fuisse Genesios Episcopos, alterum seniorem ante CC. circiter annos, vel saltem * CL.* *Al.CXL.
*alterum, qui paullò * pòst cesserat, dictum* * Al.*priùs.*
Adalardum, consanguineum Caroli Magni, qui Monachus Benedictinus maluit quietem quàm negotia.

Hic ipse interfuit Concilio Francfordiensi, & non accessit errori Gallorum & Germanorum asserentium sacras Imagines habendas, non colendas, cōtra quam senserunt omnes Doctores Hispani.

Magia per Dæmones Toleti docetur in spelunca, quam dicunt Herculem condidisse, inde divulgari cœpit per Hispanias, & dicitur Scientia Toletana.

Catholico Regi succedit Froila, Froilano Aurelius, Aurelio Silo, Siloni Alphōsus Castus, huic Mauregatus.

Silo Rex mortuus est, sepultusque Praviæ in templo S. Ioannis Baptistæ, quod ipse condiderat.

Siloni succedit solus in Ovetēsi Regno Al- Æ. 821.
phonsus Castus, Vir extrenuus, & pudicitiæ C. 783.
studiosus.

Mau-

Mauregatus patruus Alphōsi Regis, Vir spurius, contra Regem Alphonsum rebellavit periculosè.

Æ. 823. C. 785. *Castro Octaviano prope Barcinonem S. Maria, Ioseph, Victor, & Theodorus sancti Dei.*

Hoc anno Helipādus Toleti Pōtifex miserat legationem ad Carolū Magnū, & librū, à quo petit vehemēter eum legi faceret.

Æ. 824. C. 786. *Toletani gravissimè ferunt iugū Maurorum.*

Æ. 825. C. 787. *Synodus Vniversalis II. Niceæ habita CCCL. Episcoporū cōtra Hæreticos Iconomachos congregata, in qua interfuit Pātaleo Episcopus Valētinus ex Hispania, & Theodorus presbyter Badæ prope Carthaginem Spartariā, nunc vocata est, Baga, olim dicta Thiar; interfuit etiam Nicephorus presbyter S. Mariæ de Columna Ecclesiæ Cæsar-Augustanæ, & Agapius S. Thyrsi monasterij Toleti Abbas pro Domno Helipando Pontifice Toletano, eiusque Vicarius.*

Hoc anno moritur degener Rex Mauregatus ex æquo cælo suisque exosus; sepelitur

tur verò Praviæ; & Abderraman Maurorũ Imperator moritur Cordubæ post annos XXIX. Imperij Sarraceni.

Hoc tempore Suleiman Rex Toleti, fit etiam Rex Cordubæ; succeditque imperio Machumetano totius Hispaniæ patri suo Abderraman ipse natu maximus.

*Moritur admodùm senex Turpinus post triginta annos, qui scripsit * graviter Vitã Caroli Magni, posuitque eum * Gregorius Papa pro sancto Rigoberto.* * Al. gnaviter. * Al. Hadrianus.

Paullus Diaconus, Eginartus, & Albinus Alcuinus Scriptores Ecclesiastici, & Monachi florent. Æ. 828. C. 790.

Adrianus Papa Synodũ contrahit Frãcfordiæ. Æ. 832. C. 794.

Helipãdus Archiepiscopus Toletanus hoc anno Toleti Synodum contrahit petitione S. Regis Caroli Magni, & hortatu Gomesindi Archidiaconi Toletani discipuli sui, & Lupi Viri Muzarabis Toletani primarij XIII. die mens. April. die Dominico, in die festo S. Hermenegildi Regis & Martyris, apud S. Iustæ Secretarium; ad quam Æ. 833. C. 795.

convenerunt multi Episcopi & Abbates, & coram illis dixit Helipandus se stare determinationi S. Ecclesiæ Romanæ circa determinationē negotij de Adoptione CHRISTI, *in qua deceptus fuit, idque cum lacrymis tā suis, quàm aliorum.*

Peracto Concilio egit gratias Helipandus, scripsitque S. Pōtifici Adriano, qui vehementer gavisus, illi gratulatur; misitque Helipandus multos libros Gothica manuscriptos ad Carolum.

Æ. 834. C. 796. *Defuncto Papa Adriano succedit illi Leo III. Papa.*

Æ. 835. C. 797. *Constantinus Imperator coactus est ab Irene abdicare, quæ regit Imperium cum multa laude.*

Æ. 837. C. 799. *Corpus S. Iacobi Zebedæi filij, quod ubinam tumulatum iaceret multos annos penitùs ignorabatur, à Theodomiro Iriensi Pōtifice divinitùs patefit.*

Venerunt in auxilium Regis Alphonsi, cognomento Casti, quidā Duces, Comes Cenomanensis, Rolandus frater Abelardi, cognomento Genesij, Anselmus Comes Palatinus,

nus, qui postulaverunt corpus S. Leocadiæ Virginis & Martyris Toletanæque civis, Toleto delatum Ovetum, & Rex non potuit ullo modo negare; delatū est ad Vrbem Suessionum, & post centum annos à quodam Comite Montis Henao in Hannonia Suessionibus ad Cellense Monasterium S. Gisleni Episcopi & Confessoris.

Hic annus felix fortunatusque fuit Orbi quidem Christiano, Carolo Magno regente Romæ Imperium Occidentis. Æ. 838. C. 800.

Collecta est in Germania Synodus Salisburgensis. Æ. 839. C. 801.

Moritur Constantinopoli S. Patriarcha Tarasius, acerrimus Fidei defensor V. Kal. Martij. Æ. 844. C. 806.

Hoc anno contrahitur Synodus ad Villā Theodonis.

Notingus Episcopus hac tēpestate floret. Æ. 845. C. 807.

Hoc anno Helipando Archiepiscopo Toletano, Viro prudenti, humili, ac in zelo Fidei Catholicæ ferventi, sanctè mortuo, sufficitur Archidiaconus eius Gumesindus; ipse verò cum pauperum, & vi- Æ. 846. C. 808.

duarum lacrymis ſepelitur in Eccleſiæ S. Iuſtæ Secretario.

Gumeſindus ſucceſſor ac diſcipulus illi poſuit ex more Gothico carmen ſepulcrale.

Hoc anno Comes Sueſſonenſis ab Alphōſo impetrat corpus S. Leocadiæ, defertque Oveto Sueſſonem.

Æ. 847. *Hoc anno habetur in Germania Synodus*
C. 809. *Aquiſgrani.*

Æ. 853. *Multi ex Hiſpania, præcipuè Toleto ex*
C. 815. *Muzarabibus, preſſi iugo Sarracenorum, quæſitis occaſionibus clanculùm, ut poſſunt, ad Gallias confugiunt.*

Æ. 855. *Hoc anno cogitur in Germania Synodus*
C. 817. *Aquiſgranenſis.*

Æ. 856. *Carthagine Spartaria habetur in pretio*
C. 818. *memoria S. Abbatis & Epiſcopi Abelardi cognomēto Geneſij, ex genere Caroli Magni Imperatoris, qui pòſt ibi fuit.*

In honore præcipuo habetur per Hiſpanias Epiſtola Catholica S. Iacobi Zebedæi filij, quā ſcripſit Duodecim Tribubus per Hiſpaniam diſperſis; quod ex Apoſtoli Iacobi diſcipulis acceperunt poſteri; ab ijs ſanctus

Me-

Melantius usque ad hæc tempora; Hinc Dexter, Maximus, Isidorus collegerunt, & habetur in Missa S. Iacobi ab eius discipulis incepta, à Melantio, & ab alijs aucta, ubi citantur testimonia huius Epistolæ, tanquam Iacobi Zebedæi; Quæ Missa toti Hispaniæ & Galliæ Narbonensi communis fuit; quam videre non potuit Eusebius Cæsariensis, & ideò Ierosolymitano Iacobo, ut notiori, illam attribuit.

Hoc tempore Nicander Poeta Hispanus Toleti floret.

Erthinodus Monachus Gothus Augustinianus in Cislæ Toletano Monasterio huius Ordinis, ut Martyr in pretio habetur.

S. Stephano V. succedit in sede Petri Paschalis.

Gratiosus Episcopus Ravennas XLIV. multùm floret. Æ. 858. C. 820.

Dum S. Abelardus, cognomẽto Genesius, erat in exsilio apud Carthaginem Spartariam in Insula Ero (nunc Grossa *dicta) multis ultrò citròque missis litteris se consolantur ipse, Gumesindusque Toletanus* Æ. 864. C. 826.

Archiepiſcopus, qui ex eodem erat genere & gente progenitus.

Æ. 866. C. 828. *A Machometo Toleti Rege ædificatur mirus pons ſuper Tagum ad columnam S. Leocadiæ Prætorienſis.*

Æ. 868. C. 830. *Gumeſindo Archiepiſcopo Toletano ſuccedit in ſede Vuiſtremius Archipresbyter Toletanus, Vir ſanctus, pius, & in pauperes egregiè propenſus; ſedet annos XXIIX. ſub Gubernatore Civitatis Toletanæ Ambrozio.*

Æ. 870. C. 832. *Erigitur Toleti Academia Philoſophiæ, Medicinæ, & Aſtrologiæ, eò concurrentibus Hiſpaniæ doctiſsimis.*

Æ. 874. C. 836. *In territorio Zamorenſi oppido Alburgenſi floret opinione raræ ſanctitatis Seculina Virgo Benedictina.*

Æ. 876. C. 838. *Alvarus & Iſidorus fratres S. Eulogij, qui pòſt fuit electus Archiepiſcopus Toletanus, ad Boioariam exſulant.*

Æ. 878. C. 840. *Theodomirus Monachus Benedictinus Epiſcopus Calagurritanus Claudio Taurinenſi Epiſcopo ſcribit.*

Æ. 882. C. 844. *Hoc anno fit Iudex Muzarabum Gun-*

de-

dericus Toleti, Vir pius, iustus, & Deum valdè timens.

Martinus Marini Romani Papæ frater floret in Gallæcia. Æ. 884. C. 846.

S. Alvarus socius S. Eulogij mirificè floret Cordubæ.

S. Fructuosi memoria celebris habetur apud Ligures.

Contra Claudium Episcopum Taurinēsem Iconomachum scribit S. Vvistremirus Archiepiscopus Toletanus.

S. Blasius Episcopus & Martyr, qui in Hispania apud Centumfontes oppidum Celtiberiæ passus est tempore persecutionis Neronianæ anno LXVII. miraculis celebris micat. Æ. 886. C. 848.

S. Anacirardus Eremita ex Germania venit in Lusitaniam, & in ripa fluminis Tagi, prope civitatem Scalabim sanctè degit, & reversus in Italiam nō procul à Lacu Tigurino vulneribus confectus martyrizatur IV. Februar. Æ. 888. C. 850.

Patitur Cordubæ Rudericus Presbyter, & Salomon domo Lusitanus prope Vrbem Æ. 895. C. 857.

di-

tam in Bætica Tuccim *veteribus, alijs* Tossina.

Hoc anno Vuistremirus Toletanus Primas iubet deponi Samuelem Episcopum Illiberritanum propter nefandam vitam; quod exsequitur David Archiepiscopus Hispalēsis; Toletanus suffecit illi Geruasium.

Hoc anno sufficitur per Toletanū Vuistremirū defuncto Episcopo Vrcitano (Vrci nunc * Portella *) Genesius, aliàs Abelardus, sive Abdalardus, aut Aibailardus, Episcopus qui fuerat Lugdunensis in Gallia, Vir sanctus, Milonis cognomēto Bernardi filius, frater verò Rolandi Ducis Palatini.*

* Al. *Portelia.*

Vuistremirus, Vir sanctus, qui vocabatur à S. Eulogio Facula Spiritus sancti, *Domo Toletanus, ex ipsis eius Vrbis Muzarabibus natus, senio confectus moritur; sepelitur in Æde S. Iustæ; Archidiaconus illius Bonitus posuit sepulcrale carmē, & hoc*

OBIIT IN PACE S. VIR VVISTREMIRVS XXXI. DECEMB.

A ☧ Ω

Eli-

Eligitur in Concilio Episcoporum Toleti S. Eulogius, qui antequàm veniret, fit Martyr. Æ. 896. C. 858.

Bonitus Archidiaconus S. Ecclesiæ Toletanæ eligitur Toletanus Pontifex: Hic dicitur ivisse ad patriam suam Claramontẽ Arverniæ, & ibi mansisse donatus veste cælesti à B. Virgine MARIA; *& Toleti scriptis litteris ad Sampsonem Cordubensem, ipse eum absolvit.* Æ. 897. C. 859.

Leander XXXVI. Abbas Agaliensis floret.

Iulianus succedit in sede Toletana S. Viro Bonito, qui fuit doctus, ut illa tempora ferebant; Synodum coëgit. Æ. 900. C. 862.

Iuliano succedit Petrus, Vir pius, coëgit Synodum. Æ. 903. C. 865.

Succedit Petro alter Petrus in sede Toletana, Vir bonus. Æ. 904. C. 866.

Floret memoria S. Crescentis in Galatia & Vienna, ubi fuit Episcopus.

Floret in Mõte Serrato S. Ioannes Guarinus Eremita.

Sub id tempus Dulcidius presbyter To- Æ. 907. C. 869.

le-

letanus ex Berta Osorij Gunderici sorore frater Desiderij presbyteri, Orator Regis Leonis ad Imperatorem Cordubæ.

Hoc anno fit translatio reliquiarum S. Obduliæ Palma Toletum.

Toletum fertur Indiculus Luminosus, quem S. Bonitus scripsit Cordubæ.

Obijt Cordubæ S. Vir patricius Alvarus IV. die mensis Maij.

AE. 920. C. 882. *Marinus Columbi filius, matre Hispana, ex Gallæcia, ex Diacono Cardinali cõsecratur Papa.*

AE. 921 C. 883. *Habebatur pro Martyre in Hispania Rholandus, Comes, cuius fuit pater Milo de Angleris, cognomento Bernardus, Levir Caroli Magni; qui Milo cum filio Abelardo cognomento Genesio, venit in Hispaniã, & rectè iuvit Alphonsum Castum Legionis & Oveti Regem Catholicum, & detulit corpus S. Leocadiæ Suessones, ut refert Nithardus Nepos Caroli.*

Selva Abbas Agaliensis Toleti mirificè floret.

AE. 928 C. 890. *Ioannes Episcopus Toleti IX. mẽsis sedet.*

In

In oppido Prunis, vel Prussæ in Carpetania Raimundus pastor Metelinensis Lusitanus, mirus in pauperes, sanctus floret.

Ioanni Toletano succedit in Sede Bonitus II. Vir egregiæ mentis, & satis prouidus in pauperes & suos. AE.929 C. 891.

S. Ostianus Episcopus Aucēsis in Hispania interfuit Concilio Ovetensi, moritur in tractu Vivariensi XXX. Iulij, relatus inter Sanctos in Catalogo numeratur. AE.933 C. 895.

*Cordubenses Muzarabes * ædificant intra Vrbem Templum, dubiumnè Genesio Martyri ibidem passo in persecutione Imperatoris Neronis, an Abelardo cognomento Genesio, consanguineo Caroli Magni, Episcopo Abbatique glorioso.* *F. reædifican.

Marinus & Romanus natione Gallæci mittuntur a Ioanne Papa ad Alphonsum Regem Legionis & Oveti. Æ. 934. C. 896.

Prunis in Carpetania moritur S. Raimūdus pastor, Vir Pius, Simplex, Mansuetus, Largissimus in pauperes. Æ. 938. C. 900.

Bonito de vivis sublato sufficitur in Sede Toletana Patriarchali Archidiaconus Æ. 94. C. 902.

eius Servus-Dei nominatus opere & nomine; qui librum scripsit, Quod Filius Dei CHRISTVS videt in cælo faciem Patris; *sedet annos VII.*

S. Luciani Pontificis & Martyris, comitis S. Dionysij Areopagitæ ossa Bellovaco translata sunt ad Vrbem Vicensem; alij putant Leuciani Reguli Carpetanorum Corpus, paßi cum Quiteria, cũ corpore S. Martiani allatum.

Opinio fuit in Hispania prædicasse Iacobum Evangelium à fratre Ioanne nondum scriptum, & ut docet Chrysostomus, Clara divinitatis dicta *Orbi prædicasse.*

Corpus S. Levitæ Vincentij, non Agennensis, Valentia delatum per quosdam, nunc servatur in Algarbio.

Æ. 943. *Duæ Rhemenses Synodi de diversis re-*
C. 905. *bus collectæ.*

Æ. 948. *Horontius Episcopus Tolet. XIX. annos*
C. 910. *sub Abderraman & Almansore Toletum gubernantibus.*

Æ. 952. *Horontius congregat Toleti Concilium*
C. 914. *Episcoporum.*

Rhe-

Rhegino Abbas Prumiensis Benedictinus Historicus. Æ. 954. C. 916.

Ægidius Tusculanus Episcopus, Ioannis Papæ Legatus Apostolicus, Polonos ad Fidē Christianam convertit. Æ. 956. C. 918.

Obijt Vir sanctus Rudesindus Kal. Martij; sepelitur Dumij.

Rodulphus Burgundio contra Berengarium Imperatorem creatur Imperator; durat in Imperio annos IV. Æ. 962. C. 924.

Christiani Muzarabes miseris modis à Sarracenis tractantur eo tempore, quorum odium id declarat. Æ. 964. C. 926.

Floret S. Eugenia Virgo & Martyr, quæ in territorio Cordubensi, Vrbe Vtica (nunc Marmolejo*) passa est anno 923. patribus Cordubensibus Christianis decollata, & Christiani Muzarabes ob memoriam martyrij, posuerunt Epitaphium versibus acrostichis.*

Thecla Virgo Benedictina floret Cōchæ Camporum. Æ. 968. C. 930.

Hoc anno corpus S. Cyriaci pueri repertum est à quodam bubulco; quod ad Gal- Æ. 969. C. 931.

lias ab Hispanis pijs allatum fuit.

Æ.970. C. 932. *Basilius sedet in Sede Toletana annos XXIII. Vir probus.*

Hoc anno Rex Toleti Mezquitã maximam amplificat.

Basilius scribit ad Silvanactum & Floresindum Presbyteros.

Marinus Diaconus Hispanus è Gallatia veniens mittitur à Ioanne Papa ad Præsulem Toletanum, qui libros Gothicos Missales, Breviarios, Sacramentales, Oratorios examinans, catholicos invenit.

Æ.974. C. 936. *Basilius Toleti Concilium contrahit, quo providetur, ne Christiani detrimentum acciperent convictu Sarracenorum.*

Æ.975. C. 937. *Ioannes Servus-Dei succedit in Sede, annos X. sedet.*

Sub hoc & in hoc anno multi Martyres passi sunt in Hispania; & nonnulli degeneraverunt a Fide, qua de re exstat Epistola elegantissima, zelo & fervore Fidei plena, quam scripsit S. Ioannes Servus-Dei Toletanus Primas ad omnes Hispaniæ Mu-

Muzarabes, ut Primas & Patriarcha totius Hispaniæ.

Celebratur memoria in Hispania S. Agathangeli passi cum S. Clemente Ancyrano Episcopo: Fuit Agathangelus patre Romano, natus Ilici in Hispania.

Bletissæ florebant corpora trium SSS. Pastorum.

Ioannem Servum-Dei, cùm ego essem Toleti Subdiaconus, cognovi, & ut Virum Sanctum & spiritu Dei ferventem expertus fui; qui scripsit Epistolam, quæ incipit: Multorum relatu. *scripsit & ad Marinum, antequàm esset Pontifex Toletanus, responditque ei Marinus Papa missis etiam litteris amoris & benevolentiæ plenis.* Æ. 982. C. 944.

Obijt sanctus Pontifex Toleti Ioannes cognomento Servus Dei, & sepultus est in Ecclesia S. Lucæ Evangelistæ. Æ. 985. C. 947.

Succedit in Sede Patriarchali Visitanus, Vir magni consilij & raræ pietatis in omnes afflictos Muzarabes.

Sy-

Æ. 986. C. 948. *Synodus Ingelbermensis in Germania XXXI. Episcoporum.*

Æ. 988. C. 950. *Berengarius Rex Italiæ iunior hoc anno creatur.*

Æ. 989. C. 951. *Concilium habitum in Hispania in Vrbe Cæsar-Augustana, dictum vulgò Augustanum, XXV. Episcoporum.*

Nunilo & Alodia hoc anno patiuntur, me vivente in Castro Vergeti, id est, Castellon, in Castris Vinariis in Batestania.

Æ. 991. C. 953. *Adelgarius Bremensis Archiepiscopus, sedis Apostolicæ Legatus, virtute, doctrina, & religione multùm floret.*

Æ. 993. C. 955. *Agapeto Pontifici succedit in sede Petri Ioannes XII.*

Æ. 995. C. 957. *Concilium coactũ hoc anno in Vrbe Ravennate.*

AE. 996 C. 958. *Concilium Ingelbermense Episc. XVI.*

AE. 998 C. 960. *Smaragdus, Serlo, & Fridegodus Angli Monachi, Viri moribus egregiis præstantes, Theologi insignes.*

Vitæ quædam, quæ adduntur Chronico de Viris illustribus Ildephonsi, cõpositæ sunt a Felice Toletano Archiepiscopo, quæ inci-

cipiunt; Quamvis ſeperiùs plurimi, &c. *ſcripſit duodecim vitas Sixti Pontificis Romani,* Macrobij Diaconi, Philaſtrij Brixienſis Epiſcopi, Theodorij Mopſveſtenſis Epiſcop. Tyrãnij Ruffini, * Vergundi Vticenſis in Africa Epiſcopi, olim Archipreſbyteri Toletani, Victorini Epiſcopi Legionenſis, Idacij Lamicenſis Epiſcopi, Euſebij Dorolitani Epiſcopi, Cerealis Caſtulonenſis, Ferrandi Carthaginis Africæ Diaconi, Petri Ilerdenſis Epiſcop. & Marcellini ſchiſmatici Presbyteri.*

*Nicolai in M.S.

* *Verecundi* in M. S.

S. Iulianus ſcripſit vitam S. Ildephonſi.

Felix præterea ſcripſit vitam S. Iuliani Toletani Epiſcopi, idemque adiecit Chronicon, quod ſic incipit, In nomine Domini: *Incipit Chronicon illud; quod ſanctus Iulianus compoſuit,** Vnctus eſt Vvitiſa; *alij tribuũt Gunterico. Nihil de Additione certi hactenus reperitur.*

* Al. *natus*.

S. Godina, S. Gervatius in Luſitania obijere hoc anno, illa I. die Octobris, ille eodem die.

Celebris eſt in Edetanis memoria S. Angli-

glinæ, quæ cum alijs martyrium passa est Valentiæ XXI. Octob. in persecutione Diocletiani.

Belascus Episcopus Albigensis, scripsit vitam Salvij Abbatis & Episcopi Albigensis, eius discipulus, ad cuius pedes iacet.

Scripsi ego vitam S. Petri Episcopi Compostellani, cognomento Monsonij, Itali Martyris.

*Multas habet dypticas Ecclesia Hispanorum, in primis cognitæ sunt Toletanæ, quæ in tempore captivitatis habet illud quod aliæ omnes ab anno CCCLX. pro spiritibus * pausantium SS. Episcoporum Hilarij, Athanasij, Martini, Ambrosij, Augustini, Fulgentij, Leandri, Isidori, David, Iuliani, Petri, item Petri; à Felice usque ad Iulianum post Bonitum III. ponuntur Episcopi, qui maximè iuvant * rem Hispanam, sicut Hilarius Pictaviẽsis Episcopus, Athanasius Alexandrinus, Martinus Turonẽsis, Ambrosius Mediolanensis, Augustinus Hipponensis, Fulgentius ex Carthagine Spartaria Astigitanus, Leander, Isidorus, Da-*

* Al. *pace*, sive *in pace*

*Al. Rémp.

David, Iulianus Hispalensis, Iulianus Toletanus Doctor, Petrus Illerdensis, Petrus Pulcher, idque more Græcorum, qui in principio Diptychorũ Episcopalium aliarũ Ecclesiarum præmittebant aliquos insignes Pontifices, cum quibus eorum Ecclesiæ Antistites aliquando communicaverant, id etiã fecere Episcopi Æthiopes.

Solus Toletanus, ut Primas Hispaniæ, habuit olim ius pallij in Hispania.

Etiam in media captivitate semper servata est obedientia & reverentia ab Hispanis Pontificibus Toletano Pontifici, ut Patriarchæ, & totius Hispaniæ iam inde à principio Ecclesiæ Primati.

Durabant meo tempore in campo Toletano vestigia Romanorum ædificiorum.

D. THOMÆ TAMAIO DE VARGAS,

ABVLÆ-CARPETANI,

PHILIPPI IV. MAGNI

HISPANIARVM ET INDIARVM REGIS

HISTORIOGRAPHI,

ET IN SANCTIORI ORDINVM EQVESTRIVM CONSILIO

ADMINISTRI

NOTAE

IN LVITPRANDI, ſive EVTRANDI

CHRONICON.

M.F. QVINCTILIANVS HISP. CALAGOR.

Lib. V. Inſtit. Orat. Cap. XIII.

Non ſine cauſſa difficilius ſemper eſt creditum, quod Cicero ſæpè teſtatur, defendere, quàm accuſare. *Nam, (ut quod ſentio, ſemel finiam)* tanto eſt accuſare, quàm defendere, quanto facere, quàm ſanare vulnera facilius.

D. THOMÆ TAMAIO DE VARGAS, HISTORIOGRAPHI REGII,

NOTÆ PROOEMIALES IN LVITPRANDVM.

Vbi de eius nominibus, ætate, muneribus publicis, & scriptis edissertatur.

CHRONICON *Eutrandi, sive Luitprandi, &c.*] Sic titulus iste in M.S. Toletano, è quo Chronicon excerpsi, concipiebatur: Placuit tamen, quem in primo limine præfixi, verbatim ad examen vocare.

LVITPRANDI] Sic vocant qui hactenus illius opera ediderũt. I. Ascensius Badius anno 1514. Iustus Reuberus I.C. ann. 1584. tom. 1. *Script. German.* Henricus Canisius I.C. & sacrorum Canonũ in Ingelstadiensi Academia Professor *tom. 6. Ant. lect.* Ioan. Albinus (si is editor fuit libelli *de Roman. Pontif.* Luitprãdo attributi) Moguntiæ ann. 1602. Alij, quos sequuti G. Genebrardus, C. Baronius, R. Bellarminus, I. Gordonius, & ferè omnes, qui de Luitprando meminerunt: & si in antiquis Sigeberti codd. *Luitbrandus* distinctè legatur; in alijs *Luitprandus* sit, & etiam *Litobrandus*, testè Ioan. Vosio lib. 2. de Histor. Latin.

SIVE EVTRANDI] Iulianus cognomento Petri in Chronico ad ann. Christ. 946. Scriptorem nostrum non multò pòst sequutus, utrumque nomen agnoscit; *sub hoc* (Bonito Archiep. Tolet.) *fuit Subdiaco-*

nus Eutrandus, vel Luitprandus, &c. Io. Trithem. lib. de Script. Eccl. cùm de illo agit, *Eutrandum* vocat. Sed quando hæ nominum in *Luitprando*, ſive *Eutrando* varietates proponuntur, libet addere Scholion Suffridi Petri Leovardienſis Friſij ad Sigeb. cap. 127. de Illuſtribus Eccleſ. Script. ſub *Luitbrando*; *Hic in Cod. m. s. Viridis Vallis* Eutrandus *vocatur, quæ lectio & in Codice Martiniano annotata erat, quomodo & Trithemius habet; in m. s. tamen Cod. Gemblacenſi, qui eius opera continet,* Luitprandus *eſt: in excuſo exemplari apud Hervagiũ Baſileæ ann. 1532. eſt* Luitprandus; *Codex Gemblacenſis, quo ad hanc collationem uſi ſumus*, Luitprandus *habet, ut & Afflignienſis; ſunt qui etiam* Luitbrandum *appellant; Bibliothecæ vocant* Luitprandum.

E SVBDIACONO TOLETANO] Iulianus eodem anno, *Eutrandus ſeu Luitprandus Subdiaconus Toletanus*: ipſe Luitprand. epiſt. ad Tractemundum ſe Toleti vixiſſe affirmat.

TICINENSI DIACONO] Luitprand. præfatione lib. 1. rerum ab Europæ Imperatoribus & Regibus geſtarũ, *ſe Ticinenſis Eccleſiæ ſuis non meritis Levitã* dicit: Sic Iulianus, Sigebertus, Trithemius, *Ticinenſis Eccleſiæ Diaconum* appellant.

EPISCOPI CREMONENSIS] Ita ab illo, qui à cap. 6. lib. 6. hiſtoriar. Luitprãdi continuavit, vocatur, *ab Italia Luitprandus Cremonenſis*, & initio Legationis ad Nicephorum Phocam Imp. Conſtantinop. pro Othonibus Augg. & Adelhaida, ipſe Luitprandus; *Othones Romanorum invictiſſimos Impp. Augg. glorioſiſſimamque Adelheidem Imperatricem Aug. Luitprandus S. Cremonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſemper valere, proſperari, triumphare anhelat, deſiderat, optat.* Idẽ Baronius ſentit tom. 10. ad ann. 973. n. 3. & Bellarm. de Scriptor. Eccleſiaſt. ad ann. 946. quorum verba mox ſubijciam.

BERENGARII, &c. A SECRETIS] Trithemius, *Berengarij Regis quondam Italiæ Scriba & Secretarius.*

PRO OTHONE I. German. Imp. ad Pont. M. &c.] Auctor ille, qui lib. 6. Luitprādi aliquot capita adiecit, *His expletis, Landoardum è Saxonia Numendensem* (siue quod verius puto *Mindensem*) *& Luithbrandum* (siue *Luitprandum*) *ab Italia Cremonensem Episcopos cum præfatis nuncijs Romam dirigit* (Otho I. siue Magnus) *Domino Papæ* (Ioanni XII.) *se inculpabilem esse satisfacturos*; vide Baron. ad ann. 963. n. 3.

ET AD IMPER. CONST. LEGATI] Caussa nēpe nuptiarum inter ipsius Othonis filium & Annam Romani filiam Imper. priuignam verò Nicephori, ut ait idem Eccles. historiæ Cæsar ad ann. 968. n. 6. ubi quo ea legatio tempore acciderit curiosè, hoc est, ut solet, disputat. Extat Legationis Relatio apud Canisium & ipsum Baronium, quos adi.

CHRONICON] Hoc est, *continuatio Chronicorū Dextri Barcinonensis & Maximi Cæsaraugustani, nam de suo addidit ab anno 612 ubi finivit Maximus usque ad sua tempora, hoc est, ad annum 960.* ut habemus in epistola Tractemundi Illiberritani Episcopi ad Luitprandum, qua petierat *ut illud sibi onus imponeret*; Cui respondet: *Ecce quod iussisti (Beatissime Pater) an voto conatus responderit, tu videbis, qui iussisti, &c. Incipiam tamen ab anno 606. &c. producamque hoc nostrum Chronicon usque ad annum 960.* De hoc Chronico plura D. Prudentius Sandoval è Chronographo Regio Episcop. Pampilonensis fol. 34. rerum Tudensium; F. Didacus Murillo prologo Apologetico præfixo historia Cæsaraugustan. Gaspar Scolanus lib. 2. dec. 1. cap. 1 rerum Valentin. F. Michael de la Fuente Catalog. SS. Carmelitan. ad calcem Compendij histor. eiusdem Religionis; Franc. Cascales cap. 8. discurs. 20. rer. Margit.

& Carthagin. F. Io. Marquez cap. 11. §. 2. 3. cap. 15. §. 7. & cap. 17. §. 1. & 3. Origin. Eremit. S. August. Gabriel Vazquez disp. poster. contra Elipand. cap. 12. sive quæst. 20. disp. 80. in 3. part. D. Thom. tom. 1. Franc. Portocarrero S. I. epist. ad Lectorem Vit. S. Ildeph. concivis & amicus noster, qui nuper ingenti historiæ & nobilitatis Hispanicæ damno demortuus est, P. Salazar de Mendoza Canonicus Toletanus, cap. 13. §. 3. eiusd. vit. & Panegyrico Eccles. Vrbisque Toletanæ, Chronico D. Petri Gonzalez de Mendoza, Card. Arch. Tolet. prefixo fol. 20. & fol 242. vit. S. Ildeph. F. Emanuel Roman Elucid. 13. 14. 17. Antiquitatis Ordinis Carmelitici, & fol. 38. & 45. Indiculi rerũ memorab. F. Alphonsus Vazquez de Miranda lib. 1. Apolog. pro D. Ildephon. cap. 3. & 7. & fol. 540. Addition. L. Balth. Porreño cap. 5. Vitæ S. Liberatæ; Nos Apologetico pro Descensione Virginis ad Ecclesiam Toletanam edito ann. cIↃ IↃC XVI. fol. 25. & pro Dextro ann. cIↃ. IↃC XXIV. fol. 5.

AD TRACTEMVNDVM] Verum hoc Præsulis Illiberritani nomen ex Granatensis Ecclesiæ, quæ olim Illiberritana fuit, Catalogo constat; nam quadragesimus à Cæcilio I. S. Iacobi Hispaniarum Patroni discipulo *Tratemundus*, sive *Tractemundus* legitur. Iulianus distinctè in Chronic. ad ann. 946. *Florebat per id tempus & Toleti Presbyter Tractemundus, post Illiberritanus Episcopus.* Ex quo emendandi ceteri, qui è similitudine nominis *Regimundum*, sive *Raymundum* confinxêre. Sigebertus lib. de Script. Eccles. cap. 127. *Regimundum*, ut Trithemius, vocat; quos ferè omnes, qui de Luitprando meminêre, sunt sequuti; Reuberus, qui postremò historiarum illius libb. 6. edidit, *Raymundum* voluit, ut Ludovicus de la Cueva dialog. 10. rer. Granatens. ijs ducibus in errorem ductus est amicus noster

Fran-

Franciſcus Bermudez de Pedraza I. C. cùm cap. 9. lib. 3. Antiquitatum patriæ Granatenſis, ſive Illiberritanæ *Tretemundum*, aut *Tractemundum* in *Raimundum* commutandum ſit opinatus, cùm antiqui Illiberritanorum Præſulũ Catalogi auctoritas cuicunque opinationi præponenda meritò videatur. Itaque Tractemundo huic non ſolùm *Chronicon*, quod nunc primi damus, Luitprandus noſter dedicavit, ſed etiam *rerum per Europam geſtarum* libros, qui omnium manibus ubique terũtur. Ex Luitprando igitur Luitprandus emendetur, unà & Sigebertus, Trithemius, ceteri, qui Luitprandi res hactenus pertractarunt.

ILLIBERRITANVM IN HISP. EPISCOPVM] Malè in editione hiſtor. Luitprand. *Præfatio ad Rev. Patrem Raimundum Liberitanæ Eccleſiæ in Hiſpania Epiſcopũ* prænotatur, & initio epiſtolæ dedicatoriæ *Domino Raimũdo Liberitanæ Eccleſiæ Epiſcopo*, ut in Sigeberto & Trithemio, in quibus legendum *Tractem. Illiberritanæ Eccleſiæ in Hiſpan. Epiſc.* abſque dubio eſt. Nec aliter in antiquiſsimis monumentis. *Illiberris*, quæ nunc *Granata*, ſcribendum ipſa monumẽta teſtantur apud Illiberrim, ubi non ſemel legitur ORDO M̃. FLOR. ILLIBERRITANI. etſi in nummis Gothorũ mutetur, ſuo more, I. in E, & ELIBERRIS dicatur, ut latiùs diſputavi ad ann. 300. Dextri, quæ hîc non repeto: vide inſuper D. Ferdinandum de Mendoza cap. 1. pro confirmando Concil. Illiberritano, Ant. Auguſtinum dial. 8. de numm. Ambroſ. Moral. lib. 9. cap. 49. Chronic. Hiſp. & Franc. Bermudez de Pedraza cap. 7. lib. 1. Antiq. Granat.

Hæc in limine. Nunc ad veſtibulum, è quo in penetralia. Veſtibulum voco, Epiſtolas Tractemundi ad Luitprandum, & Luitprandi ad Tractemundum, in quibus paucula libet animadvertere; quarum fidem adſtruit Iulianus ad ann. 946. de Tractemundo, *ad quem*

Eu-

Eutrādus scripsit Subdiaconus Toletanus post Tic.Diac. & ipse etiam rescribit. In ea igitur, quæ ad Luitprandum,

In Germaniæ longa peregrinatione] Nam à *Berengario Rege Italia pulsus venit in Germaniam*, ut ait Trithem. in Luitprand. A

Vita nostra militia est] Ex lib. Iobi cap. 7; optimè militiam cum hac malorum omnium quasi incude suam vitā optimus Antistes vocat, quæ *difficilis & innumeris exposita periculis*; unde LXX. & Editio vulgata antiqua *locus tentationis* legunt; nam verè militia vita illa est, in qua semper cum difficultatibus pugnatur. B

In Oppido Granatensi Illiberritanæ nostræ civitati proximo] Habes hîc distinctè positas *Granatam & Illiberim*; nam antiqua sedes Illiberritana in Granatensem translata tandem est, uti ipsa civitas olim fuerat. Vide Lud. Marmol. à cap. 2. ad 10. lib. 3. historiæ rebellionis Granat. Regni, & Bermud. à cap. 15. ad 20. lib. 2. rer. Granat. & Lud. Nonium cap. 22. Hispan. Sed quando de Granata loquendi occasio data est, obiter hîc pauca de illius nomine, nec importunè dicam. C

Sunt qui ab Hebræo גרנד *Garnad*, *peregrinus*, sive *errās*: sunt qui ab Arabico *Gar, spelunca*; sunt qui *Garnata*, nō *Granata* pronunciēt; de ijs plura Garivaius lib. 39. Comp. hist. cap. 3. Mariana lib. 25. cap. 1. D. Sebastianus Orozco de Covarruvias in Thes. L. C. hac ipsa voce, Bernardus Aldrete cap. 14. lib. 6. Orig. L. C. & cap. 24. lib. 2. Antiq. Hispan. præter illos, quos iam laudavi, Granatensium rerum Scriptores; accedat ijs nobilissimus genere, & ingenio D. Didacus de Mendoza apud P. M. pro Carolo V. M. olim Legatus, Hispanici idiomatis primū decus lib. 1. belli Granat. cuius verba quia parùm vulgo nec integrè vulgata, hîc dabo. *La ciudad de Granada, segun entiendo, fue poblacion de los de Damasco, que vinieron con Tarif su Capitan; i diez años des-*

pues

pues que los Alarabes echaron à los Godos del Señorio de España, la escogieron por habitacion, porque en el suelo i aire parecia mas à su tierra. Primero assentaron en Libira, que antiguamente llamaban Illiberris, nosotros Elvira, puesta en el monte contrario, de donde ahora està la ciudad, lugar falto de agua, de poco aprovechamiento, &c. Era Granada uno de los pueblos de Iberia (fortè *Illiberia*) *i habia en èl la gente que dexò Tarif Abenciet, despues de haberla tomado por luengo cerco, pero poca, pobre, i de varias naciones, como sobras de lugar destruido. No tubieron Rei hasta Habuz Aben-Abuz, que juntò los moradores de uno i otro lugar, &c. Dizē, que del nombre de Naath su muger, i por mirar al Poniente* (*que en su lengua llaman* Garb) *la llamò* Garbnaath, *como Naath la del Poniente. Los Alarabes i Asianos hablan de los sitios, como escriben, al contrario i revès que las Gentes de Europa. Otros, que de una cueva a la puerta de Bibataubin, morada de la Cava, hija del Conde Iulian el traidor, i de Nata, que era su nombre proprio, se llamò Garnata, la cueva de Nata, porque el de la Caba todas las Historias Arabigas affirman, que le fue puesto por haber entregado su voluntad al Rei de España don Rodrigo, i en la lengua de los Arabes* Caba *quiere dezir, muger liberal de su cuerpo. En Granada dura este nombre por algunas partes, i la memoria en el Soto i Torre de Roma, donde los Moros affirman haber morado.* Hæc ille ex Arabum libris, quorum idiomatis, ut plurium exoticorum, peritissimus fuit: nam non absimilia ijs refert Aben-Ragid Arabs lib. quo Cordubæ iussũ Califæ Damasci res terrasque Hispanorũ descripsit. Quæ quidē etsi verosimilia videantur, placeātque ijs tantùm, quorum ingenium veriora semper iudicat, quæ lōgiori sunt deducta principio, non quòd certioribus innitātur fundamentis, sed quòd meliora humani ingenij vitio censeantur quæ remotiora, ut prudenter hac super re animad-

madvertit eruditus Annalium Aragonensium Côditor Hieronym.de Zurita cap.42.lib.20. Verùm prudentiorum iudicio acquiescens, vir ille, qui sæpiùs ad has Hispaniæ accuratiùs illustrandæ partes vocandus est, quippè qui Hispaniã modis omnibus exornat, D.Gregorius Lopez Madera, antiquissimæ apud Astures Domus *de la Madera* Dominus, Militiæ Iacobææ Eques, & Senatus Maximi Côsiliarius, c.23.lib.illius, quo môtis Illipulitani cimelia eleganter & eruditè tutatus est; ab antiquissimis temporibus non Illiberrim solùm, sed & Granatam nomen conservasse ex Rasis Arabis historia apud Vasæum cap.20.Chron. Tariphio Abentaquirio, quem ex Arabico Michaël de Luna dicitur interpretatus, & Io.Gerundensi παραλειπόμεν. cap. de civitat. alijsque testatur; & meritò, nam ante ipsa Apostolorum tempora *Granata* vocabatur, & *Illiberris.* De *Illiberri* iam dictum. De *Granata* Patricius, Sacerdos ille S.Cæcilij discipulus, qui ipsius corpus & libros sedulò côdidit, in *Relatione*, quæ in turri Turpiana anno Christiano 1588.reperta est, *Servus Dei Cæcilius Episcopus Granatensis*, &c. distinctiùs Iulianus in Advers. *Granata dicta à Conditoribus Damascenis* (si hoc verũ, multò ante quàm quod assignat Didacus de Mendoza) *condita verò ante tempora Iulij Cæsaris, quæ ab eo tempore nomen retinuit, dictusq; est Præsul eius S. Cæcilius nunc Episcopus Granatensis, nunc Illiberritanus*: benè, & ex sentẽtia Eutrandi nostri, cuius ferè semper vestigijs insistit, utpotè iunior, Iulianus; *Granatam* non ab illa Arabum compellatione *Gar* & *Nata* dictam etiam multa Arabica antiqua monumenta testimonio sunt, in quibus nunquam id nominis linguæ illius periti testantur, sed *Iznaromin*, hoc est, *Arx mali Granati*, quod *Granada* Hispani vocamus; ut non ab illa commentitia compositione urbis apud Suriam, sed à fructu arboris, cuius nomen Hispa-

no-

norum proprium eſt, Arabes hanc urbem compellent; quibus *Romin* fructus mali illius eſt, ab Hebræo, cui cognatum maximè Arabum idioma, רמון * *Rimon*, quæ dictio tam de fructu, quàm de ipſa arbore, & tã de naturali, quàm de artificiali etiam in ſactis litteris accipitur; ut obſervat Lud. Balleſter lib. 3. Onomatograph. par. 2. adhucque Granatæ non exigua huiuſce compellationis veſtigia remaneant, & ſi corruptione temporum corrupta, videlicet arx *Roman*, & ſaltus *Romæ*. Vnde coniectura illa ſatis arguta de *Municipio Florentino*, ſive Granatenſi, ut idiomati Hiſpanorum proprio phraſis Latinorum reſpondeat, non ſolùm originem, ſed & confirmationem meritò nacta eſt. Quo etiam faciunt ipſa urbis Granatenſis inſignia, quæ malum Punicum, ſive Granatum repræſentant, & Scriptores, qui huic ſententiæ ſuffragantur, Io. Gerund. lib. 1. παραλειπ. Io. Annius in Beroſ. Siculus lib. 20. de reb. Hiſp. Marmol. lib. 1. de rebell. cap. 6. Marieta lib. 20. de SS. Hiſp. Bermud. cap. 13. lib. 2. Sed antequàm Manum, quod aiunt, de tabula, non poſſum non ſatis mirari viros aliquot ita properanter tranſcripſiſſe inſcriptionem antiquam Aſtigitanam, ut verba, quæ epigraphen aliena manu exaratam continent, in textum immitterent, unde Granatæ nomen apud Romanos in uſu fuiſſe ſuo iudicio comprobarent. Lapis ille (ſi verus ille eſt) à Roderico de Iepes Hieronymiano cap. 2. hiſt. S. Florentinæ, Ludovico de la Cueva Dialog. 1. & 3. rerum, quæ dignæ notatu Granatæ ſunt; Ioan. de Morales epitome hiſtorial. Ordinis Minimor. cùm de Aſtigitano Monaſterio agit, Didaco Matute cap. 2. Proſapiæ Chriſti §. 8. & Franc. Bermudez cap. 16. 19. 20. lib. 2. antiq. Granat. ita exſcribitur.

PROPE. ASTIGIM. NON. LONGE. A PVBLICA
VIA. QVAE. DVCIT. GRANATAM
QVAM. VARIA. HOMINVM. FATA. &c.

* Cant. 8. verſ. 2. ubi etiam Numer 33. 11. & Ioſue 19. 13.

Sed quis non videt verba illa, *Prope Aſtigim n. l. a. p. v. quæ ducit Granatam*, Inſcriptionis non eſſe, ſed vbi illa reperiatur, indicare?

Inter Fideles Mozarabes] Sic vulgò appellabantur ij, D qui inter Maurorum oppreſsiones Chriſtiani erant; qui & Muzarabes à Muza Arabe, ut putat Garibaius cap. 49. lib. 8. & Petrus Alcocer cap. 44. lib. 1. hiſtor. Tolet. Etſi, quod verius puto, *Miſti-Arabes* dicendi ſint. Rodericus Toletanus lib. 3. cap. 20. cùm Hiſpaniæ excidium & cladem Gothorum deploraret: *Adeò peſtis invaluit, quòd in tota Hiſpania non remanſit civitas Cathedralis, quæ non fuerit aut incenſa, aut diruta. Arabes enim quæ vi non poterant ſubiugare, falſo fœdere deceperunt, Oppa filio Ægicæ, Hiſpalenſi Epiſcopo ſuadente, ut ſubiecti Arabibus viverent ſub tributo, & ſi fortè Dominus patriam viſitaret, fierent ſubvenientibus in ſuccurſum; & ſic fraudibus circumventi reddiderunt oppida & præſidia civitatum: & iſti dicti ſunt Miſti-Arabes, eò quòd Miſti-Arabibus convivebant, quorum hodie apud nos nomen perſeverat & genus.* Subſcribunt Ambr. Morales cap. 77. lib. 12. Chron. & Præfatione in Not. ad D. Eulogij opera, & Franciſcus Piſa cap. 36. lib. 2. hiſt. Tolet. & in Tabulis Officij Miſti-Arabici.

Epiſtola S. P. Adriani PP. qui de hoc argumento ad Egilanē prædeceſſorē &c. miſit] De qua vide quæ ad ann. 748. E Chronic. noto.

Diptychorum ſacrorum Epiſcop. huius Eccleſiæ] Ex uſu F nimirùm Eccleſiæ Catholicæ ab antiquiſsimis temporibus conſervato, nam diptychis, hoc eſt, duplicibus, aut duplicatis tabellis nomina Epiſcoporũ altera parte piè defunctorum, altera verò viventium continebãtur. Chryſoſtomus in Liturgia, ὁ διάκονος θυμιᾶ γύρωθεν τ̀ ἁγίαν τράπεζαν, καὶ τὰ δίπτυχα, τῶν τε κεκοιμημένον καὶ ζώντων ὡς βούλεται μνημονεύει. *Diaconus incenſat in circuitu ſa-*

sacram mensam, & diptycha, defunctorum autem & vivorum, uti vult, memoriam facit. De dipthychorum sacrorum usu post Baronium tom. 6. ad ann. 430. & 518. Ioan. Stephan. Durantium cap. 43. à num. 7. ad 10. Philippum Berterium Pithanôn diatrib. 2. & Christophorũ Brouverum Not. ad lib. 10. Venantij Honorij Fortunat. viros Clariss. copiosiùs & eruditiùs amicus noster R. Heribertus Rosvveydus S. I. Ecclesiæ Catholicæ, & litterariæ Reip. bono natus, & utriusque damno (heu!) denuò denatus, Onomastic. rerum & difficil. verborũ, quæ in Vitis Patrum occurrunt, voce *Diptychum.* Vid. quæ ad calcem Eutrandi insuperaddo.

G *Quæ Cæcilium habuit primum Pastorẽ.*] De quo Martyrol. Rom. 15. Maij, & Bed. Vsuard. Ado. vide quæ ad anno Dextri 43. diximus.

H *Nec desunt quos Sarraceni mactatos, &c. ad cælos trãsmittunt in dies.*] Potiorem uberioremque Martyrũ per hæc tempora copiam habes in Memoriali SS. B. Eulogij Cordubensis, Archiepisc. Tolet. qui illis etiam sanguine comes additus gloriosè est. illum adi.

I *Gratanter accepi librum tuum, id est, rerum gestarum in Europa historiam.*] Quem ipse Luitprandus ad eundem Tractemundum Episcopum Illiberritanum (uti legendum monui) etiam dedit, ut ex epistola, quæ primò historiæ illius libro præfixa est, manifestò apparet; cui petenti scribens obtemperavit Luitprandus *Biennio*, inquit, *Ingenij parvitate petitionem tuam, Pater cariss. distuli, qua totius Europæ Imperatorum Regumque facta sicut is, qui non auditu dubius, sed visione certus cõponere compellas:* Vnde quanta inter utrumque intercesserit necessitudo haud dubiè manifestatur; quin & qua rerum Hispanicarum notitia valuerit Luitprandus, vel ex hac etiam historia liquidò constat: Adisis cap. 1. lib. 1. & c. 8. lib. 5. & rem acu tanges. Habemus hanc historiam non solũ

ex I. Ascensij editione anni 1514. sed inter Germanicarum rerum Scriptores à Reubero editos ann. 1584. apud Vvechel.

i *Et præterea Antopodosin tuam.*] Quænam hæc sit, faciliùs coniecturabimur, quàm demonstrabimus; itaque coniecturemur. Sigebertus lib. de Script. Eccles. *Luitprandus Ticinensis Ecclesiæ Diaconus scripsit luculento & alterno stilo ad Tractemundum Episcopũ Illiberritanæ Ecclesiæ Hispanorũ Historiam de gestis Regum & Imperatorũ sui tẽporis, quam attitulavit Antapodosin.* Habes hîc unã eandemque esse & *Historiam* & *Antapodosin*: Distinctiùs Trithemius de Scriptorib. Eccles. & in Chronico Hirsaugiensi ad ann. Domin. 892. *Eutrandus, &c. apud Francfordiam positus scripsit insigne opus, Historiam sui temporis, & tyrannidem ipsius Berengarij continentem, quod quasi pro vicissitudine iniuriarum ab ea perceptarum prænotavit* Antapodosin, *id est, retributionem, lib. 7. Regnantibus, imò &c. Scripsit autem præfatum volumen ad Tractemundum Episc. Illiberr. Hispan. Ecclesiæ, &c.* Habes iterum hîc *Historiam* & *Antapodosin* eandem fuisse; habes etiam in 7. libb. distributam & illorum initium esse *Regnantibus, imò.* Quod non usquequaq; verũ, nam sex tantùm historiæ libri hodie exstant, quorũ initium *Reverendo, totiusque Sanctitatis pleno, &c.* est; sive, *Vt autem evidens.* Initiũ verò illud, quod Trithemius assignat, hodie exstat cap. 6. lib. 6. hoc modo. *Regnãtibus, imò sævientibus in Italia, & ut veriùs fateamur, tyrannidẽ exercentibus Berengario, & Adelberto, &c.* Verùm ad calcẽ capitis 4. libri eiusdẽ hæc in editione Reuberi subijciuntur. *Finis de rebus visis in Græcia, quibus quia & alias superaddere proposuerat, novũ de rebus Othonis Augusti exorsus est librũ, quem tamẽ ob brevitatẽ superiori addidimus.* Habes hîc caussam, qua inductus Trithemius 7. libb. Luitprãdi putavit, qui hodie sex sunt. Certè & *Historia*, &

K

& Ἀνταπόδοσις, vel una eademvè, vel diversa, hodie mutila est: nam lib. 6. quinque tantùm Capitibus terminatur; & pars illa, quæ à sexto incipit (si *Antapodosis* illa fuit; & fuisse videtur ex testimonio Trithemij) depravatissima, & valdè lacera exstat. De utraque iudicium magnorum VV. Baronij & Bellarmini, clarissimorum certè Ecclesiæ Catholicæ luminum, subijciam, è quibus quidquid hîc pronunciem, lucem mutuetur necesse est. Ille tom. 10. ad ann. Christ. 963. num. 2. *Antequàm quæ ab eo* (Luitprãdo) *sunt tradita hîc, reddamus, de ipso auctore iure differendum videtur. Num revera capita illa à sexto usque ad undecimum sexti libri sint Luitprandi, cuius superiores libri esse noscuntur. Scimus ita censeri, nec eam rem hactenus in controversiam esse deductam. Verùm existimo Capita illa esse potiùs Appendicem ad Luitprandum ab auctore adhuc incerto elaborata, quàm Luitprandi continuatum opus. Stili inprimis id opinari facit diversitas, sed illud magis persuadet, quòd ea capita extra terminos certos operi suo ab ipso Luitprando præscriptos posita esse inveniuntur, sicque eius assertione & auctoritate sua esse negari penitus; ipse enim in præfatione præposita libro tertio, ubi de nomine operis* Antidosis, *& de termino, quo clauditur opus, nempè Legatione sua Constãtinopolim, agit, asserit scriptioni illi se finem imposuisse in Paxo insula, iam Legatione, de qua ipse agit in fine, ad Constantinũ Imperatorem functus; cùm regnaret adhuc Berengarius. At illa, quæ scribũtur postremis capitibus illis de Ioãne XII. Rom. Põtif. longè posteà contigisse noscuntur: Adeò ut si esset istud eiusdem auctoris opus, illud planè aliud à priori ab eo elucubratũ esse diversum necesse sit affirmare, insuper alterius potiùs esse auctoris; ex ea etiam coniectura concipio, quòd cùm auctor illorum Capitum in illis mentionem habeat Luitprandi non iam ampliùs Diaconi Ticinensis, sed Episcopi Cremonensis, alium diversumque ab eo esse se auctor ostendit.*

dit. Cùm alioqui Luitprando moris fuisse noscatur, nomen suum in scriptis suis non quasi alterius obiter præterire, sed gloriæ titulis benè exornatum relinquere. Fuisse autem eundem Luitprandum Diaconum Ticinensem, & Luitprãdum posteà creatum Episcopum Cremonensem, tum nomen, tum munus iteratum, repetita nempè legatio, ut ipse de se fatetur, satis ostendit, &c. His si coniungantur Græcarum litterarum par eruditio, & poeticæ, ceterarumque litterarum facultas eadem hoc seculo haud adeò invẽtu facilis, planè tanquam ex multis lineamentis, eundem esse senties hominem; auctorem autem appendicis capitulorum illorũ esse diversum, eumque addictissimum Othoni Imper. & privato studio ea scripsisse in ipsius gratiam, odium verò Ioãnis. Hactenus ille. Hic de Script. Eccles. ad ann. 946. *Luitprandus Ticinensis Diaconus, & posteà Cremonensis Episcopus, vir fuit multæ auctoritatis ob eruditionem & prudentiam, &c. scripsit historiarum libros sex de rebus gestis in Europa suo tempore, sed Cardinalis Baron. non sine caussa suspicatur à cap. 6. 6. lib. historiam non esse Luitprandi, sed alicuius anonymi auctoris. Id enim vidimus etiam in Rheginone, & in alijs, ut ab aliquo alio continuentur, & extendantur.* Subscripsit ijs Gerardus Ioã. Vossius lib. 2. de Hist. Latin. in Luitprando: *Verior Baronij opinio est, sequentia ab illo esse, qui, ut fieri solet, continuare voluerit Luitprandum;* Quod etiam ante aliquot annos iam monuimus in Apologia pro Descensione B. Virginis in Tẽplum Toletanum adversus blateronem, qui sacra hæc antiquitatis Hispanicæ monumenta, ut balbutienti latratu lacerat, impiè susque deque habet, fol. 25. Verùm si hæc attentiùs considerentur, facilè erit animadvertere *Antapodosin*, & *Historiam* ferè eandem esse, ut testimonio Sigeberti, Scriptoris nec futilis, nec recentis comprobavimus; sed Trithemium etiam erravisse cõperiemus, cùm è sex libris historiæ septem voluit, & illam

illam partem, quæ ad calcem quincti capitis ſexti libri Luitprandi legitur, ſeptimum putavit, vel fortè primũ, cùm *Antapodoſeos*, ut ipſe vocat, initium aſsignet, *Regnantibus, imò*, quo hodie auſpicatur ſextum illud (cuiuſcunque ſit) caput lib. 6. Itaque Trithemius fœdè lapſus eſt non animadvertens in ipſis hiſtoriæ libris, & *Hiſtoriam* & *Antapodoſin* (ut ipſe cum Sigeberto vult) ſive *Antidoſin* (ut Luitprandus vocat) diſtinctè contineri. Sic ſe res habet. Luitprandus ſex hiſtoriæ libros ſcripſit, quorum tertium *Antidoſeos* titulo prænotavit; ſic in editione Reuberi, *Luitprandi Ticinenſis Eccleſiæ Levitæ Hiſtoriarum liber tertius, qui Antidoſis inſcribitur.* Rationem inſcriptionis ipſe Luitprandus ſtatim reddit in eadem huius libri præfatione, his verbis: *Operis huius titulum, Pater ſanctifice, ſatis te mirari non ambigo. Ais fortè, cùm virorum illuſtrium actus exhibeantur, cur* Antidoſis *ei inſeritur titulus? Ad quod reſpondeo; Intentio huius operis ad hoc reſpicit, ut Berengarij huius, qui nunc in Italia non regnat, ſed tyrannizat, atque uxoris eius Vvillæ, quæ ob immenſitatem tyrãnidis ſecunda Iezabel, & ob rapinarum inſacietatem Lamia proprio appellatur vocabulo, actus deſignet, oſtendat & clamitet. Tanta enim mendaciorum iacula, tanta rapinarum diſpendia, tanta impietatis molimina in me, & domum meam, cognationem, & familiã gratis exercuere, quanta nec lingua proferre, nec calamus prævalet ſcribere. Si igitur eis præſens pagina* Antidoſis [*hoc eſt, retributio*] *dum pro calamitatibus meis* τὴν ἀσέβειαν *eorum* [*id eſt, impietatem*] *præſentibus, futuriſque mortalibus denudavero. Nec minus etiam ſanctiſſimis & fortunatis viris pro collatis in me beneficijs* Antidoſis *erit, &c.* Habes hìc, Lector occultarum rerum indagationis ſtudioſe, veram ex Luitprando Luitprandi inſcriptionẽ *Antidoſin* Scriptoris animo appoſitiſsimã: Ἀντίδοσις *retributio, refundendi viciſſitudo*, aut *penſatio* eſt. Erat enim actio quædã, vel

vel conditionis ferendæ facultas ἐν τοῖς τῶν ἐχθρῶν ἀντιδόσεσιν, in ulciſcendis iniurijs, ut Magiſtri Græci notant. Hinc emendandi Sigebertus & Trithemius, qui *Antapodoſin* legerunt, quæ etiam *retributio*, *retaliatio*, *compenſatio* Græcis eſt. Hinc etiam emendandus Tractemundus, & ipſe Luitprandus in ijs epiſtolis, quæ ἀνταπόδοσιν habent, ex Sigeberto & Trithemio, ubi trāſcriptor illam vocem abſque dubio legerat. Hactenus de illa; ſed quando tam ſcrupuloſè hæc ſcripta Luitprādi diſcutimus, eandem operam in ceteris diſcutiendis navemus neceſſe eſt, ne quid, quod Scriptori noſtro cōducat, intactum relinquamus. Habemus Luitprandi

HISTORIAM RERVM IN EVROPA GESTARVM, unà &

ANTIDOSIN, &

CHRONICON hoc,

quod primi vulgamus; reſtant eiuſdem

LEGATIO AD NICEPHORVM PHOCAM IMPER. CONSTANTINOPOLITANVM PRO OTHONIBVS AA. & ADELHAIDA.

Et

DE VITIS ROMANORVM PONTIFICVM OPVSCVLVM.

De utroque quid alij ſentiant, in medium producam. H. Caniſius I. C. vir in excutiendis bibliothecis pro Eccleſiæ Catholicæ uſu diligentiſs. præfat. ad lectorem editionis illius *Legationis* ſic cenſet, *Legationem hanc Luitprandi Cremon. Epiſc. deſcripſit ex Cod. M.S. bibliothecæ primariæ ædis Trevirenſis. R.P. Chriſtophorus Brovverus S.I. Sacerdos antiquitatis illuſtrandæ ſtudioſiſſ. eamque ad communem illum omnium eruditorum amicum Marc. Velſerum VII-Virum Auguſt an. miſit; inde huc perlata, nunc tandem poſt tot ſecula ex tenebris in publicum exit: Quis Luitprandus hic fuerit, certò affirmare non auſim. Fuiſſe Ti-*

ci-

cinensis Ecclesiæ Levitam & Diaconum (cuius exstant libri sex rerum ab Europæ Impp. & Regg. gestarum) suadent cùm alia, tum idem prorsus dicendi genus: Deinde quod opinionē hanc verisimillimam reddit. Luitprandus noster bis se Constantinopoli Legationem obiisse asserit, primam cùm adhuc Diaconus esset, auctoritate Berengarij, tempore Cōstātini Græcorum Imperat. posteà alteram mandato Othonis Magni, & filij eius, & uxoris Adelhaidæ ad Niceph. Phocam, qui mortuo Romano filio prædicti Constantini imperium Constantinopolitanum invaserat. At Luitprandus Ticinensis Diaconus & Historicus ab eodem Berengario Italiæ Tyranno potiùs quàm Rege se Constantinopolim ad Cōstantinū Imp. Legati nomine missum testatur lib. 6. Hist. cap 1. & sequent. ubi fusè describit, quomodo à Constantino Constantinopoli exceptus fuerit, & quæ spectacula ibìdem viderit: unde conijcere licet unum & eundem esse hunc nostrum, & qui Historiam conscripsit: cùm & Historicus sub Othonibus claruerit, & temporis diversitas non obstet. Et forte si Luitprandi libri integri exstarent, inveniremus non minus posteriorem sub Othone Legationem, quàm illam priorem sub Berengario: nec dubitarem pro certo & explorato affirmare, nisi ipse Luitprandus scrupulum injiceret, qui cap. 6. lib. 6. mentionem facit Luitprandi Cremonensis Episcopi, eumque ait cum Landoardo Saxone Episcopo Numedensi ab Othone Magno Romam missum esse ad Ioannem Pontif. & in Concilio Romæ in caussa eiusdem Ioannis celebrato, cùm Otho Romam occupasset, fugato Ioanne & Adelberto inter Episcopos Italiæ, qui Concilio interfuerunt, numeratur Luitprandus Episcopus Cremonensis, qui & eiusdem Othonis in eodem Conventu interpres fuit: Nam quæ Otho Saxonica lingua loquebatur, hæc Luitprandus Cremonēsis Episcopus Latinè reddebat ceteris Episcopis: Adeò ut vix credibile videatur Luitprādū Historicū de se quasi de alio locuturū fuisse, si ipsemet fuisset,

cùm longè minutiora de se rebusque à se gestis absque ambagibus commemorare soleat. Hæc Canisius; cuius obiectionibus faciunt satis ea, quæ à Baronio superiùs demonstrata sunt de Appendice illa; eam scilicet ipsius Luitprandi non esse, sed alterius, prorsusque ab eo diversi Auctoris, ipso Baronio monitore ad ann. 968. num. 10. qui num. 6. *Magno sanè Dei beneficio factum* putat, *ut hactenus ea Luitprandi Relatio conservata sit paucis, quæ desunt, exceptis, tanquam fax quædam ad obscuritatem illius temporis illustrandam.* Hæc *de Legationis relatione;* Nunc ad lib. *de Vitis Rom. Pontif.* qui prodijt Moguntiæ anno 1602. è typographeio Io. Albini ex pervetustis MM. SS. Codd. membraneis descriptus, unà cum Albonis Floriacensis Abbatis Epitome de vit. eorumdem ex Anastasij Bibliothecarij Historia excerpta. De hoc opusculo editionis illius Curator sic censet, præfatione ad Lectorem Antiquitatis studiosum: *Prodijt &c. pervetusti Scriptoris Anastasij R. E. Bibliothecarij, de novem supra centum Pont. Rom. Vitis Historia, &c. Nunc quia aliam eiusdem argumenti, & æquè vetustam, ac nusquam hactenus excussam clarissimorum quorundam Virorum beneficio nacti sumus, operæpretium nos facturos putavimus, si eam Anastasiano operi nunc adiungeremus; Luitprando Ticinensi Diacono, qui sub annum Domini 950. teste Io. Trith. claruit, inscripsimus, non quòd M. S. codex, ex quo eam descripsimus, Auctorem prodiderit (nullum enim nomen adscriptum invenimus) aut quòd firmæ solidæque caussæ huius nomenclaturæ suppeterent, sed quòd iam olim Magdeburgici Centuriatores, qui hanc Historiam sedulò pervolutarunt, & multa ex ea in Centurias suas, maximè autem in nonam de summis Pontificibus, eorumque sanctionibus retulerunt, Luitprando tanquam germano eius Auctori, constanter attribuerint. Quibus autem argumentorum momentis inducti id fecerint, ipsi viderint. Nobis certè non levis subolet suspi-*

suspicio, non alio usos M. S. exemplari, quàm hoc ipso membranaceo, ex quo præsentem Historiam descripsimus, cùm in fronte expressum habeat nomen M. FL. Illyrici &c. Deinde non alio persuasos argumento, ut Luitprando indigetarent, quàm quòd negari non possit, extremam Pontificis Romani Formosi vitam verbis Luitprandi, quæ exstant in cap. 8. lib. 1. rerum per Europam gestarum (cuius constat Luitpr. Ticin. esse Auctorem) totam esse comprehensam. Ceterùm hoc argumento labefactari potiùs, quàm stabiliri videtur istorum opinatio. Cùm enim liqueat, totam narrationem de Formoso verbo tenus exscriptam esse ex libro Luitprandi iã citato, non omissis quidem illis verbis [Pater Sanctissime] *quæ prorsus furtum fucumque produnt; haud dubium est, quin ab aliquo sciolo, post verba illa* [Formosus Portuensis Episcopus, sedit Ann. 5. men. 6.] *reliqua narratio fuerit assuta. Vsurparat autem Luitprandus in illa de rebus in Europa gestis Historia verba illa* [Pater Sanctissime] *quòd eam ad Tractemundum Illiberritanæ* (sic etiam hîc emẽdandum) *Eccles. in Hisp. Episc. conscripsisset. Hanc verò de Pontific. Historiam nulli Episcopo, vel alij Patri Sanctissimo inscriptam, vel dicatam esse manifestum est. Accedit quòd nec apud Sigebertum, nec Trithemium, nec Gesnerum ullus de Vitis Pontif. Rom. liber adscribatur Luitprando; Deinde quia Trithemius scribit Luitprandum (licèt ille vocet Eutrandum) claruisse sub annum Domini 950. imperante Othone I. Cæsare, & rectè, nam & Historiam suam Europæam usque ad Othonem perduxit; At Formosus, in quo nostra hæc terminatur Historia, in vivis esse desijt anno 895. à quo anno usque ad dictum 950. viginti circiter Pontifices Romani numerantur, de quibus nullum in præsenti Pontificum Historia verbum. Ad hæc in extremis huius opusculi vitis particularia quædam commemorantur, quæ non videntur profecta nisi ab eo, qui Formosi, decessorumque eius temporibus floruerit; imò ab eo, qui in Vvestphalia, vel Saxonia, ut in*

*Monasterio Corbeiensi, Hirsfeldensi, vel Fuldensi tunc florentissimis vixerit. Nam in Hadriano I. refert Carolum Magnum Romæ in D. Petri Basilica vovisse Deo se Osnaburgi in Provincia Vvestphaliæ, quàm recens ad Fidẽ Christi traduxerat, Episcopatum erecturum; quemadmodum & fecit, teste Alb.*Krantzio *lib.*1. *Metrop. cap.*2. & *lib.*2. *Saxon.cap.*11. *Deinde in Hadriano II. ait, Ludovicum Imp. (is fuit Ludov. II. Lotharij Imp. filius) dedisse Ecclesiæ Corbeiensi, & Herifordensi quasdam decimales Ecclesias cũ ipsis decimis in paræcia Osnaburgensi constitutas, consentiente Episcopo, & omni Clero. Tum Carolũ Roman. Imper. honorificatæ Ecclesiæ, & à Deo honorificandæ Hersveldensi quasdã decimas in Frisonevelt, & Hassega Halberstadiensi adiacẽtes diœcesi dedisse, quas Stephanus Papa (IV. dictus III.) in Basilica B. Petri die Sãctæ Paschæ sua auctoritate, & Imperatoris subscriptione, & Hildegrino Halberstadiẽsi Episcopo præsente confirmavit. Præterea in Stephano VI. scribit Hermannum Coloniensem Archiep. & Hadalgariũ Hamburgensem Archiep. de Bremensi Ecclesia contendẽtes Vvormatiam venire à summo Pontifice iussos; ibique Fulconi Remensi Episc. in caussa eorum examinanda vices suas commisisse. Quam rem accuratè tractat* Krantz. 2. *Metr. cap.* 19. 20. & 24. *eiusdemque meminere Albertus Stadensis in Chronic. ad ann.* 896. & *Trith. in Chron. Hirsaug. Denique in postremorum Pontificum vitis, nominatim autem Paschalis, Benedicti III. Nicolai I. Hadriani II. & Ioannis IIX. non pauca eorumdem decreta prolixè recitat, quæ in Tomis* Conciliorum *non exstant: cùm tamen exstent pleraque omnia, quæ antiquioribus Pontificibus hìc tribuuntur. In Leone verò IV. quadraginta duo Capitula è Synodo Romana consilio Impp. Lotharij, & Ludovici coacta, descripsit, quorum nulla quoque mentio in dictis Tomis. Vnde coniecturam minimè obscuram facere licet, huius opusculi Auctorem ultimorum Pontificum*

tam temporibus, hoc est, sub ann. Domini 860. maximè floruisse, & non sub 950. quo Luitprandus: Auctoremque esse non Italum, sed Germanum in Corbeiensi (ex quo aliqui ad Osnaburgensem Episcopatum illo seculo evecti sunt) vel Hirsfeldensi Monasterio degentem. Quid, si Auctor sit Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis, quem Trithemius asseverat Caroli Crassi floruisse temporibus? Carolus enim Crassus imperavit sub Ioanne IIX. Marino, Hadriano III. & Stephano VI. in quibus hæc Historia concluditur.

Hæc tam prolixo repetita principio, quando semel de Luitprando agimus, semel libuit in uberiorẽ Luitprandicarum rerum notitiam ex omnium fide attexere. De FRAGMENTIS illi vulgò attributis alibi dabitur differendi occasio. Nunc exorsum subtemen pertexamus. Iterum Tractemundus ad Luitprandum de *Antidosi*, sive *Antapodosi*,

L *Carmine prosaque contexta.*] Sigebert. *alterno stilo*: Trithem. *aliquando carmine utitur; aliquando Græco sermone*. Amare nimirùm has stili luxuriantis delicias Auctorem nostrum ipse etiam Historiæ contextus demonstrat; illam adi. *Prorsam* scribendam docui schediasmate V. Decadis VI. *Horarum subsecivarum*.

M *Cùm ego Presbyter essem, &c.*] Iulianus ad ann. 946. *Florebat per id tempus Toleti Presbyter Tractemundus, post Illiberrit. Episc.*

N *S. Eccl. Tolet. quæ semper verè fuit filia primogenita Ecclesiæ S. Romanęsis, &c.*] Eodem prorsus nomine appellat Ecclesiã Toletanam Innocẽtius III. P. M. eo diplomate, quod ad Rodericum Tolet. misit; in quam crebræ Põtificum Romanorum laudes apud Garsiam Loaisam Not. in Decret. Gundemari Regis; Blasium Ortiz cap. 9. Descriptionis summi Temp. Tolet. Salazar

de

de Mendoza cap. 1. vit. S. Ildeph. & Panegyr. Ecclesiæ Tolet. & Portocarrer. cap. 1. vit. S. Ildeph.

Cum Patriarchalibus post Romanensem meritò comparanda.] De præcipua hac Ecclesiæ Toletanæ prærogativa pluribus ante aliquot annos egi à fol. 101. ad 109. in Discussione aliquot monumẽtorum in Ecclesiastica Hispanorum Historia illustrium, quã duabus pro Dextro Apologijs subiectam edidi Hispanè; Latinè Commentar. ad ann. 105. Chronici ipsius Dextri. O

Nam ægrè sustentamus vitam in hac flebili, duraque captivitate.] S. Eulogius de eadem agens lib. 1. Memorial. Sanct. recenset *Diruptionem Basilicarum, opprobria Sacerdotum, & quod lunariter* (hoc est, singulis mensibus) *solvimus cum gravi mœrore tributum, adeò ut expedibilius nobis sit compendium mortis, quàm egentissimæ vitæ laboriosum discrimen.* P

Vt vitam S. Iacobi Hispani in Piceno mortui 1. Nov.] Quinam hic fuerit, hactenus disquiro. Q

Methastenis lib. de Monarch. &c.] Annè *Megasthenis* legendum est? crediderim, cùm Scriptor hic Straboni lib. 15. Iosepho lib. 1. contra Appion. & cap. 11. lib. 10. Ant. Alphæo apud Euseb. & ipsi Eusebio lib. 9. de præpar. Evang. planè notus fuerit: Methastenes verò novitiæ imposturæ ovum à viris doctis iudicatur. Vid. Io. Gorop. Beccanum lib. 4. Orig. Antuerp. & Gasp. Barterij Lusitani iudicium de hoc Scriptore illiusque congerronibus sibi simillimis; Nos etiam Apol. 1. pro Dextro fol. 31. aliquid super Annianis ijsce tecnis iam diximus. Fortassean huic Tractemundi epistolæ ab aliena manu isthunc pannum assutum habemus; alius iudicet. R

Dextri, Marcique Maximi Scripta.] Quibus etsi mutilis, singulari Dei O. M. beneficio Hispania iam fruitur. Nos incredibili labore, ut Augiæ Stabulum olim Alcides, ab innumeris mendorum sordibus illa repurga- S

gavimus, & *Commentario perpetuo* Dextrum, & *Notis recensione*que sedulò subacta Maximum illustravimus. ô si in iuge Ecclesiæ Romanæ obsequium! in utilem Hispaniæ nostræ laudem!

Sublimi feriam sidera vertice.

Hæc in Tractemundi Epistolam ad Luitprandum, nunc in eam, quæ Luitprandi ad Tractemundum.

A *Admodum Reverendo, & totius Sãctitatis pleno Tract. Episcop. Illib. in Hisp. Luitpr. non meis meritis Eccles. Ticin. Levita, salut.*] Eodem modo Epistolâ, quam præfixit Historiæ rerum per Europam gestarum, *Reverendo totiusque Sanctitatis pleno Dom. Tractemundo Illib. Eccles. Episc. Luitprand. Ticinensis Eccles. suis non meritis Levites salutem.*

B *Meam rer. per Europ. gest. Hist. &c.*] Quam ipso Tractemundo petente scripserat; Luitprandus ipse Epistolâ eâdem. *Biennio ingenij parvitate petitionem tuam, Pater carissime, distuli, qua totius Europæ me Impp. Regumque facta, sicut is qui non auditu dubius, sed visione certus ponere compellebas.*

C *In Fuldens. Monast.*] Florentissima Benedictinorum Abbatia in Buchonia Germaniæ tractu inter Hassiam, Franciam Orientalem, & Vvederoviam ad eiusdem nominis fluvium sito, S. Salvatori sacra; de qua multa Georgius Vvicelius apud Seb. Munster. lib. 3. oper. Cosmograph. Valent. Muntzerus in Chronog. Germ. & Trithem. Chron. Hirsaurg.

D *Bibliotheca*] Collecta primùm & instituta à Rabano Mauro ex Fuldensi Abbate Archiep. Moguntino, *qui tanta illam librorum copia ditavit, ut eo potissimùm nomine Monasterium hoc tempore inclarescat*, teste Georg. Braũ L. 1. Ciu. Orb. Terrar. aucta verò, & in ordinem redacta ab Hildeberto Fuldensi etiam Abbate, viris sanctitate & eruditione clariss. ut ait Gasp. Bruschius Cent. 1.

Mo-

Monaſter. German. In ea Bibliotheca olim Dexter & Maximus delituerunt; quorum reliquias æternũm illi Hiſpania debitura eſt. Quomodo ab ea habuerit, dixi ad Dextrum pluribus; nunc tantùm, Luitprandum etiam in ipſa conſervatum, nã cum alijs eò miſſum decet Iulianus in Chron. ad ann. 810. Ex eadem præterea fama eſt multos mirandæ antiquitatis codices à Magdeburgenſibus Hæreticis ad ſuas malè conſarcinandas Centurias fuiſſe ſubreptos, & in Catholicæ veritatis odium ſuppreſſos; cum alijs forteàn noſtros, qui elucescente Divinæ Providentiæ Sole tandẽ in magnã Chriſtiani nominis gloriam incipiunt eniteſcere.

Nunc exſul.] Luitpr. præfat. lib. 3. ſive Antidoſeos, *denique quòd in captivitate, ſeu peregrinatione libellus hic conſcriptus dicatur, præſens indicat exſulatus*; ſubditque ubi ſcripſerit Hiſtoriam, ſive Antidoſin, *Cœptus quippè in Franconovod.* (annè *Franckfurt*, quæ olim, ſi Munſtero credimus, *Helenopolis*?) *qui eſt 20. milliarijs locus à Moguntia diſtans, in Paxo inſula nongentis, & eo amplius à Conſtantinopoli milliarijs uſque hodie exaratur.* E

Servum-Dei.] De quo inferiùs Luitp. ad ann. Chriſt. 613. F

Cùm Tolet. vixi ſub ſanctiſſ. Præſule, Tolet. Bonito.] Habes ex Iuliano ann. 946. *Sub hoc* (Bonito) *fuit Subdiaconus Eutrandus, vel Luitprandus, Diacon. Tic. Hiſtoriarũ Scriptor, haud ignobilis, & pariter Poeta excellens.* G

Ex Hiſpania allatos, &c.] Ipſe Iulianus Epiſt. ad Albertum Fuldenſem. *Frater Archindus, &c. me viſitans rogavit, Conciliorum, & Decretorum Hiſpaniæ libros tranſcriberem, quos volebat tranſmittere ad veſtram copioſam Bibliothecam, quia tempore S. Caroli Magni allati ſunt, tunc multi ad vos libri per Gumeſendum Archidiaconum, & Lupum Muzarabem, virum primarium, Oratores Helipandi Archiep. Tolet. ſed non multo anteà aliqui ſublati,* H

&c.

&c. & in Chronic. ad ann. 810. *Agit per litteras Elipãdus gratias S. Carolo Magno; &c. & cum Legatis mittit supellectilem multorum librorum Gothicis litteris scriptorum, in ijs Concilia Toletana, Chronica Dextri, Maximi, Fragmẽta Braulionis, Helecæ, Taionis, & aliorum, & Luitprandi posteà ego misi Fuldam.* Vid. Eutrãdi Chron. ann. 795. ubi pluribus de Elipando ago. Verba etiam Eutrãdi habes apud Theologiæ nostri temporis Principem Gab. Vazquez S. I. non sine Scriptoris nostri commendatione disp. poster. contr. Elipand. cap. 12. sive q. 20. disp. 80. in 3. par. D. Thom. tom. 1. Epistolam insuper quasi integram, sed maiore parte mutilam, repræsentant Did. Murillo Apologetico ad Lector. rer. Cæsaraugustan. ex eo amici nostri R. F. Franc. Bivarius & Rod. Carus, qui post navatam à me ann. 624. Dextro illustrando operam, suã etiam ann. 627. in magnum Hispaniæ ornamentum diligentissimè contulerũt, in prolog. ad eund. apud quos *Tractemundus* pro *Regimundo* substituendus omnino est. Quibus quidẽ quis imposuerit, cũ huius Epistolæ mẽtionem à R. P. And. Schotto Bibliothecæ Hispanæ Auctore, & à G. Scolano factam comminiscantur, nondum divino, cùm nullibi apud eos illa exstet.

I *Per Æras, Hispanorum more.*] De ijs egi integro *Schediasm. 8. Decad. 10. Horar. subsecivar.*

K *Ad ann. 960.*] Nec ultrà Luitprandus Tractemundo acquiescens progressus est, tametsi ad ann. 973. vitam protraxerit: quod tempus ab eo Legationibus, & muneribus publicis occupato transactum crediderim. Postremum illius vitæ annum, & obitus locum assignat, qui sedulò absque dubio observavit, ut sedulò ab illo pleraque accepit, Iulianus Toletanus ad ann. Chron. 973. (si benè legas:) *Eodem anno venit Toletum Eutrãdus nobilis Historicus, qui aliàs ibi fuerat Subdiaconus;*

Nec multò pòst mortuus, in Ecclesia S. Iustæ honorificè à Felice sepelitur. Toletum itaque postliminij iure Luitprandum suum sibi tandem adscivit, ne ea urbi urbium nostrarum opt. max. atque ingeniorum cunctis seculis altrici laus, quæ ab Luitprandi ingenio illi addi inter alias posset, unquam deesset. Etsi quod natale solum Scriptore sui temporis non strenuo tantùm, sed erudito gloriari posit, adhuc in obscuro sit; Hispaniam nostram eiuscemodi viris semper fœcundam non obscuris ducti coniecturis opinamur. Certè Toletum, si non illi nascenti, quod ægrè negem, quiescenti locum ultrò præbuit; ex quo quasi à perituri nominis patria ad verè æternam feliciter, ut credi par est, commigravit. Hæc ego de Luitprando primus undequaque corrasi; eum, qui plura addiderit, exactioris diligentiæ virum putabo.

Sed iam ad penetralia, hoc est, *Chronicon*, cuius fragmenta cum per *Æras*, & *annos* CHRISTI distinguantur, NOTAE in ea ijsdẽ numeris distinctionis caussa præsignentur necesse est. Itaque succedant

D. THOMÆ TAMAIO DE VARGAS, HISTORIOG. REGII
NOTAE
IN LVITPRANDI CHRONICON.

AEra 644.] Quæ 38. sublatis incidit in Ann. CHRISTI 606; quo ordine ceteras huius Chronici supputationes dirigendas si semel monuero, satis erit. Hac igitur Hispanorum *AEra* & CHRISTI *anno*

Toleti nascitur S. Ildephonsus.] Iulianus noster ad ann. 659. *Ildephonsus, qui natus est Toleti AEra 644.* Variant

qui

qui res ab illo gestas & vitam scripserunt: Inter antiquos Luitprandus & Iulianus tantùm annum hunc observarunt. Cixila & Iulianus alter illius in sede successores, quorum scripta denuò ad veteres membranas cōposita, notulisque illustrata inter Elogia Scriptorum in Carpetania illustrium repræsento, nihil de illo. Ex ijs itidem nostris & avorum temporibus Laurent. Surius, & Aloiſ. Lippomanus de SS. vitis, & Ecclesiæ rebus optimè meriti, sed depravatissimos nacti Codices, minùs præstiterunt. Michaël Carranza Carmelita doctiſ. Comment. Ildephonsi lib. de B. Virgine, & vitam illustravit; Io. Mariana noster 6. de reb. Hisp. cap. 10. illustriſs. Baronius 8. Annal. tom. Latinè; vernacula lingua Franc. Pisa 2. Hist. Tolet. cap. 14. P. Sandoval part. 1. Monast. Ord. S. Bened. §. 13. Ant. de Iepes Cent. 1. cap. 5. ann. 1554. & Cent. 2. à fol. 227. rerum Benedictinar. Alph. Villegas, Pet. Rivadeneira in Florib. SS. Franc. Padilla Cent. 7. Hist. Eccleſ. Hisp. cap. 48. atque etiam qui Ildephonsi vitam sedulò nuper scripserunt, Salazar de Mendoza & Portocarrero cap. 2. ad Luitprandi & Iuliani amussim in anno nativitatis S. Ildephonsi sunt, ni inutiliter divagentur, dirigendi.

Clarissimis parentibus Stephano & Lucia.] Quippè qui è Regio Gothorum sanguine erant procreati, ut ad calcem Adversariorum Iulianus noster probat ex antiquis; ex recentioribus illi, quos iam laudavi, pluribus Salazar & Portocarrero eodem cap. 2. Parentum nomina expressit idem Ildephonsus initio cuiusdā Epigram:

LVCIA *cum* STEPHANO *genitrix, sed avunculus idem*
Compulit Eugenius Præsul ad hospicium, &c.

In domo, &c.] Quæ olim ab illustriſ. Dominorum de Orgaz progenitoribus, quos fama est ab Ildephonsi parentibus stemmata ducere, hodie à Patribus Soc. IESV in ipso Toletanæ urbis meditullio habitatur: plura de

 illa

illa Salazar cap. 2. & Portocarrer.cap.4.

Ille verò posteà f. Tol. Episcop.] Vide Luitpr. ad ann. Chr. 657.

Floret Metis S. Rufus.] Martyrol. Rom. 7. Nov. *Metis S. Rufi Episcopi & Confessoris*; quo etiam die Beda, Ado, alij.

S. Adelphij.] De quo Martyr. Rom. 29. Aug. & Venãtius Toletanus sermone 126. qui *falso inscribi solet Petro Chrysologo*, teste Maximo ad ann. 598.

Abbas Agaliensis.] M. Maximus in Chronico ad ann. Christ. 597. *Helladio*, &c. *Toletano Pontifici succedit Exsuperius Abbas Agaliensis, cui in eiusdem Monasterij moderamine præficitur Adelphius*, vide Sandov. par. 1. Monast. S. Bened. in Hisp. §. 12.

Et Archiep. Toleti.] Maxim. ad ann. 598. *succedit in eadem sede Adelphius ex Abbate Agaliensi*: Concilio Toletano sub Reccaredo Æra 635. subscripsit *Adelphius in* CHRISTI *nomine Toletanæ Ecclesiæ Episcopus*. Ildephõsus L. de viris illustr. in Auras. *Aurasius Toletanæ Ecclesiæ Põtifex, Metropolis urbis post Adelphiũ, in loco asciscitur Sacerdotis*, &c. vide Padilla Cẽt. 6. Hist. Eccl. Hisp. c. 17.

Post Episcop. Metensis.] M. Maxim. ad ann. 598. *Adelphius relicta sede Toletana it prædicatum suis Metensibus, ibique exercet Pontificalia prædicandi & ordinandi munera*, &c. Iulianus ad ann. 597. *Exsuperio Tol. Pontif. sufficitur Adelphius Abbas Agaliensis, patria Metensis, qui reversus Metim, ibi fit Episcopus, vir sanctus, colitur 29. die Aug.* Decimus numeratur inter Metenses à Demochare lib. de sacrif. Missæ, & Phil. Ferrar. in nov. Topograph. Mart. Rom. vide quæ fol. 122. secundæ pro Dextro Apolog. olim vulgavi.

ÆE. 645. *Machumetus virus erroris sui fundens per Hisp. & c.*] M.
Chr. 607. Maximus ad an. 606. *Machumetus, homo impius, & flagitiosus grassatur per Hispaniam*, Lucas Tudensis in Chronico

nico eiuſdẽ ſententiæ eſt; à quibus hauſère illi qui iuſſu Aldephonſi, cognomento Sapientis, Chronicon illud, quod *Generale* vocamus, compilarũt, 2.p.c.40.uti Vvernerus Rollevink Faſcicul.Tẽpor. an.31. Heraclij Imp. Alph.Spina in Fortalitio Fid.fol.219.Breviar.Eborẽſe, Io.Vaſæus ad ann.605.Iacob.Bleda cap.15.lib.1. Hiſt. Mauror.repugnãtibus tamẽ A.Morales c.14.lib.12.Io. Mariana c.3.lib.6.de reb.Hiſp.&F.PadillaCẽt.7.c.22. Hiſt.Eccl.Hiſp.apud quos,an id acciderit, diſputatur.

Cordubæ.] Sic voluit Chronic.Generale, Spina, Vaſæus,alij;crebraque Maurorum in Hiſpania degentium perſuaſio ſemper fuit, à Cordubæ Regibus inſigne illud opus, quod ſuperſtitione abolita Chriſtianorum ſacris dicatum eſt, olim in Machumetis ſui adventus in illam urbem monimentum ſtructum.

Ab Auraſio.] Idem Chronic. & Lucas Tudenſis Iſidoro tribuunt ratione temporum fortaſſe ſuffragante, cùm ann.610. Iſidorus in pretio habitus ſit à Gregorio Magno,& anno 616.idem Malacã relegatus, & ſuis reſtitutus fuerit: Machumetes verò anno 615. Cordubæ virus erroris ſui fuderit,&ann.619.libros in Arabia vulgarit,teſte eodẽ Eutrando.Potuit ergo Iſidorus Pſeudopropheten procul ab Hiſpaniæ finibus pellere.Vvernerus diſtinctè de Iſidoro Hiſpalenſi, *ipſe etiã Machometũ, qui in Hiſpaniam venit, capi iuſſit,ſed admonitus à diabolo fugit*.Nec aliter Alphonſus,cognomẽto Sapiẽs,cap.40. par.2. Chron.gener.cuius verba ad ann.615.habes. Itaque an id factum, nunc nec planè affirmem, nec planè negem; potuiſſe fieri ſemper aſſeverabo.

Theodoricus Mediomatricum Rex Hermembergam Sp. S. intact. Vviterico.&c.] Paullus Æmilius de reb. geſt. Franc. in Clotar. 2. *Iuſtam utique uxorem Bertrici* (lege *Vviterici*) *Regis Hiſpani filiam Hermembergam ad patrem remiſit* (Theodoricus) *integram à ſe adverſo rumore,* AE.646. Chr.608.

quòd

quòd ferretur pellicibus ad insaniam usque devinctus, sancti nobilissimique connubij usu perfrui, & virginis florem delibare non posse, velut maleficis artibus carminibusque prohibitus. Quod satis constat, Hispanis Oratoribus Regias omnes circumeuntibus, quatuor Reges in Theodorici perniciem cōspirant, Clotarius vetus hostis, Theodobertus memor ignominiæ periculique, Longobardus Agilulphus (cuius filio Adabaldo admodum adolescenti filiam, & ipsam immaturam, in spem nuptiarum Austrasianus desponderat) & Hispanus filiæ vindex, &c. Eodem modo Robertus Gaguinus in Hist. Franc. in quo *Vvitericus* pro *Detericus* substituēdus est: certè in aureis nummis nō semel legi VVITERICVS REX. Vid. Historiog. nostr. Vasæum ad ann. 607. Moral. 12. cap. 10. & Marian. 6. cap. 2.

AE. 647. C. 609. *Flavius Claudius S. Mausonæ, &c. & Claudij Emerit. V. C. fil.*] De Claudio hoc Emeritensium Gubernatore, & Mausona Episcopo plura Paullus Emeritens. Diaconus lib. de vitis P. P. Emeritens. quem cum alijs rerum Hispanicarum Scriptoribus nondum editis Bibliotheca nostra editioni paratum in Belgio habet, in *Mausona.* vide Moral. 12. cap. 2. & Marian. lib. 5. cap. 14.

Ad Segontiam Celtib. urb. Vvitereri Reg. Duces cum Rom. &c. eos omnes prælio fundunt.] Rodericus Toletanus Antistes cap. 16. lib. 1. rer. in Hisp. gest. de Vviterico, *Vir quidem strenuus in armorum arte, victoriæ tamen expers; Nam cùm adversus Romanos bellum sæpius intentasset, semper inglorius est inventus, nisi quod quosdam milites ducens Segontiam captos cœpit*; ijsdem, ut solet, verbis Collector Chronici Hisp. generalis c. 42. p. 2. alij.

Segont. Celtib.] Sic Livio lib. 24. quæ Antonino *Segontia*; *Muela* Varrerius putat in Corograph. *Rueda* Zurita Cōment. in itiner. Antonini Aug. ubi latiùs de urbibus, quæ hoc nomen, vel simile in Hispania sortiuntur, doctissimè, ut solet, edisserit.

Ad

Ad Gregor.&c. Isidor.Romam petit,&c.] Scriptor miraculorum S.Isidori,qui Lucæ Tudensi adiectus est, eadem profert; de quibus vide Moral. 12.cap.21.Marian. 6.cap.7.& Padilla Cent 7.cap 22. *AE.648. C.610.*

Mortuo Vviterico succedit Gundemarus, &c.] Eodem anno Isidorus & Vvulsa Episcopi in Chron.

Ab Aurasio,&c.] De quo Ildeph.cap. 5. de vir. illust. Maxim.ad ann.602.Luitpr.ad ann.645.

Toletano.] Penes quem id muneris in novum Regẽ conferendi potestas erat, utpotè Primatem, & in urbe Regia constitutum; exemplo sunt Vvamba,qui à Quirito; Ervigius,qui à Iuliano Pontificibus Toletanis unctionis benedictionem accepère apud Iulianum in vita Vvam.& Cõcil.Tolet.12.Alijque Reges ab alijs eiusdem Ecclesiæ Præsulib.apud Loaisam Not.ad Decret. Gundemari fol.276.

Vt olim Impp. Græci à Patriarch.Constant.] Georgius Codinus Curupalata de Officijs,& Officialibus magnæ Eccles.& Aulæ Constantin. cap.17. in quo de Coronatione Imp.agit,inter ceteras Coronationis ceremonias subdit, ὁ δὲ πατριάρχης χρίει σαυροειδῶς τὴν κεφαλὴν τοῦ βασιλεῶς, τῷ θείῳ μύρῳ, ἐπιλέγων μεγάλῃ τῇ φωνῇ τὸ ἅγιος: *At Patriarcha Crucis in formam Caput Imperatoris divino unguento inungit,accinens elata voce illud* SANCTVS. Vid. I.C.Bullenger.de Imperat.

Inungitur.] Ab antiquissimis temporibus Reges Hispaniæ inungi probarunt iam olim viri Clarissimi G.Loaisa Not.in Decret.Gundem.fol.176. & in Concil.Tolet.9.fol.475.Iac.Valdès cap.14.ànum.6.de dignitate Reg.Regnorumque Hisp. A.Moral. lib.12. cap. 41.nunc verò amicus æternùm noster quacunque commendatione maior, de Hispania optimè meritus D. Gregorius Lopez Madera supremi Senatus Consiliarius cap.12. §.6. de Monarch. Hispan. præstant. post

quos

quos aliquid addere supervacaneum censeo.

In æde S. Petri & Paulli Toletana.] In qua Vvambanem etiam Regem unctum fuisse tradit S. Iulianus in eius vit. & in qua idem Aurasius Vvitericum inunxerat. Maximus ad ann. 602: *Vvitericus ab Aurasio Toletano Archiepiscopo in æde S. Petri Prætoriensi, præsentibus Palatinis, inunctus coronatur.* Concilij Toletani 15. initium, *Apud urbem Toletanam in Ecclesia Prætoriensi SS. Apostolorum Petri & Paulli, &c.* Vbi olim fuerit, uberiùs disputavi cap. 12. rerum Toletanarum.

Rex Catholicus Gundemarus.] Benè *Catholicus*, quia à Reccaredo ceteros Hispaniarum Reges hacce honorificæ compellationis prærogativa insignitos pluribus probat V. CL. Greg. Lop. Madera cap. 12. à §. 3. de præst. Monarch. Hisp.

Tolet. iubet Concil. contrahi.] Exstat hodie integrum hoc titulo: *Incipit decretum piissimi, atque gloriosissimi Principis nostri Gundemari Regis AEra 648.*

Contrahit autem Aurasius.] Vt Primas; Constat ex 3. 4. 5. 6. 7. 8. 12. 13. 15. 16. Concilijs Toletanis, ex quibus hanc Toletano Primati prærogativam inter ceteras asserui fol. 103. secundæ pro Dextro Apologiæ. Ceterùm Aurasius *vixit in Sacerdotio temporibus Vviterici, Gundemari, & exordijs Sisebuti Regum*, teste Ildephons. in Auras.

Dignitas Patr. Tolet. sed. imminuta pristinæ dignitati restituitur.] Sic ipse Rex ad calcem Decreti, *Flavius Gundemarus huius edicti constitutionem pro confirmatione honoris sanctæ Ecclesiæ Toletanæ propria manu subscripsi.*

Vt ad eius obedientiam rediret Carthaginensis Provincia, in quam tota Carthag. & Tol. fuerat divisa.] Verba Decreti hac super re; *Quia una eademque Provincia est, decernimus, ut sicut Bætica, Lusitania, vel Tarraconensis Provincia, vel reliquæ ad Regni nostri regimina pertinen-*

tes

tes, secundùm antiqua Patrum decreta, singulos noscuntur habere Metropolitanos, ita & Carthaginensis Provincia unum eundemque, quem prisca Synodalis declarat auctoritas, & veneretur Primatem, & inter omnes Comprovinciales summum honoret Antistitem, neque quicquam contempto eodem ultrà fiat, qualia hactenus arrogantium Sacerdotum superba tentavit præsumptio, vide, sodes, illa, quæ ad ann. Dextri 406. notavimus.

Adeo-data virgo S. T. Mon. B. floret, ad quam olim S. Gregorius scripsit.] Inter epistolas S. Pontificis exstat ad Adeo-datam 54. lib. 7. & 72. lib. 8. necnon de ipsa ad Venantium Episcopum 28. lib. 7. Quænam illa fuerit, nondum divino. de antiquis Toletanæ urbis Monasterijs copiosiùs ago lib. de rebus Tolet. *AE.649* *Chr.611.*

Gund. suc. ins. r. Got. Sisebutus.] Rod. Tolet. cap. 17. lib. 2. *Sisebutus Rex Christianissimus post Gundimarum ad regale fastigium evocatur Ær. 654.* malè, nam anno Christiano 612. qui incidit in Ær. 650. ut in Luitprando habes, Sisebutus regnare incepit, testibus omni exceptione maioribus Isidoro Hispalēsi, & Vvulsa in Hist. Goth. Isidor. Pacēs. in Chron. Ær. 950. Matth. Palmerio, Vasæo, alijs. *AE.650.* *Chr.612.*

Vir doctus.] Isidor. Pacens. Ær. 950. *Vir sapiens, & nimiū litteraturæ deditus*: cuius ingenij monimenta etiā hodie exstāt optimæ, ut illa tempora ferebant, frugis, de quibus vid. Moral. cap. 13. lib. 12. & Mariana cap. 2. lib. 6.

Et pius.] Alphonsus Carthagena Episc. Burgēsis cap. 31. Anaceph. Reg. Hisp. *Hic Christianissimus per Historiatores vocatus; zelo autem Dei accensus in initio Regni sui Iudæos* (gentem omnium pestilentissimam, & bonis omnibus infensissimam) *ad Fidem Christianam permovens, æmulationem quidem habuit, sed non secundùm scientiam; potestate enim compulit, quos provocari oportuit Fidei ratione, & c. fecit baptizari omnes Iudæos in Regno*

 suo,

suo,*&c.* ex Isidoro Pacensi, Roderico Toletano, & Palentino, Adone Viennensi, alijs: non minorem in Rege Sisebuto pietatem ostendit; illum nempè stabilijsse in Hispania Ecclesiarum immunitatem, & ne qui ad eas confugerent, violarentur, ut tradunt Didacus Rodriguez de Almella Histor. Reg. in Valerio Hist. Scholast. Ferdinando Perez de Guzman Historiographo & Cõsiliario etiam Regio V. N. falsò attributo, Vasæus ad ann. 612. multi ex nostris.

AE. 651. C. 613. *Bonif. P. s. ins. P. Deus-dedit.*] Quo anno *secundùm aliquos* voluit Vasæus; alij in sequentem reijciunt, ego in confinio annorum 613. & 614. colloco. vid. Baron. ad ann. 614. num. 1.

Memoria est S. Paulli Episc. Iaccetani, qui R. D. V. cum alijs duobus sub Decio Martyr. part. 6. id. Feb.] Hoc ipso die Martyr. Roman. *Romæ Paulli, Lucij, & Cyriaci*, ex vetusto M. S. Martyrologio Monasterij S. Cyriaci, quod sæpius laudat illustriss. Baron. Ιακκητανοὶ, in Hispania Tarraconensi apud Ptolemæum sunt: hodie *Iaca* urbs, de cuius antiquissimis Episcopis vel perpetuum silentium apud Scriptores exstat, vel obscuritas non facilè illustranda: rationem utriusque reddunt Hieronym. Blancas fol. 10. & 36. Commentar. & Zurita 1. par. lib. 1. cap. 4. Annal. Arag.

Flor. mem. Med. S. Anathalonis Episc. disc. S. Barnabæ.] Mirocles Episcop. Mediol. inscriptione Anathalonis imagini incisa.

Petri h[...]spes, sancteque Anathalon, Domne, probate,
Atque idem socius Barnabæ Apostolici;
Qui Mediolani Verbi mysteria tradens, &c.

Martyr. Rom. Breviarium & Tabulæ Mediolan. Eccl. 25. Brixiensis 24. Septemb.

Mortuo Aurasio, &c. succedit in sed. Tol. S. Hellad. &c. Monach. ætate iam grav. ad sup. evocatur.] Non aliter

S.

S. Ildephonſus de Vir. illuſt. cap. 6. *Helladius poſt Auraſium ſedis eius adeptus eſt locum*, &c. *adijt ſanctum Monaſterium* (Agalienſe) &c. *ex hoc feſſis penè ſenio artubus ad Pontificatus apicem devocatur*, &c. *ſenex obijt*, &c. plura de illo nos in Hiſtor. rer. Tolet.

Dulcidius D.C. flor. &c.] Sacerdotem huius nominis alterum, alterum Epiſcopum in Hiſpania reperio; illũ Alphonſi Regis cognomento Magni Legatum ad Mahomad Cordubenſem Regulum; hunc Salmaticenſem Epiſcopum tempore Abderrhamen captum; fortaſſe Epiſcopus non diverſus fuit à Sacerdote. Nihil amplius; ſed inferioris temporis fuerunt: de hoc nondum liquet. *AE. 652* *Chr. 614*

Vincentius Carthaginis Spartariæ Ep. mor.] De quo M. Maximus ad ann. 641. *Fulgentio in ſede Carthaginenſi ſuccedit Vincentius*: vide Franc. Caſcales fol. 426. diſcurſ. Murgitan. *AE. 653.* *Chr. 615.*

Tolet. celeb. mentionem hab. Epiſc. & Martyris, qui præd. Meviæ.] De quo Dexter ad ann. 100. *S. Vincentius Epiſcopus Meviæ, vel Mevaniæ propè Vrcem Hiſpaniæ urbem, in confinio Bæticæ & Tarraconenſis, &c. à C. Porphyrio ſucceſſore Capitolini dilaceratus eſt, &c.* Epiſcop. Equilin. in Catal. lib. 5. cap. 93. Galeſinus in Martyrol. VI. Iunij, alij.

Murila Ep. Valent. att. ex Gall. Corp. S. Vinc. Lev. Martyr. Aginn. Valentiam.] Iulianus Archiepiſcop. Toletan. epigrammate apud Helecam Cæſaraug. Epiſcopum in Additionib. ad M. Maxim. Chron.

Vincenti, pateris conſtans, qui Martyr Agenni
Et Levita ſacer ſanguine ad aſtra volas, &c.
Gallia te genuit, docuitque Auguſta miniſtrum
Cæſarea, & ValerI ſub pietate viges:
Gallia teque iterum recipit ſacra verba docentem;
Maximianus inops mentis at ipſe necat*

*Leg. Enſe.

Post cineres te, Pæsul, amans quoque Murila vectat
Ipse Valentinus ad sua tecta vigil. &c.

Vid. quæ ad Helecam iã diximus, & ad Luitp. ann. 902.

Machum. Pseud. Cordubæ prædicat.] His, quæ iam ad ann. 607. adiunge Chronici generalis cap. 40. 2. p. verba hæc: *Vino* (Mahomad) *à España, è fuesse para Cordoba, è predicò el ì aquella su mala secta, &c. è quando esto sopo el buen Padre S. Isidro, que llegàra estonces de la Corte Romana, embiò sus homes à Cordoba para que ge lo prendiessen, è ge lo lleuassen, è el diablo apparecio a Mahomad, è dixol, que se partiesse de aquel logar, è estonces salio de Cordoba, è fugò, è passò allen mar, è predicò en Arabia, &c.*

AE. 654. *M. Maximus Cæs. Episc. ex Ordine S. Benedicti. &c.*] Ipse
C. 616. Maxim. ad ann. 590. *M. Maximus Abbas priùs Benedictinus Sanctarum Massarum Cæsaraugustæ.* Braulio Cæsar-Aug. etiam Episcop.

Qui Benedictinæ soboles clarissimæ gentis, &c.

Trithem. de Vir. illustr. *Marcus Monachus & discipulus S. Benedicti, &c.* Lilius Gregor. Girald. de Poet. *M. Maximus ex Monachis S. Benedicti, &c.* probant Sandoval. lib. 1. fund. Monaster. S. Benedict. in Hisp. & M. Anton. de Iepes in Chronic. gener. Bened. ad ann. 616.

Script. Chronic. eximius Cõcionator, &c.] Idem Braulio de Maximo:

Nobilis Historicus, Præco. ——

Qui vitam S. Benedicti scripsit carmine.] Ipse Maxim. Epist. ad Argebatum Portucalensem Episc. *Vitam S. P. N. Benedicti versibus heroicis expolitam primo quoque tempore ad B. T. transmittam.* Giraldus de Poet. *Heroico carmine Divi Præceptoris vitam elegantissimè condidit.*

Et multa prosa & versu.] Isidorus cap. 33. de Vir. illust. *Maximus Cæsaraug. civitatis Episc. multa prosa versuque componere dicitur, &c.* iisdem verbis Honorius Augustod. de illustrib. Eccles. Script. ann. 600.

San-

Sanctè moritur.] Braulio illius post Ioannem in sede successor hoc carmine sepulcrali Magistri laudes est prosequutus apud Helecam in Addit. ad Maxim.

Maximus hic situs est, dictus cognomine Marcus,
Nobilis Historicus, Præco, Poeta, vigil.
Qui Benedictinæ soboles clarissima gentis,
Cæsaris hac fulgens Præsul in urbe fuit.
Ambitione procul, meritis sed grandibus auctus,
Suscipit invitus Pontificale decus;
Vita gravis, mores nivei, præstantia vultus
Dignum fecerunt Præsulis officio.
Larga manus, doctrina decens, & lingua diserta,
Ingenium præstans, eloquiumque grave;
Confectus senio superas revocatur ad arces,
Cuius membra tenet, dicta Columna, domus;
In qua Pontificis præclari munere functus
Iudicij extrema luce resurget ovans.

HIC. QVIESCIT. IN. PACE. FAMVLVS. DEI
M. MAXIMVS. CÆSARAVG. EPISCOPVS
XIV. KAL. OCTOB. ÆR. DCLIV. ANN. V.
SERENISS. REG. SISEBVTI
VIXIT. ANN. CIRCITER. LXXII

Hactenus Braulio, qui cum Luitprandiana AEræ supputatione mirificè concordat. Ad calcem huius fragmenti legebantur in quodam codice Eutrãdi hæc verba: *Nonagenarius, XX. annor. ingressus est in Ordinẽ S. Benedicti, & ann. D XXV. nascitur.* Quæ hic admonuisse sufficiat; an Luitprãdi manum sapiant, an verò ab aliis, qui ætatem Maximi ad computationem revocavit, diligentia sint, nondum divino. certè in meis codicibus illa non leguntur.

Io. Exarchus pop. tum. perimitur.] Quo etiam anno, Sigonius, Onuphrius, Gordonius.

Ex-

Extruso per vim Isidoro Ep. Hisp. V. I. doc. &c. Gord. in S. Hisp. intr.] Iulianus, *Isidorus pulsus à sede Hispali cum Cæcilio Mentesano traditur Cæsario Patricio*, & paullò pòst, *pulso Gordiano intruso Hispalensi anno 618. idem Isidorus sedi suæ restituitur.*

S. Isidorus Malacæ exsulat.] Probant S. Viri ad eam urbem exsulium amici nostri R. Franciscus Portocarrero S.I. pius S. Ildephonsi vitæ Scriptor. cap. 6. & R. Martinus de Roa eiusdẽ Societatis, qui pietatẽ elegãtiâ & eruditione mirificè exornat cap. 12. rerũ Malacit.

Pap. Deus-dedit scrib. Epist ad Gord. &c.] Exstat tom. 1. Epist. Decretalium, & 3. Concilior. & apud Gratian. cap. *pervenit* 30. dist. 1. hoc titulo: *Deus-dedit sacræ Roman. & Apostolicæ Eccl. Episcopus Gordiano Hispalẽsi Ecclesiæ Coepiscopo.* Verùm apud Anselmum Lucensem, & Burchardum Vvormaciensem *Hispaniensi* pro *Hispalensi* est, ut ad oram 3. Concil. tom. animadvertitur, & in Luitprando attributis vit. PP. num. 70. quod Padilla cap. 9. Cent. 7. Hist. Eccl. Hisp. mavellet, & cum illo R. Martinus Carrillo Montaragonis Abbas lib. 2. Annal. Chron. ad ann. 615. sed utrumque nova hæc rerum à S. Isidoro gestarum Historia latuit.

AE. 655. Chr. 617. *Deus-dedit h. a. mor. succed. Bonifacius.*] Eod. ann. Baron. Gord. Gualter. ceteri.

AE. 656. Chr. 618. *Opera Sis. Reg. Vviseg. C. sedes Hispal. S. Isid. &c. restituitur.*] Habes ad ann. 616.

Assota civitas in Contestanis & in confinio Batestan. quæ quond. sed. Episc. fuit, destruitur.] Ægidius Zamorẽsis Sãctij Regis 4. Magister & Historiographus, *urbs Lacedæmon prope Carabum, vel Theodomirum à Græcis, Assota ab Africanis venientibus ab urbe Assota, quæ nunc prope Melillam destructa dicitur, Tassota conditur.* Lapis ante annos septuaginta inter Assotanæ urbis vestigia, quæ hactenus visuntur, repertus nomen retinet.

L.

L. AEMILIVS. M. F. M. N. QVIR. RECTVS
DOMO. ROM. QVI. ET. CARTHAGINIENSIS
ET. SICELITAN. ET. ASSOTANVS
ET. LACEDEMON. ET. ARGIVVS
ET. BASTETANVS. SCRIBA. QVAESTORIS
SCRIBA. AEDILIS. DONATVS. EQVO
PVBL. AB. IMP. CAES. TRAIANO
HADRIANO. AVG. AEDILIS. COL.
CARTHAG. PATRONVS. REIP. ASSO-
TANORVM. TESTAMENTO. SVO
REIP. ASSOTANORVM. FIERI
IVSSIT. EPVLO
ANNVO. ADICTO

Quomodo hæc urbs destructa fuerit, docet Io. de Robles Corvolan. cap. 2. lib. 1. Apparition. S. Crucis Caravacensis.

Illic S. Corona V. B. floret.] Cuius fortasse memoria cũ urbe perijt; hîc Luitprandi beneficio revixit.

Machum. l. e. s. in Arab. vulgat.] Ad finem nempe huius anni & initium sequentis, in quem reijciunt Matthæus Palmerius in Chron. Vasæus, alij; certè Rodericus Tolet. cap. 8. lib. 2. *Huius* (Sisebuti) *temporibus nefandus Mahomat nequitiam suæ sectæ stultis populis prædicasse testatur.* AE. 657. Chr. 619

Mort. Siseb. Reg. &c. suffectus est illi Suinthila.] Anno sequenti Isidor. Vvulsa, alij; Sisebuto suffectus est Suinthila, sed post Reccaredum filium. Roderic. Tolet. cap. 17. lib. 1. *Obijt itaque Sisebutus relicto filio Reccaredo parvulo, qui post patris obitum Princeps paucorum dierum, id est, septem mensium* (tres in Vvulsa) *consumatur; huius vitæ brevitas nihil habuit memoria dignum.* succedit statim electione Gothorum Suinthila, cuius in nũmis legitur; AE. 658. Chr. 620.

SVIN-

SVINTILA. REX. PIVS. ELIBERI

Isidor.Hispal.Ep.2.Concilio Hispal.collecto præest.] Hoc etiam anno superiori, hoc est, AEra 657. accidisse ipsa inscriptio testatur, *Synodus habita in civitate Spali, sub die iduum Novembrium, anno nono regnante gloriosissimo Principe Sisebuto, AEra DCLVII.* Sic Roderic. Tolet. Chronic. general. Vasæus, Morales, Mariana, alij.

Sub cuius disciplina multùm Ildeph. proficit.] Nam teste Iuliano *Ildephonsus decennis missus erat ad Isidorum.*

AE.659. Chr.621 *Bonifacium PP. seq. in S. P. Honorius.*] Ita fuisse testantur omnes Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, sed ann. Christi 625. sive 626. ut inde semel colligas Luitprandum nostrum diversa sectatum fuisse exordia supputationum. vid. Baron. ad ann. 625. quousque pervenisse Bonifacium ex Beda & Anastasio probatur, & ad 626. qui auspicium Pontificatus Honorij fuit.

Ad Fauces Hispaniæ in Lusitania [*vulgò Gargantalaolla*] *Io. Abbas cogn. magnus fl.*] Fortasse hic *Ioannes Gerundensis Ecclesiæ Episc. natione Gothus, provinciæ Lusitaniæ Scalabitanus, &c. Qui condidit Monasterium, quod nūc Biclaro dicitur, ubi congregata Monachorum societate scripsit Regulam ipsi Monasterio profuturam, &c.* teste Isidoro lib. de Vir. illustr. Potuit ad hunc annum pervenire Ioānes Biclarensis Abbas, certè eruditione (ut illa tempora ferebant) religione & Fidei constantiâ *Magnus.* Nec patria abnuet; Nam Lusitanus ille fuit; Σκαλαβις κολ. (ut benè monuit eruditissimus Zurita Comm. ad Ant. Itin.) Ptolemæo in Lusitania, quæ *Scalabis* Plinio inter Colonias numeratur lib. 4. cap. 22. hodie *Santaren* Ossorio, Morali, Varreiro, Marianæ, Britto, Ortelio, Nonio, alijs adversus Tarapham & Panvinium, qui *Trugillo* vocant; utrumque Damianus à Goes. De *Ioanne* hoc uberiùs disputant Bernardus Britto, Historiographus in Lusitania Regius, cap. 17. lib. 6. Monarch. Lusitan.

tan.& Hieronym. Pugades I.C. Barcinonensis, de suæ gentis historia optimè meritus lib.6.cap.62.Chronic. Gotholaun. præter Historiograph.nostros.

Ad fauces, &c.] Nec novum inter Geographos sic vocari extremos provinciarum tractus, Liv. lib. 21. & Plin.3.cap.17.& 9.cap. 8.& elegantissimè etiam Cicero contra Rul.Corinthum positam in *faucibus Græciæ*, ut hîc *Hispaniæ* Luitprandus dixit.

Vulgò Garganta la olla.] Exprimit Hispanorum vox, *Garganta* Latinam *fauces*: Et in Hispania scio illo nomine oppidum appellari; sed certè, ut quod sentio, dicam, glossema illud putidum alicuius scioli, qui sibi argutulus visus est, cùm ex Latina voce nostram conflasset, absque dubio censeo; quod semel in hoc Scriptore ceterisque cum eo tandem renatis, monendum operæpretium est: Itaque vel à nostro procul eliminetur, vel, dummodò suspecta, retineatur.

M Maximus, &c.] Vide quæ ad ann.616. AE.660.

Mirè floret S.Cel. & Martyr sub Iuliano Rom. in carcere mense Maio mortuus cum ceteris.] De ijs Martyr. Chr.622
Rom. 2. Maij, *Romæ SS.* M.M.*Saturnini, Neopoli, Germani, & Celestini, qui multa passi, in carcerem demùm cōiecti, ibi in Domino quieverunt.* Ex Beda, Vsuardo, Adone. Philippus Ferrarius in Catal.SS.Italiæ: *Sub quo Imp. passi fuerint, nec Adonem, neque ante illum Vsuardum & Bedam docere, nec se scire potuisse testatus ingenuè est*; habet iam ex Luitprando, qui Iuliano adscribit.

S. Leander viso Constantinopoli templo S. Thyrsi, fecit aliud Toleti.] Hoc certè anno, vel confectum, vel refectum templum hoc, quod S. Leandri pietate fortasse inceptum, ipsa temporum ratio fuisse demonstrat; nam anno 600.obijsse, vel ann.607.(ut in antiquissimis Breviarijs legitur) Leandrum certissimum est. Vid. Moral. cap.5. lib.12. S. Leandrum Constantinopoli aliquando

vixisse S. Gregorius præfat. Moral. ad ipsum testatur, *Dudùm te, Pater Beatissime, in Constantinopolitana urbe cognoscens, cũ me illic sedis Apostolicæ responsa constringerent, & te illuc iniuncta pro caussis Fidei Regis Vvisigothorum Legatio perduxisset, &c.* & Constantinopoli S. Thyrso templa dicata etiam manifestum est ex Procopio lib. 1. de ædificijs Iustiniani Imp. & Sozomeno lib. 9. cap. 2. Hist. Eccles. quæ cùm omnia hîc constent, quo subinde tempore à S. Leandro Toleti inceptum templum illud fuerit, facilè constiterit, cùm sciamus Leandrum interfuisse 3. Toletan. Concil. ex D. Isidoro lib. 2. Chron. & Roderico Tolet. cap. 15. lib. 2. etiamsi in tomis Cõcil. Leander omissus sit, ex M. S. reponendus.

ÆE. 661. *Exacto Adelb. reg. in Ital. in Ariobald. Rex Longobard.*]
Chr. 623 Quo id anno acciderit, variũ est: Paullus Diacon. ann. 624. cũ eo Panvin. & Gordon. Sigebertus ann. 616. Palmerius 628. noster veritatem propiùs spectat.

Sedes Assotana Bigastrum, quæ Murcia, transfertur.] De Assota dictum ann. 618.

Bigastrum, quæ nunc Murcia.] Concilijs Toletanis IV. V. VI. *Subscribit Bigitinus Bigastrensis Episcopus.* VII. pro eo *Egila Diaconus.* VIII. IX. *Gibericus.* X. *Egila Archidiaconus.* XI. *Ioannes.* XII. XIII. XIV. XV. *Proculus*, De translatione veræ sedis Iulianus in Adversarijs, *Non post centum annos à Concilio Illiberritano Eliocrocensis sedes Carthaginem Spartariam est redacta; nec multò post excissa Carthagine à Gothis translata est sedes Carthaginensis Bigastrum, quæ nunc Murcia sub Mauris est, &c.* Inter sedes, quæ Toleto Metropoli subiacent, in Divisione sedium ab Vvambane Rege procurata, legitur. *Bigastrum hæc teneat, de Pugilla usque Nisdomiam, de Serra usque in Babam* (sive *Lumbam*, ut Itacius habet) ex m. m. ss. Toletanis & Ovetensibus; etiam si in alio M. S. Divisionis provinciarum *Bagastri* legatur, malè,

ut in Chronic. Generali part.2.cap.51.*Vagasto*, in quibus *Bigastrum* reponendum est. Loaisa prope Illicem, & novam Carthaginem; Morales & Ortelius in tractu, qui *la Mancha* hodie dicitur, versus *Cazorlam*; Padilla *Albarracin*, alij *Bilvestre*, alij alia oppida voluerunt esse; nos cum Luitprando & Iuliano *Murciam* urbem pronunciamus, & meritò, cùm idem Iulian. iterùm distinctiùs, *Murcia vel Murci, quæ tempore Gothorum Bigastrum, dicta est à quibusdam Oreola, condita fuisse perhibetur à Murgetibus. Hæc civitas vastata fuit usque ad tempora Constantini M. cuius iussu reparata; & post tempora Gothorum aucta, vocata est Bigastrum.* Plura de *Bigastro*, Gaspar Scolanus lib.6.cap.2.p.2. decad. 1. Histor. Valent. & Franciscus Diagus lib. 6. cap. 2. Annal. Valentin. Nec *Murciæ* nomen novum videri debet, cùm in antiquo exemplari Plinij Ferdinandus Pincianus, Criticorum Hispanorum Princeps, *Murci* se reperiisse testetur, ubi Mela *Virgi*, Ptolemæus οὐρκι habent, retenta nimirùm antiqua compellatione, ut probat amicus noster eruditiss. Franc. Cascales cap. 1. discurs. rerum Murgitanar.

Obijt Theodolind.&c.] Hoc anno Gordonius ex Paullo Diacon.& Onuph. *AE.662.* *Chr.624.*

Reverʃ. Hiʃpal. cùm eʃʃet Ildeph. Tolet. eum Archiep. S. Helladius facere vol. ille verò secedens sedulò vitam egit in Mon. Agal.] Iulianus Archipresbyter in Chronic. eodem modo, de illo. *Reversus Hispali cùm facere vellet Archidiaconum suum S. Helladius Episcop. Tolet. ad Monasterium Agaliense fugit.* Iulianus Archiepisc. Tolet. in Ildeph. vit. *Hic igitur, sub rudimentis adhuc infantiæ degens, divino tactus spiritu, vita delectatus Monachorum, contemptis parentum rerumque affectibus, Agaliense Monasterium petijt, Monachumque se in eo multis ferè annis decenter exhibuit.* Cixila eiusdem

ſedis Antiſtites in illius vit. *Ad pædagogum ſuum Dominum Egenium remeans, non poſt multos dies adhuc Diaconi officium peragens in Eccleſia SS. Coſmæ & Damiani, quæ ſita eſt in ſuburbio Toletano, Abbas præficeretur.* Ipſe Ildephonſ. de Vir. illuſtr. in Helladio, *Agalienſe dico, cuius me ſuſceptio Monachum tenuit, &c. Me ad Monaſteriũ rediens memoratum ultimò vitæ ſuæ Levitam fecit.*

Quod in ſuburbio Tolet. eſt Septentrionem verſus, &c. non procul à Tago fl. &c.] De Monaſterij Agalienſis ſitu, *Quot homines, tot ſententiæ*; verùm ab uno M. Maximo, componendæ; illius hæc verba ad ann. 592. *Athanagildus in planicie ſuburbij Toletani ædificat Monaſteriũ Ordinis S. Benedicti in honorem S. Iuliani apud Arvernos paſſi, dictum Agalienſe ab Agalia villula propinqua, quod diſtat minus quàm 250. paſſus ab Eccleſia Prætorienſi SS. Apoſtolor. Petri & Paulli inter Occidentem & Septentrionem ſitum.* Hic omnium opinationum quaſi Lydius Lapis. Habes, en, Athanagildum Monaſterij conditorem; Monaſterium in ſuburbio Toletano ſitum; Ordinis Benedictini fuiſſe; Ab Agalula dictum Agalienſe; Propinquam hanc villulam eſſe, & minus quàm 250. paſs. ab Eccleſia Prætorienſi inter Occidentem & Septentrionem. Singula penſitãda ſeriò ſunt, ut loci ſitus enucleetur; ſed fruſtrà, cùm prorſus hic coniectura, non è certis veſtigijs veritas, valeat. De conditore nemo ambigit: de ſitu omnes. Si *in ſuburbio*, ad flumen nè, an ad eã urbis partem, quæ fluvio non circumitur? Iulianus Tago ferè imponit, *Quod Monaſterium*, inquiens, *non procul eſt à Tago flumine*. Eadem videre eſt in inſtrumentis publicis, in quibus Agalienſis rei reſ. ann. 1224. Fernandus Perez D. Petri Hermildez F. Monaſterio ſanctiſsimæ Trinitati ſacro hæc inter alia ſignatè ſubdit, *En las figgeras, que he en Agualen, que ſon allen del rio Tajo*; clarius nobilis Petrus Eſpiga Toletanus Ær. 1128. divẽdit Ab-

Abbatissæ S.Clementis, *El mi figueral, que tiene por linderos el pago Agalien, do estuvo el Monasterio de S.Cosme i S. Damian, que se dize Agaliense, que es en termino de Toledo, cerca de los molinos de S. Trinidad, i de Lazaro Buei, à un lado de la carrera que và para Talavera, &c.* consonat ijs Iulianus (si rectè legas) de Eremit. *Erat ad Septentriones non procul à S.Petro Viridi, vel Prætoriensi, & à fonte Imperatoris, qui erat in hortis, via quà itur Talaveram Tago impendentibus.* Anno verò 1449. D.Maior de Cardenas Guterij Gomez de Toledo uxor redditus annuos imponit super horum, cuius limes contingit, *La huerta del pago, que se dize Agaliense, i el rio Tajo*: & Ær. 1398. Gundisalvus Ruiz, & Velascus Fernandez Clerici S. Leocadiæ veteris domus partem tributo addicũt Marinæ Perez, Io. Alphon. olitoris suburbicarij uxori, *En Val de Agaliense, carrera de Olias*; necnon ann. 1462. Didacus Martinez Toletanus civis vẽdit IoannæDiaz & Petro Hernandez de Zorita eius filio duas prædij portiones, quæ dicuntur de *Torralmaga*, in quarũ medio *està una tierra de Agalien en S.Susanna*: ann. 1418. Io. & Guterius Gonzalez emerunt à Io. Garsia Thesaurario & Catherina Gomez eius uxore vineã, *En el pago de Lazaro Buei, que se tiene con huerta &c. i con majuelo cõ el rio Tajo, i con el Agaliense.* Hæc certè eò inclinant, ut ad *S.Susannæ* ædiculam, & prope eã *S. Petri*, ut vocãt, *Viridis* Monasterium Agaliense constituamus. Certè ibi antiqua domorum aliqua vestigia visuntur: eadem etiam in *Benhalbavia*, sive *Benhalgavia*, & *Daraiel* agris circa oppidum *Vargas* pascuis arvisque visa etiam sunt, quin & sanctarum imaginum formæ erutæ eximiæ antiquitatis monimenta: inde cùm *Darà* Arabibus domus sit, argutis hominibus ansa præbita est commutandi & *Daraiel*, seu *Daragiel*, vocem *Daragaliel*. Verùm in Ecclesiæ Toletanæ cimelijs adservantur instrumenta pu-

publica, quibus templum S. Columbæ dicatum ibidem esse confirmatur, ut qui huic opinationi tantum favent, desinant argutari. Tandem P. Salazar de Mendoza cap. 5. vit. S. Ildeph. §. 2. * in ea suburbij parte Monasterium Agaliense floruisse excogitat, ubi prima olim Dominicanorum sedes, nunc hortus S. Paulli; in cuius sententiam facilè pedibus irem ob loci situm *non longè ab Ecclesia Prætoriensi*, ut Maximus voluit. Verùm cùm è *centum quinquaginta pass*. tantùm spatium interiacens dimetiatur, ut & Prud. Sandoval Fundat. Monast. S. Benedicti in Hisp. fol. 26. & Ant. de Iepes Centur. 1. Chron. Bened. fol. 189. cum Maximi mensura non convenire facile animadvertet, qui à Maximo *ducentos quinquaginta pass*. asignari viderit. Certè sic in octo Maximi manuscriptis codicibus, & duobus editis, quos consului, 250. reperi. Sed tot difficultatibus obvolutus facilè adducor, ut palàm faciam è veteri iudiciorum formula, de huius Monasterij situ mihi adhuc NON LIQVERE. Quidquid tamen sit, Toleto tantillùm distare facilè coniicias è D. Ildephonsi verbis in Helladio, *Ad Monasterium nostrum (illud Agaliense dico, cuius me susceptio Manachum tenuit, quod munere Dei, perennisque, ac patentis sanctitatis decore, & opinabile cunctis & palàm est totis) quã sæpè discursantium negotiorũ ductus itinere perveniret, remota cliẽtum seculique pompa decoris, adeò Monachorum peculiaritatibus inhærebat, ut turmis iunctus eorum, stipularum fasciculos ad clibanum deportaret, &c.*

*Aliter tamen senserat cap. 43. Chron. Io. Cardinal. Taveræ.

Sed cuiusnam Ordinis hoc Monasterium? In matutinalibus S. Ildephonsi lectionibus antiqui Breviarij Toletani ex vetustisima Toletanorum civium traditione solebat cani, *Solus habitu quodam dissimulato ad Monasterium regularium Canonicorum extra urbem non longè distans (quod Agalia dicebatur) gressus dirigens, &c.*

Quæ

Quæ opinio latè olim pervaluit in omnibus ferè Hiſpanicis antiqui temporis Hiſtorijs, & Sanctorũ Lectionarijs: ſic in Chronicis MM.SS. Cœnobij S. Auguſtini Toletani; ſic in Chronico Alphõſi de Oroſco, viri pietate & eruditione magni: ſic in Io. Trullo L. 1. de Ordin. Can. reg. cap. 7. n. 4. Nec crebra Monachatus mentio obſtat, cum clericali etiam vitæ convenire D. Aug. in Pſal. 132. ſerm. de vit. cõm. Cleric. & epiſt. 76. inſinuet, præſertim cũm exigua Benedictini Ordinis notitia tẽpore Ildephõſi in Hiſpania fuerit. Verùm enimverò verba Maximi *Benedicti Ordini* aſsignãt, cũ eo Luitprãdus, ex utroq; Iulianus: quẽ Scriptores * reliqui ſunt ſequuti.

Reſtat in hac Hydrela capitulum, dignum quidem quod recidatur. Iulianóne an Coſmæ & Damiano ſacrum fuerit hoc Monaſterium? Maximus pro Iuliano ſtat. Cixila pro alijs Divis eſt. *In Eccleſia*, inquiens, *SS. Coſmæ & Damiani, quæ ſita eſt in ſuburbio Toletano Abbas*; Quin & Concilio Toletano II. ſubſcribunt, *Gratindus SS. Coſmæ & Damiani Abbas*, & *Abila Agalienſis*; cui maior fides adhibenda eſſet, ſi in Gothicis id codicibus legeretur, ut obſervavit acerrimi iudicij Scriptor, Io. Mariana 6. de reb. Hiſp. cap. 10. nam in ijs tantùm *Gratindus* & *Abila Abbates* legitur. Vnde unum idemque Monaſterium ſunt qui conſtituant, reclamante eodem Maximo ad ann. 636. *Reccaredus Rex hortatu S. P. Adelphij Toleti reædificat Monaſterium SS.* MM. *Coſmæ & Damiani ad Septentrionem poſitum, quod Toleto diſtat plus duobus paſs. millibus, &c. Erat autem Toletanum, & antiquitate temporis, & continui Tagi fl. inundationibus, ad cuius marginẽ ædificatum erat, penè collapſum.* Diverſum itaque ab illo fuiſſe prorſus pronunciẽ, & eadẽ illa ipſa, quæ Agaliẽſis indices ſunt, veſtigia Coſmæ & Damiani Monaſterium occultant. Non multùm hoc ab illo diſtabat, in utroque vitam Monachalẽ profeſſus

B.

* Alcoz. l. c. 35. Hiſt. Tolet. Gariv. 8. c. 36. Comp. Hiſt. F. Man. Rodrig. to. 2. q. 2 art. 4. M. Carranza in vit. S. Ildeph. Mariet. 5. c. 49. Hiſt. SS. Hiſp. H. Roman. 3. cap. 25. Hiſt. Eccl. Sádov. fol. 2. Monaſt. Hiſp. Iepes Cẽt. 2. cap. 3. ann. 657. Chr. S. B.

B. Ildephonſus abſque dubio eſt; nec opus ut tam minutis inhærerent narrationibus primi illi Ildephonſi βιογράφοι. Sed quæ *Agalia* illa, à qua *Agalienſes*? Etiā prope Cimmerios eſt. Sunt qui legant, *Agalula*. Certè vox hæc prorſus Gothica & Iſidori tempore, in cuius Gloſſario, ſiue Gloſsis eius nomine editis à * Dion. Gothofredo I.C. & * B. Vulcanij *Agalola, lenocinator, pantomimus*. Euſthatius Svuartius eruditæ lectionis adoleſcens 1. Analect. cap. 8. *Multa ſunt*, ait, *in illo Gloſſario Gothica & Germano idiomati correſpondentia; Agalula Lenocinator, & Pantomimus*. Pantomim. Germanis eſt Bogeler, aut *Gatteler* dicitur. A. eſt articulus, uti etiam ait lib. 2. cap. 12. ubi *Agulala* legit. Quid aliud? nec γρῦ ego quidem. Habes hic, quæ illuſtrando Luitprando conducāt, omnia ex Maximo Scriptore, qui anteceſsit, cuius veſtigia ſequutus Luitprandus, ut Luitprādi Iulianus, credendus eſt. Pergo.

* An. 1602 cum Scriptorib. L.L.
* An. 1600

Eſt etiam alterum Ag. h.q. Colonia ad pagum Bonalbaviam à M. dictum, &c.] Apparent hodie ſacra antiquitatis veſtigia in eo tractu, qui etiam *Benalbavia* voce Arabica dicitur inter Toletum & oppidum, cui nomen *Vargas* inditum ab antiquiſsimis familiæ noſtræ maternæ primoribus, illius olim Dynaſtis.

Quod non procul eremitorio S. Suſannæ.] Exſtat hodie Sacellum hoc eidem ſanctæ ab antiquiſsimis temporibus dicatum, noſtris reædificatum; de quo cap. 14. rer. Tolet. in vetuſtis venditionis, & emptionis inſtrumentis non ſemel reperi, *Agalien en ſancta Suſaña.*

Sub Bonito I. huius nom.] Sic in antiquiſsimis Eccleſiæ Toletanæ Catalogis appellatur.

ÆE. 662. *S. Hellad. & c. vit. ſanct. & eleemoſynarum in paup. miſ.*
Chr. 625. *&c.*] S. Ildephonſ. in Helladio, *Miſerationes eleemoſynarumque copias tam largè egenis intuliſſe probatur, ac ſi de illius ſtomacho putaſſes inopū & artus deſcendere, & viſcera confoveri.*

Imp.

Imp. Heraclius repetita Cruce ex Perside in s. v. Hiero- AE.664
solym. triump. intrat.] Palmerius. *Heraclius devictis Per-* Chr.626
sis Zachariam Patriarcham recepit, & Crucem Dominicã Hierosolymas reduxit. latè Cedren.

Primogen. Patriarc. Grad.] Subdiaconus nempè Re- AE.668
gionarius S.E.R. subrogatus hoc anno in locum Fortu- Chr.630
nati hæretici Gradensi Patriarchæ ab Honorio PP. Constat ex litteris ipsius Honorij ad universos Episcopos per Venetiam & Istriam constitutos in Chronico Andr. Danduli Ducis Venetiarum; vid. Baron. tom. 8. ad ann. 630. *Grado* hodie in Stagnis Venetis; vid. Eginarthus, Rhegino, & P. Diaconus.

Protasius Ep. Arcobricensis in Lusitania prope Laconi- AE.669
murgum, & c.] De Protasio iterum ex veteri iudiciorum Chr.631
formula N.L. pronuncio.

Arcob. in Lusit.] Ptolemæo ἀρκόβριγα in Lusitania est, quam *Alcazor* Ios. Moletius vocat, & si Gasp. Varrerius illius neque nomen, neque vestigium remansisse affirmet, in Chorog. in alijs Luitprandi exemplaribus nunc *Ambraciensis*, nunc *Lacobricensis* legi. *Ambraciam* in Lusitania etiam collocat Dexter ad ann. 263. & 384. uti ad ipsum copiosiùs disputavi. *Lacobriga* Melæ 3. cap. 1. sive Λαγκωβρίγα Ptolemæo, aut *Lancobrica* Antonino *in Lusitania* est, cuius nunc ruinæ, & antiquorum ædificiorum vestigia exstant prope *Lagos* Algarbiorum urbem, in vico, qui Lusitanicâ linguâ *Lagoa* dicitur, teste Vasæo cap. 8. & 20. Chron. ita ut illum *mutilato, atque non nihil deflexo nomine vulgus appellet*, Auctore And. Resendio lib. 4. Antiq. Lusi. quam malueris, elige.

Laconimurg. Ptolemæo Λακονίμουργον, Plinio lib. 3. cap. 1. *Laconimurgi*, uti etiam Dexter ad ann. 120. *Diocles Agitator, Lusitanus, ex oppido Laconimurgi.*

Prima d. maij m. & c. Arthuagus.] Ex quo Iulianus AE.671.
cor- Chr.633.

corrigẽdus; in quo *primo Ianuarij Toleti Arthuagus* legitur *mortuus*, de cuius virtutibus Maximus ad an. 621. *Arthuagus cognomẽto Gothus, &c. Toleti floret opinione sanctitatis.*

Monachus Augustin.] Maximus, *Ex Ordine S. Augustini Monachus*; probant Ambros. Coriolanus, & Iordanus Saxoferrariensis in brevibus Ord. August. Chronicis. Hieron. Roman. Cent. 3. Ludovic. de Angelis cap. 20. lib. 4. de vit. & laud. S. Aug. Ioan. Marquez cap. 11. §. 3. de Orig. Eremit. S. Aug. Moral. lib. 12. cap. 18. Padilla Cẽt. 7. cap. 17. Gabriel Pennottus lib. 1. cap. 56. Histor. Canonic. nos in Elogijs Scriptor. in Carpetania illustr.

Sislæ Toletanæ.] Maximus ad ann. 598. *Monasterium Cislæ* (seu *Sislæ*) *S. Augustini ab Athanagildo Rege Vvisegothorum Toleti ædificatur.* Iulian. recensens Ecclesias, quæ in potestate Maurorum relictæ sunt, lib. de Eremitorijs: *Monasterium* S. MARIAE *Cislæ tempore Gothorũ ab Augustinianis Monachis possessum, nunc Eremitoriũ, dicitur fuisse conditum à Rege Athanagildo.* De eo plura Ioseph Siguenza L. 1. Hist. Hieronymian. cap. 13. Lud. de Angelis L. 4. de Laud. S. August. cap. 20. Io. Marq. cap. 11. §. 1. 2. 3. Orig. Erem. S. Aug. Nos cap. 12. rer. Toletan. *Cislæ* & *Sislæ* nomen in M. SS. sæpius reperitur; sed annè corruptũ à voce Hispana *Isla*, insula? Nescio: hoc scio, duplicem locũ hoc nomine appellari antiquitùs in Toletano tractu, illam nempè partẽ, quæ in meridiem vergit, *Sislam minorem*; hanc, quæ ad Orientẽ, *maiorẽ*, ut è privilegio ante hos ducẽtos annos dato, servatoq; in Cœnobio Lupiẽsi observat Ios. de Siguẽza Hieronymianus magni iudicij Scriptor 1. Hist. Hier. c. 13.

Hoc temp. f. Orosius Episcop. Elborẽsis in Carp.] Iulianus ad ann. 660. *Floret tunc Orosius Episcopus Carpetanus Elborensis, vir sanctus & doctrinæ laude præclarus.* Annè hic Orosius, qui Maximo ad ann. 602. *Ex sorore S. Orosij presbyteri Tarraconensis filius floret in Celtiberia, ad quem*

S. Gregorius PP. litteras dat? Nondum divino.

Elbor. in Carpet.] Quæ *Aebura* Livio, ut Stephano ἄιβορα, Ptolemęo λιβώρα, nunc *Talavera* in Carpetanis, de cuius nomine & Episcopis latissimè olim egimus in Apologia pro Ioan. Mariana V. C L. adversus audacissimam balbutiem, à fol. 185. ad 198.

Hoc temp. Diacon. S. Helladij, &c. eid. S. P. molestus, &c. infelicissimo genere mortis malam vitã finivit Episc. Gallus.] S. Ildephonsus præfat. lib. de Script. Eccles. *cùm Helladio Episcopo sedis eius* (Toletanæ) *Iustus Diaconus fastu superbiæ insultaret, post mortem quidem sui Pontificis vixit Episcopus, & ipse tabefactus; sed in reprobum versus sensum, ob intemperantiam morum à ministris altaris sui dormiens strangulatus, laqueo expiravit.*

Ab Elpidio, &c.] Primum hunc Toletanum Præsulẽ fuisse primi integro volumine cõprobavimus, Apologià nempè pro Dextri veritate anno 1624. vulgata.

H. à 14. Februar. & Helladius, &c.] Eodem die Martyrol. Rom. *Toleti S. Helladij Episc. & Confessoris.* De cuius virtutibus luculentum exstat S. Ildephonsi testimonium cap. 7. de Vir. illust.

Fides Christi à disc. S. Iacob. primo centenario prædicata Canariæ crescit.] Vtpotè à comitibus S. Auiti, de quo statim.

Pat. S. Avitus in Canaria, & in insulis adhuc d. e. m.] Dexter ad ann. 105. cùm de S. M. Marcelli Eugenij comitibus ageret, de *Avito, qui profectus pòst ad insulas Fortunatas Martyr fuit.* Primus Cabilonensis Episc. in Topag. SS. *Canaria insula in Oceano Atlantico; huc delata est* CHRISTI *Fides; Hìc Avitus Martyr.* Nec novum *Canariæ* nomen, cùm Ptolemæo Καναρία una ex Fortunatis, & Plinio *Canaria* sit.

Elig. præs. Tol. S. Iustus monachus, &c.] Ildephons. cap. 8. de Vir. illustr. *Iustus post Helladium discipulus*

eius illíque succeſſor eſt, &c. ab infantia Monachus,&c. in Agalienſi monaſterio,&c.

Hic longè alius à ſecular.] De quo ad ann. 633. aliter tamen olim fol. 123. Apolog. pro Dextri Veritate ſentiebam cum Vaſæo ad ann. 646. Garivaio lib. 8. cap. 31. Mariana lib. 6. cap. 5. Piſa lib. 1. cap. 22. alijs viris doctiſsimis, qui præiverant; ſententiam libens cum Luitprando muto, cui etiam S. Ildephonſus cap. 8. de Vir. illuſt. viſus eſt favere, ut Moral. lib. 12. cap. 19. & Padilla Cent. 7. cap. 23.

Vir ſanctus, &c.] Ildephonſ. *ab Helladio ad virtutem monaſticæ inſtitutionis affatim educatus pariter & inſtructus.*

Præeſt per tres ann.] Ildeph. *exſtitit Rector annis tribus.*

Sub Iuſto R. Vviſ. Siſenando coacta eſt 4. Syn. Tol. &c] Confirmat Epigraphe ipſius Concilij, quod exſtat, 4. *Geſta Synodalia in Toletana urbe in Concilio 62. Epiſcopor. Hiſpaniæ & Galliæ provinciarum edita anno 3. regnante glorioſiſſ. D. N. Principe Siſenando, die 9. Decemb. AEr. 671.* Roderic. Tolet. cap. 19. lib. 2. in Siſenando, *qui* &c. *de diverſis cauſſis Concilium celebravit ſub Iuſto urbis Regiæ Primate, & ſubſcribunt ibi Iſidorus Hiſpalenſis. Selva Narbonenſis,&c.*

AE. 672 *Honorius PP. Epiſtolis datis ad Serg. duas Naturas in*
Chr. 634 *Chriſt. & unam Perſonam ſenſit.*] Litteras protulit Baronius ad ann. antecedentem, ubi egregiè Honorium à calumnijs & impoſturis Hæreticorum, qui Monothelitis addictum vellent, vindicat; vid. Geneb. in Honor. & Gordon. ad ann. 633.

AE. 673. *Alexandria & Ægypt. à Sarrac. Duc. captæ.*] Victis
Chr. 635 nempè Romanis in Palæſtina; hoc & ſequentibus annis gens illa victorijs abundat, de quibus latè, ac diſtinctè Cedrenus.

Iuſtus A.T. &c. ſanctè moritur 3. die Sept.] Quo die in

Ec-

Ecclesiæ Toletanæ veteri Kalendario etiã assignatur.

Sisenandus R.Vv.&c.moritur 22.Sept.] Nam *Rex post Iustum* (teste Isidoro in Iusto) *die decimo nono defunctus abscessit.*

Toleti, &c.] Alphonsus Episcop. Burgensis cap. 34. Anacephaleos, *propria morte Toleti obijt.*

Chintila.] Sic in nummis aureis, quos illius temporis habemus, CHINTILA REX.

Eligitur in loc. Sisenandi.] Roderic. Tol. cap. 19. lib. 2. *post mortem Sisenandi Chintila Gothus præficitur.*

Eligitur Eugenius in loc. Iusti Tol. Arch.] Ildephons. *Eugenius discipulus Helladij collector & consors Iusti Pontifex post Iustum, &c.*

Eugenius, &c. Chintilam in præsentia multorum Episcopor. & Aulicor. & Palatinor. &c.] Ex more nempè Gothicæ gentis, *nam defuncto in pace Principe, Primates totius gentis cum Sacerdotibus successorem Regni Concilio cõmuni constituunt*, ut constat ex cap. 75. Conc. Tolet. 4.

In æde S. Leocadiæ urbana.] Vbi nata virgo illa fuit, de qua alijsque duabus, ubi passa & sepulta, latiùs ad Dextrum & Hist. rer. Tolet.

Kal. *Decemb. habita est 5. Syn. Tol. in Basil. S. Leocad. &c.*] Cap. 1. huius Concilij, *Apud urbem Toletanam diversis ex provincijs Hispaniæ Sacerdotes Domini in uno pacis Collegio in Basilica Sanctæ Confessoris Leocadiæ, &c.* & in titulo, *Anno primo D. N. Chintilanis Regis,* Quo anno Concilium hoc fuerit congregatum, facilè ex ipsa Chintilæ in Regem electione, viri docti monuerant; quo mense nondum indagaverant; Luitprand. K*al. Decembris* assignat; benè, nam ex ipso primo Concilij huius capite eodem mense Litaniarum celebrationem indictam constat; *ut à die Iduum Decembrium Litaniæ triduò usque annua successione peragantur, & indulgentia delictorum lacrymis impetretur.*

AE. 674
Chr. 636

Fe-

Festum S. Iacobi filij Zebedæi hoc anno per Hispaniam celebrius,&c.] Institutum ab ipsius prædicationis tempore in Hispania sui unici Patroni memore: Heleca in Addition.ad M.Maxim. *Memoria diesque festus ab ipsius in Hispaniam ingressu S. Iacobi Zebedæi filij celebris habetur.*

B.Bonifacius Episcopus Cauriensis Toleti moritur,&c.] Subscribit Concilio Toletano 4. *Bonifacius Cauriensis Episcopus Ecclesiæ.* De *Cauriensi* urbe & Episcopatu egi ad ann. 360. & 419. Dextri.

ÆE.676. Chr. 638 *Hoc anno sub eodem Pont. 2. ann. Reg. Christ. 5. id. Ian. in æd. S.Leocad. Præt.coll.Rex convent.Aul. suor.*] cap. 1. Concilij Toletani 6. *Convenientibus nobis Hispaniarum, Galliæque Pontificibus summis orthodoxi & gloriosi Chintilani Regis salutaribus hortamentis, atque in Prætorio Toletano, in Ecclesia S. Leocadiæ virginis, &c. sub die 5. Idus Ianuarij anno præfati Principis & triumphatoris 2. AEr.676.*

S.Isidor.&c.multis miraculis,&c. refulget.] Exstat de illis volumen integrum Luc. Tudensis nomine.

Qui iam obierat 4.die Aprilis ann.Dom.635.] Quo die Martyrolog. Romanum, Vsuardi, aliorum; annum verò Amb. Morales cap.20.lib.12.hunc, quem Luitprandus adsignat, esse optimè deducit.

Honor. PP. obijt 4. Id. Oct. sed. in P. 5. ann. 12. m. 5. dies 18.] Hoc anno Baronius & Gordonius Honorium obijsse testantur; in annorum, mensium, & dierum numero concordat Anastasius Bibliothecarius cum Luitprando; Auctor ille qui Luitprandi nomine de vit. Pont. scripsit *Annos 12. menses 2. dies 18. illi* attribuit; Albo verò Floriacensis *ann. 12. mens. 2. dies 17.*

ÆE.677. Chr.639 *Honor.R.P. succedit Severinus.*] Eodem anno Anastasius, Baron. Gordonius.

Qui

Qui hoc anno moritur.] Sedisse tantùm *menses duos dies 4.* aiunt Luitprandus, & Albo.

Severino Ioann. IV.] Quem successisse hoc anno patet ex Synodo Romana anni sequentis, apud Baron.

Conantius Ep. Palent. &c. moritur.] Ad Cinthilani ætatem pervenisse Conantium hunc, testis est S Ildephõsus lib. de Vir. illustr. hoc elogio, *Conantius, post Mavulanem* (an *Murilanem*?) *Ecclesiæ Palentinæ sedem adeptus est; Vir tam pondere mentis, quàm habitudine speciei gravis; communi eloquio facundus & gravis* (annè *gratus*?) *officiorum Ecclesiasticorum Ordinibus intentus, & providus; nam melodias sonis multas noviter edidit: orationum quoque libellum; de omnium decenter scripsit proprietate Psalmorum. Vixit in Pontificatu ampliùs 30. annis, dignus habitus fuit ab ultimo tempore Vviterici, per tempora Gundemari, Sisebuti, Suintbilani, Sisennandi & Cintbilæ Regum.* Palentinum Episcopum fuisse non hinc solùm, sed ex Conciliorum, quibus interfuit, subscriptionibus constat; nam Ær. 648. sub Gundemaro, nono loco, *Conantius S. E. Palentinæ Episcopus* Toleti *subscripsit*; eodem modo Ær. 671. Concilio Tolet. 4. sub Sisenando; Ær. 674. Concil. Tol. 5. & Æ. 676. Concil. Tol. 6. sub Cinthilane, vid. Vasæum ad ann. 639. Moral. L. 12. cap. 6. Padilla Cent. 7. cap. 26. in MM. SS. *Conantius* & *Tonãtius* indistinctè inveni: pro *Tonantio* stant alij eiusdem nominis, ut Archiepiscopus Toletanus apud M. Maxim. ann. 598. 600. 602. & 612. necnon Archidiaconus etiam Tolet. apud eund. ann. 462. de quo Sidon. Apollinar. in Propemptico ad lib. atque alibi non semel. pro *Conantio* Conciliorum MM. SS. consensus & noster Luitprãd.

S. Phara virgo Benedictina fugiens patrem, Tudem venit.] Iulianus ad ann. 660. *in Gallæcia oppido Meladensi, sive Melducensi S. Phara virgo Benedictina monialis sub Heraclio Imperatore,* Martyrologium M. S. vetus Ecclesiæ

Pla-

Placentinæ: *Tude & in pago Meldenensi S. Pharæ virginis*, Vsuardus & Martyrolog. Roman. 7. Decemb: *In pago Meldensi S. Pharæ virginis.* De ea Ionas apud Bedam tom. 3. Vincentius Bellov. 23. Spec. Hist. cap. 15. & 16. Sigebertus ad ann. 620. Equilinus lib. 1. cap. 34. Trithemius lib. 3. cap. 55. de Vir. illust. Ord. S. Bened. Surius 28. Oct. tom. 5. Prudentius Sandoval; qui hunc Luitprandi locum laudat, fol. 34. Historiæ Tudensis, Anton. de Iepes tom. & Cent. 2. ann. 617. Chronic. Ord. Bened. alij.

Sub Anast. Episc. Tud.] Qui in Concilijs Toletanis 4. & 6. *Subscripsit Anastasius Tudensis Ecclesiæ Episcopus.*

AEdific. Monast.] Iulian. ad ann. 770. *Monasterium S. Pharæ prope Tudem ad Aquas calidas diruitur à Mauris anno 770.* In cuius locum cessit Sacellum, in quo S. Pharam quiescere illius tractus traditio etiã nunc prodit, vid. Sandoval. fol. 35. Hist. Tudens.

AE. 678. Chr. 640. *Hoc ann. & c. moritur Chint. Rex.*] Lucas Tudensis 6. annos regno Chintilæ assignat; Roderic. Tolet. & Chronicon Generale 4. Vvulsa 5. ann. 8. mens. 9. dies, alij verò aliter; in hac dissidentium opinionum contẽtione locum habet Luitprandus, qui propiùs Vvulsam assequitur.

Succ. Flauius Tulga.] Roderic. cap. 19. lib. 2. *Mortuo Chintila Tulgas bonæ indolis & radicis Gothorum Regnũ suscepit.*

Reg. ann. 2. mens. 4.] Eodem modo Vvulsæ Chronic.

Hoc anno Iustus, &c.] Vide quæ ad ann. 623. ex Ildephonso diximus.

Accitan. Ciuit. qui interfuit Concil. 4.] In quo subscripsit *Iustus Ecclesiæ Accitanæ Episcopus*, sed *Gallum* Luitprandus ann. 623. dicit.

AE. 680. Cr. 642. *Hoc ann. Heraclius, &c. mense maio moritur.*] Eodem anno etiam Sigebertus, *Heraclius Imp. moritur.* Theopha-

phanes *maio mense* signatè tradit, vid. Baron. ann. 641. Alij *Martio* vel *April.* Gordon. eod. ann.

Qui Cruc. Dom. restituit, &c.] Vide quæ ad ann. 626.

Theodor. Theod. fil. Hiero. Græcus natione, &c. sedet ann. 6. m. 5. d. 14.] Auctor de vit. Rom. Pont. sub Luitprandi nomine hoc anno. *Theodorus natione Græcus, ex patre Theodoro, de civitate Hierusalē sedit ann. 6. mens. 5. dies 14.* cui Albo Floriacensis adstipulatur, & si in numero dierũ, quos 18. assignat, variet: Anastasius S.R.E. Bibliothecarius an. 7. mẽs. 5. dies 20. voluit, vid. Baron. ad an. 649.

Hoc ann. &c. moritur Rex Tulga.] Teste Roderico Tolet. cap. 19. lib. 2. *Toleti propria morte.* Post quem,

Cindasuindus Rex Goth. eligitur, &c.] Conveniunt Isidor. Pacensis, Roderic. Tolet. Luc. Tudensis, Chronic. Alphonsi X. Alphonsus Carthagena, alij adversus Sigebertum, cui 684. *Tulgane à Vvisigothis propter pueritiæ levitatem reprobato, & in clericum tonsorato Thintasindus regnat post eum an. 20.* in quo plures errores quàm verba; unde illa habuerit, nondum divino.

Regnat ann. 6. m. 9.] Roderic. Tolet. cap. 21. lib. 2. *Cindasuindus, &c. regnans 6. annis mensibus 9.*

Eufridius Diaconus, &c.] Ildephons. præfat. lib. de Vir. illust. *Eugenio Eufridius* (vel ut in alijs est, *Eufilius,* uti in alijs Luitprãd. *Fredenandus*) *Diaconus suus cum innixus amicitiæ seculari violenter honorem Presbyterij, & quædam prædia extorsisset tam in reprobum sensum, tanquam in languoris supereminentem pervenit statum, ut cùm vivere recusaret, tam * * * mori esset quàm viveret, quàm vivere, quàm mori mallet.* Corruptissimè; fortè sic legẽdum; *ut cùm vivere recusaret, tam mori posset quàm vivere, & tam vivere, quàm mori mallet.*

Vt Gerontius, &c.] De hoc etiam idem Ildephons. *cùm Iusto Episcopo Gerontius presbyter Principis oblectamine fotus, contemptum, adversitatemque deferret, tam re-*

pentino motu vim perdidit intellectus,ut multis medicorum curationibus quidquid in medelam fieret, totum in pestis augmentum cresceret, sicque invaluit commotio mentis, ut usque ad obitum suum terror esset homini, eius vel participatio visionis,vel colloquium oris.

Vt Iustus,&c.] Vide ann. 623. & 640.

AE.681. *In sed.Const.ponitur Paullus hæreticus.*] Monothelita
Chr.643 Pyrrho secedenti in Africam subrogatus, ex Cedreno.

AE.682. *Synodus Rom.contra Paullum,&c.*] Palmerius, *Conci-*
Chr.644 *lium Romæ celebratur Episc.200. in quo Paullus Constantinopolitan. Episc. hæreticus declaratur damnatus*; ex Cedreno, ab ijs Sig. Baronius, ceteri.

Synodi tres Africanæ collectæ,&c.] Exstant eorũ Acta in Concilio Lateranensi sub Martino.

AE.684. *Ineunte ann. V. R. Cindas.26.martij, moritur S. Brau-*
Chr.646. *lius,&c.*] Quo die celebratur in Martyrolog. Roman.

Eximiæ doctrinæ.] Isidorus Pacens. *Braulio Cæsaraug. Episc. cuius eloquentiam Roma, urbium mater & domina, postmodum per epistolare eloquium satis mirata est*; vid. sidor. Ildeph. Roderic.

Et de clariss.Goth.stirpe.] Idẽ asserit lectionariũ Cæsaraugustanũ, in quo eius Vita. Vid. Padill. cap.28. Cẽt. 7. & Didac. Murill. cap.28. lib.1. Hist. Cæsaraug.

XV.Kal.Nov.cogitur Tolet.7.Syn. &c.] Conveniunt omnia cum inscriptione huius Cõcilij collecti Æ.684. hoc est, anno 646.

AE.685. *I.iul. moritur Toleti S. Eugen. secundus, &c.*] Iulian.
Chr.647 eod. ann. vid. S. Ildeph. cap.13.

Verecundus Episc.Vtic.in Africa,&c.] Felix Archiepiscopus Tolet. in Scriptoribus illustribus, qui in M. SS. Isidori & Ildephonsi sine nomine Auctoris interdũ legũtur, *Vergundum* hunc vocat, & luculẽto elogio celebrat, *Vergundus*, inquiẽs, *Africanus Episcopus, studijs liberaliũ litterarum disertus, edidit carmine dactylico duos modicos bre-*

breveſque libellos: quorum primum de Reſurrectione & Iudicio ſcripſit; alterum verò de Pœnitentia, in quo lamentabili carmine propria delicta deplorat.

Vticæ in Africa.] Benè, nam *Vtica* etiam alia in Hiſpania *Bætica*, Appiano Iberic. Dextro ad ann. 66. & Antonino Itiner. de qua plura nos ad Dextr.

Martian. Fabricij fil. Tudertinus, &c.] Conveniunt hæc cum Anaſtaſio, & Albone, ſi dierum numerum excipias; vid. Baron. ad hunc ann. *AE. 867 Chr. 649*

S. Eugenius, &c. Toleti floret, &c.] Cùm *Eccleſiæ regiæ clericus eſſet egregius*, teſte Ildephonſo de Vir. illuſt.

Synod. Hiſp. contra Monothelitas.] Fragmentum hoc loco ſuo motum reſtituendum eſt. Æræ 657. ut habent illius Synodi inſcriptiones, hoc eſt anno 649. Nam certè Canone 13. *de duabus in* CHRISTO *Naturis, & una Perſona*, egregiè diſputatur.

S. Eug. &c. ſucced. Eug. tertius, &c.] Ildeph. *Itē Eugenius alter poſt Eugenium Pontifex ſubrogatur, &c. Principali violentia reductus, atque in Pontificatum aſcitus, &c.*

Hoc an. 1. Oct. mor. Chindaſ. &c. ſuccedit illi Receſuintus filius, &c.] Eodem die Moral. lib. 12. cap. 30. ſed anno 650. Michael verò Ritius lib. 2. de Reg. Hiſp. & Gordon. hoc anno, ſed ultimo Septembris; non mirum, cùm Receſuintus (ſic ex nummis lego) etiam cum patre Chindaſuindo regnârit; alij à morte patris, alij multò ante initia regni illius computarunt. *AE. 691. Chr. 653.*

In æd. S. Mariæ, quæ vulgò voce Arabica Alficenſis, &c.] Illa nimirùm eſt *Eccleſia, quæ dicitur* S. MARIA de ALFICEN, *quæ nunquam Chriſtianitatis titulum perdidit, & quamvis ſub poteſtate Paganorum non deſijt à Chriſtianis incoli & venerari, licèt ſub iugo perfidæ gentis*, ut verbis Alphonſi 7. Regis dicā in donatione S. Servandi Monaſter. Æra 1133. Nam in ipſa Toletanarū oppreſsione ſacellū Chriſtianis hominibus inter medias Arabū turmas

exstabat venerandum Monasterio mox S. Servandi datum ab eodem Alphons. postea Monialibus Benedictinis, quæ de *Alficen* dictæ, tandem Carmelitanis fratribus cessit, ut pluribus egi cap. 12. rerum Toletan. *Alficen* Arabibus *quod in inferiori parte* est, ut ait Alcocer cap. 24. lib. 2. Hist. Toletan. Salazar cap. 21. Chronic. Taver.

Fl. Rodoaldus Rotarij filius, &c.] Palmerius ad ann. 656. *Longobardorum 18. regnavit Rodoaldus Rotarij filius 15.* falsò, nam tantùm quinque annos regnavit, vid. Sigon. Gord.

Synod. Rom. collect. Cont. H. Monothelitas.] Anno præterito assignat Sigebertus.

Martinus PP. Martyr. Coron. prid. id. Novemb.] Quo etiam die Beda, Vsuardus, Ado, Martyrol. Rom. & ceteri recentiores.

Hoc ann. collecta est sub Eug. &c. Syn. 8. Tol. anno 5. Reccesuinti.] Æra 615. ut habet inscriptio huius Concilij; *anno 5. orthodoxi, atque gloriosi & vera clementiæ dignitate perspicui Reccesuinti Regis*: sic liminaria ipsius verba.

AE. 692. *Fl. Heracl. const. quinctus Pogonatus, &c.*] Ita in Zona-
Chr. 654 ra ὁ πωγωνάτος à patre Constante in imperium admittitur: eodem anno Baron. Sig. Gord.

AE. 693. *Hoc ann qui est 7. Reccesuinti, &c. congregatur 9. Synod.*
Chr. 655. *Tolet. &c.*] Inscriptio Concilij 9. Tolet. *Ann. 7. Domini Reccesuinti Principis AEra 693.* & 1. cap. *Ann. 7. Reccesuinti Principis.*

AE. 694. *Hoc ann. qui fuit 8. Reccesuint. &c. Toleti 10. Synod.*]
Chr. 656 Eodem modo inscribitur. *In nomine Domini habita Synodus 10. in Toletana urbe, die* Kal. *Decemb. ann. 8. gloriosissimi Domini, & religiosiss. Reccesuinti Principis AEra 694.*

AE. 695. *Hoc ann. 13. Novemb. moritur Toleti S. Eug. 3. &c.*]
Cr. 657. Quod e Martyrol. Roman. *Tolet. S. Eugenij Episcopi & Confessoris.*

Ia-

Iacet in S. Leocadia, &c.] Ildephonſus de Eugenio, *Poſt lucis mundanalis occaſum in Baſilica S. Leocadiæ tenet habitationem ſepulcri.* Exſtat eiuſdẽ Ildephonſi Epitaphium Eugenio poſitum apud Iulianum, quod ijs cõfirmandis, & ipſo emendando, ut ſoleo, ſubijciam;

Præſulis EVGENI *iacet hìc venerabile corpus,*
Quem Leucadìæ templa verenda tenent;
Hic Monachus factus, mortales dum fugit umbras,
Et Toletana Præſul in urbe ſenex;
Vita beata fuit, mores ſine labe pudici,
Qualis Iſidorus, ſive Leander erat.
Diſcipulus dat dilecto poſtrema Magiſtro
Et Conſanguineo funeris officia.

S. Ildephonſus Monachus Agalienſis, &c.] Ipſe Ildeph. in Helladio, *Agalienſe, &c. cuius me ſuſceptio Monachum tenuit.*

Vir nobilis.] Vide quæ diximus ad ann. 606.

Abbas S. Coſmæ & Damiani, &c.] Cixilla in eius vit. *In Eccleſia SS. Coſmi & Damiani, quæ ſita eſt in ſuburbio Toletano Abbas, &c.*

In demortui locum Eugenij.] Cixilla *Decedẽti Domino Eugenio in ſede ſua Epiſcopus præficitur.*

Cognati ſui.] Probant Salazar & Portocarrerus latè in vit. S. Ildeph. cap. 2.

Voto Reccesuinti Reg. Vviſ. &c.] Iulianus Epiſcopus, qui etiam Ildephonſi vitam ſcripſit. *Principali poſthæc violentia Toletum reducitur, atque inibi poſt deceſſoris ſui obitum Pontifex ſubrogatur.*

S. Ildeph. mores hominum Aulicorum deprav. & ipſ. etiã *AE. 698*
Reg. chriſtiana libertate reprehendit, &c.] Cixilla de *Chr. 660*
Recceſuindo, qui *eum* (Ildephonſum) *ob iniquitates ſuas increpatas ſuperbo oculo intuebatur;* unde vulgatum illud.

Enſis in offenſis erat Abbas Agalienſis.

Nonnullos Iudæorum ad Fid. conv. baptizat.] In vetuſto mem-

membranaceo libro Bibliothecæ Ecclesiæ Toletanæ Ildephōſus monachali veſte ornatus depingitur cū multitudine Iudæorum, ut ad Fidem reduceret, de ſuggeſto ſermonem habens; vid. Portocar. cap. 3. vit. S. Ildeph.

Taio Episcopus Cæſaraug. clarus habetur.] Qui in 8. Tolet. Cōcilio ſubſcribit, de quo plura Notis ad illius fragmenta Chronico M. Maximi aſſuta.

AE.699 Chr.661 *Hæreticos &c. Theudium, & Helladiū, &c. Ildephonſus, &c. viriliter confutat, &c. & tota Hiſp. cogit exſulare.*] Roderic. Tolet. cap. 22. lib. 3. *Huius* (Ildephonſi) *tempore cùm Helvidius & Pelagius* (ſic eos appellat) *à Gallis venientes, pleraſque partes Hiſpaniæ infeciſſent, Virginitatē B. Virginis infamantes, B. Ildephonſus illis occurrens, ſacrarum Scripturarum teſtimonijs, & lingua meliflua, & gratia in labijs ſuis diffuſa, eorum dogmata cōfutavit, & ab Hiſpanijs confuſos abegit*; Iulianus Petri ad ann. 660. in Chronic. *Ildephonſus 7. idus novemb. hoc anno Concilium Toleti contrahit contra quoſdam hæreticos malè ſentientes de Virginitate* B. MARIAE, *quòd dilatatis virginalibus clauſtris, ut ceteræ mulieres, peperiſſet, ſine novo quodā miraculo.* Et ad ann. 666. *Hæreticos Gallos Theudium, & Helladium loquentes de parturitionis modo* B. VIRGINIS MARIAE *editis libris, &c. confutat.* Nomina horum varia apud Scriptores; Chronicon Hiſpaniæ Generale, Lucas Tudenſis, Morales, Mariana in Hiſtoria Latina, Padilla, *Helladium* & *Pelagium* vocant. Rodericus alterū *Helvidium*, alterum *Pelagiū*; Luitprandus, Iulianus, Ioann. Magnus, Vaſæus, Gabr. Vazquez *Helladium* & *Theudiū*; quod verius & rationi convenientius eſſe Apologiâ pro Deſcenſione B. Virginis in Templum Toletanum copioſiſsimè comprobavimus.

Sermonibus, & quatuordecim edit. lib.] Hodie *ſermones duodecim* habemus, unà & Tractatum de Virginitate B. MARIAE, & alium de *perpetua Virginitate, & parturitio-*

tio-

sione eiusdem apud Nivellum Parisijs ann. 1577. & tom. 9. Bibliotheca SS. PP. edit. 2. Annè Tractatus isti duo & duodecim sermones sunt *quatuordecim libri, quos edisse S. Ildephonsum* Luitprandus prodidit?

Hoc ann. 9. die decemb. apparet S. Pontifici S. Leocadia V. & Martyr. &c.] Cixilla, *sic enim habitator suus Spiritus Sanctus egit, ut quod per tot annos populis desiderantibus, necdum ostensum fuerat illis, iste patefaceret primus, & reliquias S. ac Deo dicatæ Virginis & Confessoris suæ Leocadiæ adveniente in sede regia sua festivitate omnibus adstantibus præsentaret, & ipso ante sepulcrum eius genibus provoluto, tumulum, in quo sanctum eius corpusculum usque hodie humatum est, exsiliret, &c. Conspectui eius Virgo pulcerrima obsequens advētaret*; vid. Martyrol. Rom. Bedæ, Vsuardi, Adonis 9. Decemb.

Contra hos hæreticos.] Iulianus Archiep. inter opera S. Ildephonsi recenset *libellū de Virginitate* S. MARIAE *contra tres infideles*; inscriptio vetus in M. S. Michaelis Carrāzæ ἀντὶ τριῶν ἀπίςων. Qui nam *tres* ij *infideles*? Elvidius, Theudius, Pelagius, de quibus egi Apologia iam dicta copiosiùs; sed eruditiùs amicus noster ingenio, & eruditione clariss. M. F. Alphōs. Vazq. de Miranda Ecclesiastes Regius L. 4. Ildephonsi defensi cap. 3. & 4.

Ex litteris Genesij, &c.] Fr. Portocarr. cap. 14. vit. S. Ildeph. ex Luitprādi Chronico hæc laudat. *Genesius primus Episcopus Arvernensis admonet D. Ildephonsum per litteras de hæresi Ioviniani per quosdā excitata Arvernis, qui dicebant B. Virginem in partu corruptam mansisse, & eos tendere in Carpetaniam, ut urgentem* (Lege *vigentem*) *fidem in sanctissimam Virginem suis falsissimis rationibus labefactarent, & omnino perderēt.* Vnde ille hauserit potiùs divino quàm scio. Certè in Chronico hodie non inveniuntur, & fortasse recentis manus (ut alia quæ pro antiquis habentur) illa excerpta fuisse si dixero,

non

non longè à veritate, deviabo: Surius in monasterio Magnolocensi S.Ildephonsi litteras, quas ad Genesiũ de hac re posteà dedit, conservari, cùm de S. Benedicto ageret, testatus est.

Qui dictus est Adelardus Abbas Corbeiæ,&c.] Malè in M.S.*Abelardus*,nam in ipsius Epitaphio,

Hìc iacet eximius meritis venerabilis Abbas
Noster Adelardus, —

Legitur; quo etiam modo Paschasius Radbertus, qui illius vitam scripsit apud Surium 1.Ianuarij,eum vocat. vid.Ant. de Iepes tom.2. & 4. Chron. Benid. plura nos ad Iuliani Chronic.ann.820.

AE.701. Chr.663 *Reparatus 37.Episcop. Ravenn.*] Vid.Hieronym. Rubeum lib.4.Hist.Ravenn.

Theod.Tarsens. patria Arch. Cantuar. &c.floret.] De quo latissimè Beda lib.4.de reb. Angl. cap.1. & 2. vid. Baron.ad ann.668.

AE.702. Chr.664 *Synodus Britan. habetur de controversia Pasch.*] Sigebert. hoc ann. *in Anglia inter Anglos & Scotos magna de observatione Paschæ fit disceptatio*, &c. Beda copiosiùs lib.3.cap.25.

Hibernos sive Scotos.] Signanter D.Isidorus 14.Orig. cap.6. *Scotia eadem & Ilibernia, proxima Britanniæ insula*; nec aliter apud antiquos Scriptores AEthicum in Cosmog. Orosium 1. Orchest. cap. 2. Ionam in vit. S. Columbani, Bedam Hist. Aug. Probum lib. 1. vit. S. Patricij, Cogitosum procem.vit.S.Brigittæ, Adamnanum in vit. S. Columbæ, Vsuardum & Notkerum in Martyrol. Sigebertum & Marianum Scotũ in Chron. atque alios, ut eruditè probat religione pariter & dignitate illustriss. Petrus Lombardus Archiepisc.Ardmachanus, & Hiberniæ Primas cap. 2. Commentarij de Hibernia, Insula sanctorum. Nam ex ea egressa Scotorum pars Septentrionalem Britanniæ insulæ partem unà

unà cum Pictis, qui ibi antea erant, ſub annum Chriſtianum 550. incolere cæpit. Vnde ea Regio, quę priſcis Caledonia, ſub ann. ferè 1000. Scotia quoque vocari incæpta eſt; inde Hiberniam *Scotiam maiorem*, Caledoniam *minorem* recentiores Hiſtorici appellare aſſueverunt; vid. D. Philippum Oſullevanum, amicum noſtrum, qui antiqui apud ſuos generis claritati diligétiam in Hiberniæ patriæ monumentis illuſtrandis ſedulam adiungit, lib. 1. Compendij Hiſtor. Catholic. Hibern. cap. 2.

Fl. Godobertus & Fl. Bertariſus Aritperth. Reg. filij reg. AE.703.
in Ital. &c.] Sigeb. *Aritperth Longobardorum Rege de-* Chr.665
functo, Godebertus & Bertarith filij eius anni agunt, &c.
Paullus Diacon. ceteri.

Godob. occiditur, Bertariſ. fugatur.] Matth. Palmerius AE.704.
in Chr. *Longobardorum 20. regnavit Gundipertus ann. 1.* Chr.666
menſ. 3. Hic cum patre ſuo Bertario, qui Mediolanum tenebat, contendens, Grimoaldum Beveventanorum Ducem cum exercitu accivit, à quo paullò pòſt interfectus, & Bertarius in Pannoniam fugit.

Grimoald. &c. fit Longobard. Rex.] Idem Palmer. *Grimoaldus verò 21. regnum occupavit, &c.* eodé modo Paullus Diaconus, Sigebert. Sigonius, Blondus, alij.

Feria 5. in vig. Exſpectat. B. MARIAE, *&c. S. Ildephon-* AE.705.
ſus A. T. vidit, &c. B. Virginem, &c. quæ dulciter illum affa- Chr.667
ta cappa donat cælitus elaborata. Integrâ Apologiâ certiſſimam miraculi huius traditionem tutatus ſum annis ſuperioribus adverſus ὑπήνεμον homuncionem, qui ſacrilego halitu conſtantem per tot ſecula Toletanorum fidem fœdare nó eſt veritus; Nunc Cixillæ tantùm de hac re è MM.SS. verba ſubijciam, ut ſalté credatur ijs, quibus per ætatem licuit rei geſtæ miraculo intereſſe: *Superveniéte verò die ſanctæ & ſemper Virginis* MARIAE *&c. dum ante horas matutinas ſolito more ad obſequia Deo*

peragenda consurgeret, & vigilias suas Domino consecraret. Diacono vel Subdiacono ante eum faculis præcedentibus subitò ostia aperientes & Ecclesiam intuentes, atque splẽdore cœlesti oculos defigentes, lumen, quod ferre non valuerũt, cum tremore effugientes, lampadas, quas manibus tenebant, reliquerũt, & sua vestigia, per quæ venerãt, adeuntes, propè mortui reversi sunt ad sodales: solicitè omnis congregatio requirit, quid de Dei servo ageretur cum Angelicis choris, &c. At ille sibi benè conscius ante altare S. Virginis procidens, reperit in Cathedra ipsam Dominam sedentẽ, ubi solitus erat Episcopus residere, & populũ salutare, &c. & elevatis oculis aspexit in circuitu eius, & vidit omnem absidã Ecclesiæ repletã Virginũ turmis, de cãtionibus David modulata suavitate aliquid decantantibus. Aspiciensque in eũ (ut ipse sibi conscijs & benè carissimis referebat) hac eũ allocuta est voce. Propera in occursum meũ, serve Dei rectissime; accipe munusculũ de manu mea, quod de thesauro Filij mei tibi attuli: sic enim tibi opus est utì benedictione tegminis quæ tibi dãda est, in meo tantũ die utaris, &c. Et hæc dicens ab oculis eius unà cũ Virginibus & luce, quà venerant, remeavit. Quo die id acciderit, & quæ illa *Exspectationis* festa dies sit præter ea, quæ fusiùs tradũtur in Offic. Ecclesiast. Eccl. Tol. à S. D. N. Greg. 13. approbatis, plura nos fol. 40. 41. 43. Apol.

Festum Incarnationis, hoc est 15. Kal. Ian.] Patres Cõcilij Toletani 11. cap. 1. *Quod est festum matris nisi Incarnatio Verbi?* &c. *Proinde, &c. solennitas Dominicæ Matris die 15. Kal. Ianuar. omnimodò celebretur.*

AE. 706. *Elborenses in agro Carpetano Theudium & Pelagiũ, &c.*
Chr. 668 *à suis ædibus amandant.*] An *sedibus*? fortassis, ut similibus exemplis comprobavi Schediasm. 1. decad. 1. Horar. subsecivar. Iulianus ad ann. 666. *Talaverienses, qui & Elborenses, hæreticos præfatos revertentes suis sedibus ignominiosè verberatos ad Gallias redire compellunt.*

Cordub. Toleti, &c. memoria est S. Genesij, &c.] Vtrobique

que ab antiquiſsimis temporibus Geneſio Baſilicæ dicatæ ſunt; Toleti paræcia hodie exſtat ſub Geneſij nomine, de qua nos cap. rer. Tolet. 11. Cordubenſis meminit Alvarus Cordubenſis in vit. S. Eulogij, & ipſe Eulogius Cordubenſis lib. 2. Memor. SS. Apologetico Martyr. & Raguel Presbyter in vita S. Pelagij Martyris, paſsi Cordubæ ſub Habdarraghmane Rege.

Hoc eod. ann. appoſitus eſt in Sacrario S. Eccleſ. Tolet. gladiolus impenſus à Rege, &c. ad recindendum velũ S. Leocadiæ, &c.] Cixilla in apparitione S. Leocadiæ, *Clamabat* (Ildephonſus) *inter voces populi velut mugiẽs, ut aliquod inciſorium deferrẽt, unde quod manibus tenebat, præcideret, &c. ſed Princeps Receſuintus, &c. cultrum modicum, quẽ in theca tenebat, cum lacrymis offerebat, & collo ſubmiſſo ſupplicibus manibus à throno ſuo extenſis, ut eum illi deferrẽt inſtantiùs deprecabatur, poſtulans ut indignum nõ iudicaret ſua cũ lacrymis offerentẽ. Quem ille apprehẽdẽs quod manu læva iam modicum tenebat, dextera præcidit, & cultrum ipſum unà cum eiſdẽ reliquijs, thecis argenteis collocavit, indignum iudicans, ut qui ſancta præciderat, polluta ultrà non tangeret, ſed coram requirenti munus quantum valebat, Vicario præcepit impendi, &c.* Hodie inter veneranda Sacrarij Toletanæ Eccleſiæ cimelia viſuntur pars illa virginei veli, & Regius culter; vid. Blaſ. Ortizius cap. 9. & 25. ſummi Templi Tolet. deſcript. Salazar §. 2. cap. 10. & Portocarrer. cap. 16. vit. S. Ildeph.

Cùm lapide marmoreo.] Blaſius Ortiz. ſive (quod verius eſt) Ioan. Vergara Eraſmo familiaris, Canonicus Toletanus cap. 57. Deſcript. S. T. Tolet. cùm de ędicula Virginis Matris deſcenſioni ſacra, & oratorijs Eccleſiæ Toletanæ pilis adhærentibus ageret, ſubdit, *Subtus ſiniſtrum cornu altaris aſſervatur ſaxũ reticulo ferreo munitum exterius, in quo ſteterunt* B. MARIAE V. *pedes; ſuper quod huiuſmodi metrum petra ſculptum legitur.*

QVANDO LA REINA DEL CIELO
PVSO LOS PIES EN EL SVELO,
EN ESTA PIEDRA LOS PVSO;
DE BESARLA TENED VSO,
PARA MAS VVESTRO CONSVELO.

Quare cives Toletani magna devotione lapidem hunc, utpotè ſcabellum ſacris MARIAE *Virginis tactum pedibus, deoſculantur.* Rem copioſiùs narrãt, & Hiſpanico illo rythmo pio magis quàm eleganti confirmant Martinus Vibaldus in Candel. aureo E.S.D. cap. 7. de irreg. non ſervand. Cærem. E. R. Moral. 12. cap. 39. Padilla Cent. 7. cap. 49. Io. Amiax cap. 9. Florum B. Virg. de Codès; Rod. de Iepes cap. 4. par. 2. de Innocent. Guard. Petrus Sanct. par. 12. fol. 24. Hiſt. mor. & philoſoph. Didac. Perez de Meſa, 2. cap. 73. Hiſpan. Memor. Pet. de Medina. Salazar cap. 12. Portocarrero cap. 25. Paull. Spinoſa 2. part 1. Hiſt. Hiſp. Nos fol. 35. Apol. pro Deſcenſ. In illius tandem loco ceſsêre verba Pſalm. 131. *Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes eius.*

Primogenita filia Eccleſ. Rom.] Vid. quæ ad epiſt. Tractemundi ad Luitprand. notabamus N.

Bonam partem huius Cathed. aliò translatam, &c.] Ægidius Zamorenſis Sanctij Regis cognomento Ferocis Magiſter in Adverſarijs M. S. *Audivi Chriſtianos Toletanos in adventu Sarracenorum tuliſſe in ſaltum diſtantem à Trogillo 12. M. P. & ibi abſcondiſſe Cathedram, & unum Lignum Crucis, & quandam imaginem, & à priſcis temporibus in aëre luces apparere.* Hodie oppidum illud *Sancta Crux de la Sierra* appellatur ſub dominio clariſsimi, & omnibus nobilitatis, prudentiæ, & dignitatis dotibus illuſtriſsimi D. Ioannis de Chaves & Mendoza, Militiæ Iacobæi Equitis, Comitis de la Calçada, ampliſſ.

Ordi-

OrdínumConſilij Principis,ſupremi Senatus,acRegiæ Cameræ Conſiliarij, cuius egregiæ pietati debebit fortaſſe poſteritas patefactum, quod hucuſque abditum veneramur,præſertim cum cæleſti lumine, ut olim, nūc tractus ille, in quo vetuſta illa religionis Hiſpaniæ monumenta ſervata creduntur, iterum colluſtretur; vid. Portocarrer.cap.24.vit.S.Ildeph.

Iulianus,&c.cum alijs Eccl.Tol. Diacon. Gudila & Felice floret.] Vid.quæ ad ann.680.

23 die Ian. m. S.Ildeph.&c. in Æde S.Leoc.&c. ad pedes S.Eugenij,&c.] Iulianus Archiepiſcop.Tolet.*Aſcitus autem in Pontificatum 9. glorioſi Recceſuinti Principis anno: novē annis,& duobus ferè menſibus, clarus habitus fuit vitæ meritis,& retentatione*(Leg.*recta attentione*) *regiminis; expletoque octavo decimo prædicti Principis anno ſequenti die 10.* Kal. *Febr. domicilio carnis exſuitur,atque in Eccleſia B. Leocadiæ tumulatur, ad pedes ſui conditus deceſſoris.* Conſentiūt ijs Iulianus Archipresbyter ad ann. 667.& Roderic.Tolet.cap.ult.lib.2.Martyrolog.Rom. eod.die,& ceteri recentiores.

Alphonſi iacet hoc corpus, &c.] Portocarr. cap.19. vit. S.Ildeph. eandem ſepulcralem inſcriptionem, duobus tamen verſibus mutilam,laudavit.

Receſuint. Abb. Bened. Bracar.] Copioſiùs, ſuo more, Iulianus ad ann.667. *Recceſuintus Abbas Bracarenſis patria,ex Benedictinis floret, Poëta & Orator egregius,cuius ad Ildephonſum exſtant epigrammata, & nonnullæ epiſtolæ ſpirantes pietatem,*&c.

Quiricus ex Epiſc. Barcin.] Qui in Toletano Concilio 10. ſubſcribit decimo loco, *Quiricus Barcinonenſis Epiſcopus.*

Non multo poſt Tolet. Eccl.regit, &c.] Iiſdē ferè verbis Iulianus in Chronic.ad ann.667.

Cæſarius Arelatenſis Epiſcop. ex Monacho mon. Ler. AE.707. diſc. Chr.667.

disc. S. Porcarij, &c. Incredibile quàm immanis erratorũ seges in M. SS. quos viderim, succrevit, quam non unâ falce vel (quod aiunt) Calenâ quis semel demetat. Hic *Arcobricensis* pro *Arelatensis*; *Paromi* pro *Porcarij* distinctè legebatur; sic in ceteris, quæ, ne lectorum patientiâ abutar, tacita prudens prætermitto: nã in singulis fragmentis, vel ariolandi arte, vel nodorum plusquã Gordiorum extricatione utaris, necesse est. Quibus Toletanorum MM.SS. copia contigerit, cùm patientiã meam in tot enodãdis anfractibus, tum fortasse memoriam in ad sua loca reducendis mirabuntur. Verùm publicæ utilitatis caussâ etiam deteriora libens subibo. Semel, semper hoc testatum volo. Ad rem igitur. Hoc anno 669. Trithemius de Vir. illustr. Ordin. S. Bened. & de Script Ecclesiast. Cæsarium floruisse testatus est, ex Vincentio nimirùm Bellovacẽsi, qui anno sequenti, nẽpè 700. illum claruisse tradidit. Fortasse Vincentius ex Luitprando, in cuius Chronico ad hos annos illius memoria pervenit; falsò tamen, ut Ecclesiasticæ Historiæ Pater probat Notis ad Martyr. 27. Augusti, quo die illius recurrit anniversarius, & tom. 6. Ann. ad ann. 494. & illustrissimus illius verè æqualis Bellarminus de Script. Eccles. ad ann. 499. unde accuratè animadversum à Suffrido Petri Leovardiensi Censurâ & Annotat. in Gennad. cap. 86. cum alijs Gennadio infartum.

Monast. Lirin.] Quod Apollin. Sidonius Epist. 3. lib. 9. indigetat *palæstram congregationis Eremitidis*; & ex quo difficile erit memorare,

— quantos illa Insula plana
Miserit in cœlum montes —

S. Porcarij.] Ex Cypriano Cæsarij discipulo, qui illius
ÆE. 708. vitam scripsit apud Surium tom. 4.
Chr. 670 *Aquiliensis.*] In alio M.S. *Achileiensis.*
ÆE. 709. *Vitalian. P. obijt succ. Adeo-datus.*] Anno præceden-
Chr. 671 ti

ti Sigeb. hoc Genebrard.vid.Baronium ad ann.669. *AE.710.*
Kal. Septemb.moritur,&c. Reccesuintus,&c.] Eodem *Chr.672*
anno & die Vvulsa Episcopus in Chronico, cui ob antiquitatem,& exploratam in ceteris rebus fidem plus tribuendum est quàm alijs; vid.Moral.cap.40.lib.12. Padill.Cent.7.cap.50.Marian.lib.6.cap.11.

Toleti.] Sic voluit Alphonsus Carthagena Episcop. Burgensis cap.38.Anacephal. *Obijt autem Reccesuintus morte propria Toleti.* Aliter Roderic.Tolet.cap.ult. lib. 2.*Reccesuintus,&c.in villa propria, quæ tunc Gerticos,nunc Vvamba dicitur in territorio Pallentino obijt* Kal.*Septemb.* quem ferè omnes Historici sequuntur.

Sepultus in AEde S. Leocad. &c.] Si Toleti Reccesuintus moreretur, hîc absque dubio more maiorum sepeliretur. Certè huc illius corpus translatum tempore Aldephonsi cognomento Sapiẽtis Morales & Mariana, cum ceteris recentioribus testãtur; ego ex ipsius privilegijs confirmo cap.11.rerum Tolet.Histor.

Flavius Vvamba.] In antiquissimo legũ Gothicarum Codice,qui *Forus Iudicum* nũcupatur, *Flavij* prænomine Vvamba insignitur; nescio an alibi illo decoretur.

Palatinus.] Ex quo ordine erant *Viri illustres*; De Vvambane ipso decretum quoddam ad calcem Concilij Toletani 10.*Delatum est ad nos in Conventu sancti Cõcilij,ex directo gloriosi Domini nostri Reccesuinti Regis per illustrem Vvambanem,testamentum,&c.*

De nobilis.genere Gothorũ.]Roder.Tolet. cap.1.lib.3. *Vvamba vir nobilis de Gothorum nobili genere,*sic ceteri.

Dilata est vnctio.] Nã propter Ecclesiæ & Vrbis Toletanæ honorẽ,noluit alibi quàm Toleti unctionis prærogativa decorari,teste Iuliano Archiepiscopo in Vvãban.vid.Moral.cap.41.lib.12.Marian.lib.6.cap.12.

Vt præsentibus Episcopis & Palatinis,&c.in Ecclesia B. Virginis,&c.inungitur Rex per Quiricũ,&c.]Roderic.ibidem,

dem, *decrevit se à Regis nomine temperare, donec in maiori Ecclesia unctionis reciperet sacramentum ; mox igitur à Principibus Toletum ducitur, & in Primate Ecclesia B. Virginis à Quirico eiusdem Pontifice in Regem omnibus annuentibus consecratur, &c.*

Sacrata B. Virg. MARIAE *Assumptioni.*] Obtinuit hoc antiquissima in illa, alijsque Hispaniæ Ecclesijs ab ipsis Apostolicorũ virorum temporibus consuetudo, ut pluribus egi fol. 92. secundæ pro Dextri veritate Apologiâ.

AE.711. *Ioann. Episc. Const. flor.*] Fodem ann. Genebr. in
Chr. 673 Chronol.

AE.712. *Gaub. Grimoaldi filius, &c.*] Ex Paullo Diacono, Si-
Chr.674 geberto, Palmerio, Sigonio, qui proximè hunc annum attingentes oberrant.

AE.713. *XI. Synod. Tolet. &c.*] Initialia Concilij huius verba,
Chr. 675 *Collectis in unum Carthaginis Provinciæ Sacerdotibus in Toletana urbe in Beatæ Matris Domini* MARIAE *Virginis sede anno quarto excellentissimi & religiosi Vvãbani Principis, sub die 7. Id. Novemb.* In subscriptionum primo loco *Ego Quiricus* (quem non benè Gordonius *Syriacum* vocat ad ann. 667.) *Vrbis Regiæ Metropolitanus Episcopus hæc gesta Synodalia à nobis definita subscripsi* ; cum eo alij 16. Episcopi, præter Vicarios & Abbates.

Gratindus Abb. SS. Cosm. & Dam.] Eidem Concilio subscribit, *Gratindus Ecclesiæ monasterij Sanctorum Cosmæ & Damiani*, qui malè in aliquot Codd. *Gratinid.* legitur.

AE.714. *Victo Paullo & profligatis omnibus hostibus, &c.*] Rem
Chr.676 hanc ab initio enarrant Iulianus Archiepiscopus in Vvambane; Archipresbyter in Chronic. & Roderic. Tolet. à cap. 2. ad 10. lib. 3. vid. Moral. à cap. 42. ad 47. lib. 12.

Toleti Civitatem Regiã laxat ac muris ambit.] Roderic.

ric.Tolet.cap.11.lib.3.*Postquàm igitur Rex cũ triumpho nobili fuit sedi Regiæ restitutus, sceptra regni meditans, eleganter civitatem Toleti muro & exquisito opere renovavit.*

Portam, quæ respicit Septentrionem, &c.] Idem Rodericus de eâdem urbe ab Vvambane Rege illustratâ, *Quã & operæ sculptorio versificando prætitulãs hoc in portarum Epigrammatibus stilo ferreo, in nitido lucidoque marmore fecit scribi,*

EREXIT.FACTORE.DEO.REX.INCLITVS.VRBEM
VVAMBA.SVAE.CELEBREM.PROTENDENS.GENTIS.HONOREM

In memorijs quoque Martyrum, quas super ijsdem portarum turribus titulavit, hoc similiter exaravit,

VOS.DOMINI.SANCTI.QVORVM.HIC.PRAESENTIA.FVLGET
HANC.VRBEM.ET.PLEBEM.SOLITO.SERVATE.FAVORE

S.Thyrso.] Cui antiquissimum Toleti Templum dicatum fuit; de quo plura dixi ad ann.251.& 770. Chronic.Iuliani.

S.Leocadiæ.] Cui etiam portam, quæ vulgò *del Cambron* (de qua ad annum 719. Iuliani, & cap. 5. de rebus Toletanis copiosiùs egi) sacram esse inscriptio hæc ex antiquissimo Misti-Arabum Hymno testatur.

Tu nostra civis incluta;
Tu es Patrona vernula;
Ab Vrbis huius termino
Procul repelle tædium.

Marcianæ.] De qua Martyr.Rom.12. Iulij, *Toleti S. Marcianæ Virginis & Martyris, &c.*& alij, quos ad Dextri ann.155.& Iuliani 118.laudavi.

Iuliano.] Præsuli Carpetano, cui S. Clemens olim scripserat, de quo Martyr.Rom.8.Ianuarij, nos ad Dextr. ann. 91. in quo *S. Iulianus civis Toletanus Toleti patitur,*&c.

Serrati.] Hodie *Asserradero*, locus ille vocatur, in quo lignariæ strues prostant; sed an ex antiquo ille sit, non facilè pronunciem.

In Via-sacra.] Hodie *de Visagra* dicitur; sed an *Bibsagra?* nondum liquet; si *Bibsagra*, ab Arabibus deducta vox est, quibus (si amicis [1] nostris credas) *Bib* porta, *Sagra* rubrum, & si *ahmär, homär* illis rubrũ sit. [2] Alij, quia ad eum regionis nostræ tractum, qui *Sagra de Toledo* dicitur, egressus hac portâ est, *Bib-Sagra* volunt, vocem Arabico-Latinam, & *Sacra Cereris* interpretantur ob uberiorem in ea Toletani agri parte proventum; sed annè illa

[3] —— *Tediferæ mystica* SACRA *Deæ*,

Quæ ab Atheniensibus [4] Θεσμοφόρια, ubi ut ait Crinagoras (1. Anthol. 28.)

Δήμητρος μεγάλας νύκτας ἴδῃς ΙΕΡΩΝ

Cereris magnas noctes videas SACRORVM?

Adhuc, ut in luce malignâ, vacillo. [5] Alijs Latina omnino *Vi-Sagra* est, qui à *Via Sacra*, quæ

——*Longarum teritur Regina viarum*,

Apud Romanos, deducuat: quę quidem olim celeberrima ob regiam Numæ, ut ait Asconius; ob habitationem Anci Marci, teste Solino; ob ædes I. Cæsaris, auctore Suetonio; nunc testimonijs clarissimorum [6] Scriptorum; & ipsa nominis forma hùc inclinat, nam etsi [7] Sosipatro Charisio, & Diomedi ex duabus integris dictionibus *Sacravia* sit; M. verò Vertius Flaccus apud Festum substantivum in viarum nominibus præponendum arbitratur, ut sit *Via Sacra*, & *Via nova*, non *Sacra*, aut *Novavia*. Certè sic Onuphrius Panvinius antiquitatũ peritiss. fol. 152. Vrb. Rom. Verrij verba explicat; aliter tamen videntur accipienda, cùm tantùm *disiunctè appellari debere* hæc nomina Verrius dicat: Verrij & Festi locus interpolatus valdè aut mutilus est; cui me-

den-

1 Salaz. de Mend. cap. 43. Chron. Taver. Covarruv. Thes. L. C. 2 Alcoc. 1. Hist. Tol. 17. Pisa 1. c. 8. eiusd. 3 Ovid. Epist. Phil ad Demoph. 4 Strab. 15 Geog. Luctat. in Theb. Stat. 1. 5 Bern. Aldrete 3. de Orig. L. C. 10. Covarr. Thes. L. C. 6 Varron. 4. de L. L. Cicer. pro Planc & 4. Epist. 3. Tibull. 2. Eleg. 1. Horat. Epod. 4. 7. & 1. Sat. 9. Ovid. 3. Trist. El. 1. Tacit. Histor. 3. Plin. 19. cap. 1. Vopisc. in Gallien. 7 Inst. Grãmat. 1. fol. 6. & 2. par.

dendo non suffecêre adhuc plures Æsculapij. Ego tamen, quidquid illud sit, ad portæ Toletanæ, sive viæ Luitprandianæ illustrationem redeo, quæ hodie *Visagra*, ut *Via sacra*: à qua *Sacravienses* apud Festum in octob. sed annè quia, ut in illa olim res * viles venibant, poma, flabella, tesseræ & tali, circa hanc hodie? Quid verò illud in Plinio *memoratu digna in Locris Sagra*? De quo fluvio Cicero 2. de Natur. Deor. & si Straboni *Sangrus*. Quidvè quod proverbio locum fecit Ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρα, *veriora quàm quæ ad Sagram* apud Suidam? Vbi Σάγρα γὰρ τόπος τῆς Λοκρίδος, *Sagra locus est Locridis*? Quid tandem ἐπὶ Σάγρα μυστήρια, *in Sagra mysteria* apud * Clem. Alexandrinum? an huc possint spectare ingeniosior videat. Verùm ut propiùs portam nostram contingam, hæc recentior conditu & ornatu: Antiquior hodie clausa in ea parte murorum, quæ ad aliam principem vergit, visitur: quâ Alphonso Toleti Regi (sic voluit in publicis monumentis indigetari) Castellæ 1. Legionis 6. aditus in urbem abs se victam, & è Maurorum oppresione recuperatam primus fuit. Hæc nimirùm in animo Luitprandi fuit.

S. Damaso, Melchiadique civibus Mantuæ Carpetan.] Pluribus id verissimum esse iam docui ad ann. 299. & 266. Dextri, quæ hîc non repetam.

D. Michaeli.] Cuius effigies marmorea affabrè structa, auroque ornata, ense evaginato procul pellere *Dæmones meridianos*, ut Luitprandus ait, hodie visitur in summitate portæ, quæ *Viæ sacræ*, sive *Visagræ* nomen sortita tandem est; vid. Francisc. de Pisa lib. 1. cap. 10. Hist. Tolet.

Pipinus I. &c. pater Caroli Martelli, &c.] Conveniũt in hac Genealogia Theganus Chorepiscopus Trevirensis de gestis D. Ludovici Imp. Scriptor Genealogiæ S. Arnulphi, & Caroli M. vitæ, Annales Francorum

orat. fol. 431. edit. Puthschij. Vid. I. Passerat. in 2. Prop. eleg. 1.

* Panvin. fol. 133. Vrb. Rom. & Barth. Marilan. 3. Topograp. Ant. Rom. 26.

* Admon. ad Gét. fol. 16. edit. Heins.

apud P Pithæum, Nicol. Gillius in Annal.& Chronic. Franc.Petrus Opmeerus fol.351.oper. Chronol.& certè Pipinus ille primus meruit inter primos sui sæculi viros annumerari non solùm rerum præclarè, sed etiã sanctè gestarum gloriâ; vid. Io. Molanũ in Indic. SS. Belg. Surium tom.1.21. Februarij, Io. Marquez cap.13. §.9. Orig.Eremit.S.August.& Io.Martinez de Bahamonde amicum nostrum fol.13.Elogior.aliquot SS.

AE.715 *Chr.677* *Habetur Conciliũ Toleti, &c. divisæque sunt omnes sedes Hispaniæ,&c.*] Iulianus hoc anno,*Vvamba autem gloriosissimus Rex AEra 715. anno regni sui quincto coëgerat Toleti generale Concilium præsentibus Metropolitanis, & Abbatibus totius Hispaniæ,&c.& signatæ sunt sedes singulis Metropolitanis,& terminis singulis sedibus;& ob hoc multæ lites, quæ diutiùs inter Episcopos duraverãt, sopitæ sunt:* idẽ volunt Vasæus Ann.675.Moral.lib.12. cap.50.Mariana lib.6.cap.14.Padilla Cẽt.7.cap.52.Nã cum cap.15.Concil.Tol.11.ann.4.VbambanisRegis celebrati, *Placuit definire,ut paternis institutionibus obsequentes, omni anno ad peragendam celebritatem Concilij in Metropolitana sede, tempore quo Principis, vel Metropolitani electio definierit,&c. præfato die, quo indictum fuerit adunatis in Metropolitana sede omnibus Pontificibus, Concilium Deo præside celebratur.* In huius itaque decreti confirmationẽ anno sequenti, hoc est 5.Vvambanis, Conciliũ hoc congregatum Toleti est, cuius nihil aliud exstat quàm *divisio provinciarum Hispaniarũ* (sic in MM. SS. Codd. Ecclesiæ Toletanæ & Ovetensis)*secundùm Regem Vvãbã, factam tempore Quirici Primatis, & Archiepiscopi Toletani. Cùm inter Prælatos Hispaniarũ magna fuisset exorta discordia, eò quòd unusquisque invaderet terminos diœcesanorũ; Rex Vvamba Synodũ celebrari præcepit Toleti, cõvocatis & congregatis Archiepiscopis & suffraganeis suis, præsentato in medio numero civitatum,& diœcesum,&c.*

Vb

Vt eas olim diviserat Constantinus Magnus, &c.] Acta Ecclesiæ Toletanæ in caussa Ecclesiæ Valentinæ: *Cæsar Constantinus Imperij sui 4. anno cùm esset in Hispania convocatis eius Episcopis totũ Provinciam in sex Archiepiscopatus partitus est, decrevitque omnes peculiaribus diœcesibus & finibus contineri.* Sic Chronicon Hispaniæ generale cap.143.part.1. Alcozer lib.1.cap.10. Hist.Tolet. Padilla Cent.4.cap.46. alij, multis tamen repugnantibus, inter quos non istius loci & temporis est

—— *tantas componere lites.*

Anno 5. Regis Vvambanis coacta est hæc magna Synodus, &c.] Fragmentum hoc legebatur in codicibus, quos inspexi, ad ann.960. quod in suum locum, hoc est, ad ann. 677. migrare libenter iussi: difficilè quæ in illo legis, apud alium invenias. Tu illo mecum ad uberiorem Historiæ nostræ illustrationem utere, quisquis eiuscemodi antiquitatis gemmis libenter caperis.

Facta est hæc divisionum formula &c per Petrũ S. Leocadiæ Diaconũ, &c. præsente Quirico Vrb. Regiæ Archiep. &c.] Eodem modo in Codicibus Eccles. Toletan. & Overẽs. *Acta sunt hæc Toleto in Concilio generali, omnibus una voce dicentibus. Placet, placet: præsentibus & subscribentibus invicto ac sereniss. Rege Vvamba, & Quirico Archiepisc. Toletano Hispaniarum Primate, ceterisque Archiep. cum suis suffraganeis, &c. per manum Petri de S. Leocadia.* In anno non omnes conveniunt, nam diversum hoc à vulgatis Conciliũ fuisse meritò opinantur Vasæus ad ann.675. Marian.6.cap.14. Padilla Cent.7.cap.52.

Prætoriensem sedẽ S. Petri & Paulli, &c.] Hæc omnia ex Concilij Toletani 12.cap.4. tempore Ervigij Regis constant, cuius verba in istius fragmenti confirmationẽ subijciã: *Prosequente igitur venerabili & sanctiss. viro fratre nostro Stephano Emeritensis sedis Episcopo, res nobis no-*

novellæ præsumptionis usurpatione se se intulit pertractanda, &c. Dixit enim violentia Principis se impulsum fuisse, ut in Monasterio villulæ Aquis, in qua venerabile corpus S. Primenij Confessoris debito quiescit honore, novam Episcopalis honoris ordinationem efficeret, &c. sed quia veraciter, imò communiter noveramus prædictum Principem (Vvambanem) *non solùm præcepisse, ut in prædicto loco Aquis Episcopus fieret, sed etiam ita eum consuetis obstinationibus definisse, ut hic in suburbio Toletano in Ecclesia Prætoriensi SS. Petri & Paulli Episcopum ordinaret, & in alijs vicis, vel villulis similiter faceret, &c.*

Aquis.] Sic Iulianus, Maximus, Rodericus Toletanus, alij *Elboram*, quæ nunc *Talavera*, vocant; & non longè à Toleto distinctè docet Dexter ad ann. 130. &

Caçalegas.] In illius tractu esse notissimum est.

S. Pigmenij Martyr. antiquiss.] Dexter ad ann. 130. *Aquis prope Toletũ nimis Eugenij familiaris S. Pimenius, vir egregia virtute, qui multa pro Christo patitur*: de quo plura in Commentarijs nostris. Cum hoc antiquissimo Pimenio recentiorem alium, qui Concilio Toletano *6. Ecclesiæ Dumiensis Episcopus* subscribit, confundunt Vasæus ad ann. 681. Moral. lib. 12. cap. 50. Loaisa notis ad Concil. 12. Tolet. Mariana lib. 6. cap. 14. Padilla Cent. 7. cap. 53. Iepes in Chronic. Bened. Cent. 1. 2. 3. Marieta, alij.

Sedes de Columna, &c. quæ constructa est iussu Virginis, &c.] Non hîc repetam quæ ad ann. 37. Dextri ubertim disputavi, cuius testimonio Iacobus *Templum B. Virgini eius iussu præsentiaque super Columnam Cæsaraugustæ erexit*; cui etiam Marc. Maximus Cæsaraugustanus Episcopus suffragatur Epigrammate, in quo

Astitit hîc Genitrix hominisque Deique verenda,
Et iubet in magna surgat ut Vrbe Domus.

Et Hymno;

Hæc

Hæc nam Iacobo Apoſtolo,
Et ſuo Conſanguineo
Ædem iubet conficere,&c.

Conſecrata eiuſdem immaculatæ Conceptioni.] Ipſe M. Maximus in Hymn.

Oſtendit illi ſe hilarem,
Suoque natalitio
CONCEPTIONIS *aureæ*
Templo manent encomia;
CONCEPTIONIS *diem*
IACOBVS HISPANOS *docet,&c.*

Vide Didacum Murillo cap.14. Hiſtor. fundation. Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ de Columna.

Quam omnes Apoſtoli prædicaverunt,&c.] Pluribus docui Apologiâ primâ pro Dextro à fol.75.ad 85.&comment.ad eundem ann.308.

Datur pœnitentia Regi Vvambano,&c.] Conc. Tolet. 12. cap.1. *Oſtenſa nos Scripturarum evidentia edocet, in quibus & præcedentis Vvambæ Principis pœnitentiæ ſuſceptio noſcitur,&c.* hoc eſt, quod Rodericus Toletanus cap.11. lib.3. de eodem dixit, *Cùm Quiricus Epiſcopus Vrbis Regiæ, & Optimates palatij intelligerent Regem memoria deſtitutum, & cauſſam pleniùs ignorarent, ne Rex Catholicus Sacramentis Fidei fraudaretur, ſtatim Confeſſionis, & pœnitentiæ antidotum obtulerunt;* ſic *pœnitentiã accipere* in Concil. Tolet.11. cap.12. Carthaginenſi 4. cap.76. Arauſicano 1.cap. 3. eſt pœnitentium per animi contritionem, & oris confeſsionem ſubdi legibus; vid.Loaiſ.Not.ad Conc.11.Tolet. *AE.718. Chr.680.*

Tondetur,& accepto habitu Monachi,&c.] Nam *pœnitentes viri tonſo capite & religioſo habitu* incedebant, ut ex cap. 6. Concil. Barcinonenſis 1. conſtat; & ex præſcripto Concil.Tol.3.cap.12. *Quicunque ab Epiſcopo,vel à Presbytero ſanus vel infirmus pœnitentiam poſtulat, id*

ante

ante omnia Episcopus obſervet vel presbyter,&c. priùs eum tondeat, & ſic pœnitentiam ei tradat; ſi verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, niſi priùs mutaverit habitũ,&c. De Vvambane in Concil.12.Tolet.cap.1.*Vvamba dum inevitabilis neceſſitudinis tenetur eventu, ſuſcepto religionis debito cultu, & venerabili tonſuræ ſacræ ſignaculo, &c. vidimus,&c.notitiam manu ſeniorum palatij roboratam, coram quibus antecedens Princeps & religionis cultum & tonſuræ ſacræ adeptus eſt venerabile ſignum, &c.*

Pampliegam, &c. petivit.] Roderic. Tolet. cap.11. lib.3.*Rex glorioſus devotè ſuſcepit* (pœnitentiam) *& religionis habitum poſtulavit, & ad monaſterium convolavit in villa, quæ Pannis plica dicitur*; vid. Steph. Gariv.cap. 42.lib.8.Compend.Hiſtor.

Ervigius.] Sic in nummis omnibus,quos vidi;in libris ſcriptis malè *Eringius,Eruitius.*

Qui dato poculo dicitur Regem dementaſſe,&c.] Roder. Tolet. *Ervigius, &c. Regis potui ingeſſit herbam, per quã Regis memoria turbaretur*, ex ſparto illam fuiſſe Sebaſtianus Salmanticenſis putat,cum illo Morales, Mariana,alij.

Iulianus,&c.] De quo cap.1.Concilij Tolet.12.*Vidimus & aliam quoque informationem iam dicti viri in nomine honorabilis & ſanctiſſimi fratris Iuliani Toletanæ ſedis Epiſcopi,&c. ut ſub omni diligentiæ ordine iam dictum dominum noſtrum Ervigium in regno ungere deberet,& ſub omni diligentia unctionis ipſius celebritas fieret.* Iulianus ad ann. 676. *Quiricus*, &c. *fecerat conſecrari in Epiſcopum Toletanum,& coadiutorem ſuum Archidiaconum Toletan. Eccl.Iulianum.*

Quiricus, vel morte præventus,&c.] Iulian.in Chron. *20.die Novemb.eiuſdem ann.S.Quiricus Pontif.Tolet. moritur,&c.*

Ad monaſterium petit,ubi cum Rege reliquit. laud. con-

fecit.] Iulianus Toleti Quiricum mortuum videtur innuere; nam *ad Sanctam Leocadiam* (ait) *regalem, ubi sacra Virgo nata est, sepelitur; posuit sepulcrale carmen Iulianus post Tolet. Episcopus:* in re incertissima cui inhæreamus, obscurissimum est.

Gudilam Archid. Toletan. condiscipulum suum, &c.] In Concilio Tolet. 11. subscribit *Gudila Ecclesiæ S. Mariæ Regiæ sedis Archidiaconus.* De utriusque amicitia plura Felix in Iuliano, *cuius corpusculum in monasterio sancti Felicis, quod est Cabensi in villula, dilectissimi socij sui exhibitione honorificè requiescit humatum;* vide Marian. cap. 9. lib. 19.

In Monasterio S. Petri, & Felicis Tago fl. incumbenti, &c.] Nunc corrupto nomine *San Pedro de Sabelices*, dicitur, quo etiam appellari vallem constat ex privilegio Aldephonsi Sexti monasterio SS. Servandi & Germani Toletano * concesso, *prætendo sibi terminum Fluvio Tago per Vallem, quæ transit ad S. Felicem;* quæ quidem non dubito quin eadem fuerit, quæ ultra Tagum hodie *de Sabelices*, Archidiaconi Toletani possessio est; Cuius etiam mentio in S. Iuliani A. T. vita à Felice scripta, *in monasterio S. Felicis, quod est Cabensi in villula.* Sed annè eo loco monasterium etiam ante Vrbis Toletanæ recuperationem? Putant * Moral. * Iepes, * Salazar; ego cũ illis & Benedictini Ordinis, qui tunc maximè in Hispania florebat, fuisse contendo. Verùm nomen ipsum variante tempore varium docet testamentum D. Marquesæ, & Sanctij Martinez *Compañero*, Comitis seu socij, hoc est, Portionarij Ecclesiæ S. Mariæ, ann. 1268. in quo hæc verba, *Viña de Valdegollada, que es en Toledo, con lo que fue de Pedro Felices, dexamos las dos partes à fijos è fijas de Antonia, &c.* In antiquo Ecclesiæ Toletanæ Kalendario S. Felix 1. Augusti die celebratur, ut in Martyrolog. Gregorij, Vsuardi, Bedæ, & Adonis. Sacellum hodie

* AE. 1135

* 12. c. 58.
* Cent. 1. cap. 8. ann. 554.
* In vit. S. Ildeph. c. 19. §. 1.

die visitur subtus saxum, quod vulgò *Regis Mauri* dicitur; à Mauro nimirùm, ut creditur, rege, qui cùm Toletum oppugnaturus venisset, ibidem tentoria fixisse perhibetur eo animo, ac iure iurando obstrictus, sedem inde se non mutaturum, antequàm Toletum vi aut dolo cepisset; iuramenti fide, cùm ibi occubuisset, exsolutus tandem est.

Æra 718. id est ann. D. N. I. C. 680.] Glossema alicuius, qui ad Æræ normam annos Christianos voluit cōparare, postrema hæc nullus dubito.

ÆE. 719 Chr. 681 *Anno 1. R. Ervigij 5. id. Ianuar. &c.*] Concilium hoc duodecimū inter ea, quæ exstant, memoratur in inscriptione *sub die 5. Id. Ian. Ær. 719.* & ipso initio *Anno 1. Orthodoxi, &c. Ervigij Regis &c. in Basilic. SS. Apostolor. &c.*

Præside Metropol. Vrb. Reg. Iuliano Sedis Primate Hispaniarum.] Roderic. Tolet. cap. 12. lib. 3. *Hoc Conciliū fuit sub Iuliano Vrbis Regiæ Primate.*

Iulianoque S. Hisp. Episc.] Qui secundo loco subscribit, *Ego Iulianus Spalensis Ecclesiæ sedis Episcopus.*

Liuba Brac.] Qui tertio loco *similiter* subscribit.

Steph. Emerit.] Hic quarto loco; de utroque Roder. Tolet. eod. cap.

Argebato Illiberr.] Qui vigesimusseptimus subscribit, *Ego Argibudo* (vel *Argibado* in MM. SS.) *Eliberitanæ Ecclesiæ sedis Episcopus.* Numerum aliorum Episcoporum, Abbatum, Vicariorum, & Palatinorum, quem Luitprandus assignat, confirmant Acta ipsius Concilij tam manu scripta, quàm vulgata.

Isidorus Setabitanus, qui interfuit Conc. 16. Tol.] In quo 42. subscribit *Isidorus, Setabitanæ Ecclesi. Episcop.* ex quo Luitprandi codicem emendavi, in eo *Theodorus* pro *Isidorus, Illiberritanus* pro *Setabitanus* corruptissimè legebatur; Iulianus ad an. 781. *Florebat Isidorus Mercator, fuit Episcopus Setabitanus* (sic legendū nō *Sesabitanus*) &c.

Com-

Composuit ordinem Concilij, & collectionẽ Conciliorũ.] M. S. Codex eximiæ vetustatis in Bibliotheca Regia Hieronymiana apud Scoriacũ, cui titulus, *Decreta Canonum Præsulum Romanorũ* Isidori huius creditur fuisse à Moral.cap.21.lib.12.& Padilla Cent.7.cap.22.in cuius procemio hæc leguntur; *Sedis Apostolicæ Præsulum Constituta, quæ ad Fidei regulam, vel ad Ecclesiasticam pertinet disciplinam, in hoc libro diligenti cura collecta sunt, ita ut singulorum Pontificum quotquot Decreta à nobis reperta sunt, sub uniuscuiusque epistolæ serie proprijs titulis prænotarentur, eo modo, quo superiùs priscorum Patrum Canones nostro studio ordinati sunt, &c.*

Peccatoris vel Mercatoris.] Vtroque cognomine insignit Isidorum hunc Anton. Possevinus, in Appar. sacr. litter. B.K.& Illustriss. D. Rodericus Acunha Archiepiscopus, Primas, & Dominus Bracaræ, &c. verum ac unicũ Præsulum Apostolicorũ exemplar, qui nobilitati inter primas principi egregiã litterarũ omniũ cognitionẽ, eximiam pietatẽ, raram humanitatem sine exemplo adiecit, Comment. in 1.p. Decret. Grat. Procem.n.40.

Quo cognomento vocatus est super Isidori nomen.] Ita illustriss. Baron. ad ann. 102. num. 11. & 885.n.5. Malè ergò qui cum Isidoro Hispalensi Isidorum cognomento *Mercatorem* sive *Peccatorem* confundunt. Ioann. Gerson. qui *Acta Conciliorum* illi tribuit, ut Genebrardus, qui ad ann. 618. *Epistolarum Pontificũ Collectionem.* Optimè Mariana noster lib. 6. cap. 5. de reb. Hisp. *Circumfertur præterea vulgò brevis celebrandi Concilia Norma* (Exstat initio Collectionis Conciliorum Hispaniæ ab Illustriss. Loaisa curatæ) *Isidori nomine, quam nonnulli existimant ex huius Concilij* (4.) *Actis consarcinatam adiunctione multarum rerum, quæ ex alijs Concilijs decretæ sunt; Isidori autem nomen adscriptum conciliandæ auctoritatis caussa; commentum probabile, quod ceteris deferentibus primas in eo*

conventu partes tenuit, Nam prorſus errant, qui Hiſpalẽſi hoc dant, Iſidori nomine ſeducti, quod in Hincmaro Remenſi Epiſtolâ ad Hincmarum Laudunenſem ſine cognomine exprimitur, cùm ait: *Sicut de libro collectarum Epiſtolarum ab Iſidoro, quem de Hiſpania allatum Riculfus Moguntinus Epiſcopus in huiuſmodi ſicut in Capitulis regijs ſtudioſus obtinuit, & iſtas regiones ex illo repleri fecit, in cuius præfatione Iſidorus dicit de Canonibus Apoſtolorum, &c.* Ex ijs *Capitula* collegit Benedictus Levita tempore filiorum Ludovici Pij, ut ipſe teſtatur præfat. lib. 5. Hæc cùm ita ſe habeant, mirari non deſino virũ pium & eruditum Matthæum Raderum * auſum fuiſſe, maleferiatũ intemperantiſsimi, & de Hiſpania peſſimè meriti hominis de hoc Scriptore, qui illi *inſulſiſſimus faber Decretal. Epiſtol. Rom. PP.* dicitur, iudicium laudare; ſed benè eſt, quod à prudentibus ſui Ordinis Humano generi ſemper proficui hominibus hanc propulſare cautè conatus ſit invidiam, cùm diſtinctè *unum aliquem non tamen Ordinis noſtri*, & ſingillatim vocet. Verùm privatas cum neſcio cuius maledictis rixas non debebat optimus pater in antiquum Scriptorem, & nobiliſsimam Gentem effundere. Hinc illæ lacrymæ.

* Præfat. Analector. tertiis ad Martial. Curis add.

Quanto rectiùs hic, qui nil molitur ineptè; Eccleſiaſticorum Annalium Conditor, * cui etſi nonnunquam *Mercatoris merces non nihil ſuſpectæ reddantur, utpotè quæ Germano rectæ rationis temporis ſigno minimè inveniantur eſſe ſignatæ*, illum eruditæ pietatis notis inſignem iudicat, cùm de eo accuratius iudiciũ profert, *In antiquis,* * inquiens, *manuſcript. cod. hunc Iſidorum Collectorem Conciliorum, Mercatorem cognomento dictum invenimus, ut in his, quos in noſtra Bibliotheca habemus: at in nuper impreſſis, non Mercator, ſed Peccator inſcriptus reperitur, ſecundùm morem nonnullorum antiquorum Patrum, qui humilitatis ergò ſe ſic inſcribere & ſubſcribere* con-

* Ad ann. 336.
* Not. ad Martyr. 4. April.
* *Vetuſtiſs. codicẽ, nulli (audacter dicit) antiquitate ſecundũ quẽdã penes ſe celebrat ad ann. 102.*

consueverunt. Irrepsit, puto, error, ut Mercator, pro Peccator, sit scriptus, cùm autem eiusdem collectionis auctor recēsendo in sua præfatione Synodos universales, sextam ultimo loco ponat; manifestum est post dictam sextam Synodum vixisse, nec ad septimæ tempora pervenisse: quam ob caussam, cùm collectores sacrorum Canonum recensemus, quinctum hunc ordine numeramus, primoque loco ponimus Dionysium Exiguum, inde Ferdinandum Diaconum, tertiò Martinum Bracarensem Episcopum, quartò Cresconium, ac demum post hos omnes Isidorum.

Prid. Non. Novemb. &c.] In ipsius Concilij 13. limine, *anno regni 4. serenissimi Ervigij Principis, sub die Non. Novemb. Ær. 721.* in quo Episcop. Abbatum, Vicariorū & Palatinorum idem numerus, qui in Luitprando. *ÆE. 721. Chr. 683*

Gratinus.] Qui inter Episcoporum Vicarios subscribit septimo loco, *Gratinus Presbyter agens vicem Argebadoni Episcopi Eliberitani.*

Ann. quincto, &c. in Prætoriensi, &c.] Epigraphe huius Concilij 14. *Anno 5. Ervigij, &c. Ær. 722.* & cap 1. *Anno quo supra, sub die 18. Kalend. Decemb. in præmemorata Ecclesia SS.* nempè *Apostolorum Petri & Paulli*, ut est initio Concilij 13. Tolet. *ÆE. 722. Chr. 684*

Leo PP. scribit ad Episcop. Hispan.] Exstat hodie *Leonis PP. Epistola ad Episcopos Hispaniæ de recipienda 6. Synod. Constantinopolitana*, ad calcem Concil. Tolet. 4. beneficio illustriss. Garsiæ de Loaisa Archiep. Toletani, quam cum alijs invenit in C.M.S. Cœnobij S. Ioānis Regij Toletani pervetusto in pelle membranea, litteris Latinis. *ÆE. 723. Chr. 685*

Et ad Ervigium Regem.] Quæ etiam in Tom. Epist. Rom. Pontif. exstat, cuius mentio in ea, quæ ad Quiricum, *Properavimus destinare cum tractatorio ad omnes, &c. simul etiam ad præcellentissimum, atque Christianissimum Regem filium nostrū, &c.* vid. c. 2. Concil. Tolet. 4.

Et

Et ad Tolet. Pontif.] Quam etiam diligentiæ eiusdem Loaisæ debemus, hoc titulo, *Dilectissimo fratri Quirico, Leo.* Quiricum nondum obijsse, Romæ ignorabatur.

Comitemque Simpl.] Eodem modo hæc, *Domino glorioso, filio Simplicio Comiti, Leo Episcopus, servus servorum Dei.*

AE.724 Chr.686 *Benedict. PP. scrib. Petro Regionario.*] Exstat etiã ibidem hac inscriptione, *Benedictus presbyt. & in Dei nomine electus S.S.A. Petro Notario Regionario.*

Patres Concilij 14. Tolet. scribunt Apologiã, &c.] Concil. Tolet. 14. cap. 4. verba sunt, *Placuit proinde illo tunc tempore Apologeticæ defensionis nostræ responsis satisfacientes Romano Pontifici, ea ipsa gesta firmare, nostræque Fidei sensum purissima verborum enodatione depromere, &c.*

A S. Pont. Iuliano compositam.] Rodericus Tolet. cap. 13. lib. 3. *Eius in tempore liber de Tribus substantijs, quem dudùm Romam miserat Primas Sanctissimus Iulianus, & minus cautè tractando Benedictus PP. Romanus indixerat reprobandum, ob id quod Voluntas genuit Voluntatem. Sed Sanctus Iulianus veridicis testimonijs in hoc Concilio ad exactionem præfati Principis per oracula eorum, quæ Romam transmiserat, verum esse firmavit & Apologeticum fecit, &c.*

Legati.] Concil. 14. cap. 4. de ijs, *quæ iam utique Romanis partibus per Legatos Hispaniæ destinata sunt, &c.*

Ferentes Apologeticum.] Duplex Apologeticum Iuliano Felix illius successor tribuit inter illius opera recensens, *Item Apologeticũ Fidei, quod Benedicto Romanæ Vrbis Papæ directum est. Item aliud Apologeticum de tribus Capitulis, de quibus Romanæ Vrbis Præsul frustra visus est dubitasse.* Certè hodie ipsa Concilij 15. Toletani acta Iuliani Apologeticum conservant; nam nihil aliud

illa, quæ Pontifici Romano pro Hiſpanis proponuntur, meo iudicio ſunt, quàm ipſa Iuliani Apologetici verba.

Legatorum nomina hæc ſunt.] Illa Luitprando debemus; nã tantùm adhuc in Roder. Toletano legebamus cap.13. lib.3. *Romam miſit per ſuos Legatos Presbyterum, Diaconum,& Subdiaconum, viros eruditiſſimos, & in omnibus Dei ſervos,& in divinis Scripturis imbutos,&c.*

Papa poſuit Canones Concil.14.Tolet.in conſp.S.Petri.] Hoc eſt, valde laudavit; Roderic. Tolet. cap.13.lib 3. *Quod Roma dignè, & piè recipiens cunctis legendum indixit, atque Papæ* (ita in M.M.SS. omnibus; malè in vulgatis *Imperatori*) *acclamando, laus tua Deus in fines terræ, lectum ſæpiùs notum fecit; qui & reſcriptum Domino Iuliano per ſupra fatos Legatos cum gratiarum actione & cum honore remiſit, & omnia quæcunque ſcripſit, iuſta, & pia eſſe deprompſit.*

S. Aſodi, vel Aſodani,&c.] Cuius cognitionem me latêre ingenuè fateor; eruditior inveniet.

Antiquariæ in Bætica durat memoria Cornelij Proculi & Cornelij Baſſi Pont. Cæſ. à Diſcip. S. Iacobi ad Fid. converſorum.] Iulian. in Adverſ. *Cùm per Bæticam prædicat S. Iacobus, Zebedæi F. ingreſſo illo Antiquariam, de religione diſputant cum Diſcipulis eius Sacerdotes Idolorũ, præſertim Corn.Proculus,& Corn. Baſſus Pontifices Cæſarum, diſputantes vincuntur.* Nunc fruſtillatim;

Antiquariæ in Bætica.] Antonino *Anticaria*, in eodem tractu eſt, quæ *Singilia* etiam à Singili fl. dicta Plinio: antiquum nomen hodie retinet *Antequera.*

Durat memoria Corn. Proculi, & Corn. Baſſi Pontif. Cæſ.] Etiam hodie in Inſcriptionibus, quæ Anticariæ portam hinc in le translatæ exornant: Corn. Proculi ad portam, quæ dicitur *de la Baſtida.*

Li-

LIVIAE. DRVSI. DIVI. F. MATRI
TIB. CAESARIS. AVG. PRINCIPIS ET
CONSERVATORIS. ET. DRVSI. GER-
MANICI. GEN. . . . . IS. ORBIS
MARCVS. CORNELIVS. PROCVLVS
PONTIFEX. CAESARVM

Corn. Basſi ex ipſis paræciæ S. Iſidori fundamentis.

IMP. C. CAES. DIVI. TIBER. F. DIVI
AVG. N. DIVI. IVLI. PRON. TRIBV-
NITIA. POTESTATE
T. COS. III. PONTVTEX. CORNELIVS
BASSVS
PONTVFEX. CAESARVM. D. S. P. DD.

AE. 725 Chr. 687 *Ervigius poſitus in ultima ægritudine poſuit in Reg. ſol. &c. Egicanem, &c.*] Ijſdem ferè verbis omnia, quæ ad mortem Ervigij Regis, & Egicanis electionem, conſecrationem, & coronationem ſpectant, latiùs præter ſuum morem, recenſet Vvulſa Epiſcopus in Chronic. Gothor. ſi dierum numerum excipias, nam non 17. Kal. Decemb. & 18. earumdem electum fuiſſe ait, ſed 6. & 5. idus Novembris; cui magis credendum, quàm alijs; niſi ex Chronico Iuliani, vel Additione Felicis ad illud, quorum teſtimonijs ſe uſum Luitprandus (ſi illius illa verba ſunt) innuit, aliter conſtet.

AE. 726 Chr. 688 *Anno 1. &c. Reg. Egicanis 5. Id. maiar. habita eſt Tolet. 15. Synod. &c.*] Conveniunt omnia, quæ Luitprandus de hac Synodo tradidit, cum ijs, quæ in Concilio 15. Toletano habemus.

AE. 727 Chr. 689 *Miſit Dominus Iulianus, &c.*] Iulian. in Chron. *S. Iulianus mittit Apologeticum cum expoſitionibus ad P. Ser-*

gium

gium & Carmina ad Imp. Heraclium Iustinianum in laudem ipsius; respondent illi eleganti epistola; Isidorus Pacēsis Æ. 726. *Iulianus Episcop. per oracula maiorum ea, quæ Romam transmiserat, vera esse confirmans, Apologeticum factum Romæ per suos Legatos, Ecclesiasticos viros Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum eruditiss. in omnia Dei servos, & per omnia de divinis Scripturis imbutos, iterum cum versibus acclamatorijs, secundùm quod & olim transmiserat, de laudibus Imp. mittit, &c.* Quæ verba Roderic. Tolet. transcripsit suo more cap. 3. lib. 3.

Et Imperatorem] Roder. Toletan. cap. 13. lib. 3. *Romam misit, & cum versibus etiam acclamatorijs secundùm quod & olim transmiserat de laude Romani Imperatoris.*

Hoc anno postridie Non. Martij obijt Toleti, &c. Iulianus.] Felix, qui illius vitam scripsit, *Præsulatus autem honorem, & Sacerdotij dignitatem annis decem obtinuit, mēse uno, diebus septem. Quique etiam inevitabilis mortis prævētus occursu, anno tertio Egicanis Principis, postridie Non. Martij, Æra 728. diem vitæ clausit extremum, ac piè in Basilica gloriosissimæ S. V. Leocadiæ sorte sepulcrali est tumulatus.* *AE. 728* *Chr. 690*

Sisebertus.] Qui malè à Vincentio Bellovacēsi cap. 20. lib. 7. specul. Hist. *Syagrus* dicitur; cùm in omnibus Catalogis Eccl. Tolet. & in MM. SS. Concilij Tolet. 16. & Roderic. Tolet. cap. ult. lib. 5. semper *Sisebertus*, & *Sisbertus* inveniatur. Vidend. Moral. lib. 12. cap. 58. Mariana lib. 6. cap. 18. Mendoça cap. 21. Vit. S. Ildeph.

Fuerunt in Hispania decem linguæ, ut sub Augusto & Tiberio.] Eo nimirùm tēpore, quo floruit Strabo, ex eiusdem testimonio ad calcem lib. 6. Geograph. Qui quidem lib. 3. pluribus Hispanos linguis usos affirmat, *καὶ οἱ ἄλλοι δ' Ἴβηρες χρῶνται γραμματικῇ, οὐ μιᾷ ἰδέᾳ, οὐ δὲ γὰρ γλώττῃ ἰδίᾳ, Ceteri etiam Hispani usum habent litterarum, non uno quidem genere, neque illis una lingua est*; ut

Luitprandus iterum hîc monuit; ijſdem ſubſcribit D. Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis, ſcriptorum numero & eruditione nulli ſecundus, ſanctitate Magnis par, in * Paral. *Tubal quinctus filius eſt Iaphet, à quo nominati ſunt Hiſpani,&c Tubal unicum idioma habuit, unicam gentem nominavit, cũ dicatur de omnibus iſtis Gen. 10. Quod omnes in ſuis linguis fuerunt, id eſt, quilibet habuit unum idioma diſtinctum ab alio: & tamen IN HISPANIA FVERVNT MVLTAE LINGVAE A PRINCIPIO, ET SVNT, &c.* Sed quænam recenſentur ab Scriptore noſtro?

Vetus Hiſpana.] Illa nempè, quæ omnium antiquiſsima in Hiſpaniam à Tubale primo conditore invecta. Sed quænam illa? Etſi difficulter poſſe liquere prudenter affirmet vir magnus Ant. Auguſtin. dial. 6. de Numm. maximus Toſtatus hanc noſtram puram putam retur, Tom. 2. Commentariorũ eorum, quos in Euſebij Chronicon vulgari Hiſpanorum linguâ ſcripſit cap. 25. *Es de conſiderar, que, como los Auctores ciertos dicen, Eſpaña fue poblada de Tubal, hijo quincto de Iaphet, el qual en el derramamiento de las Gentes, quando las lenguas ſe repartieron, vino con mucha gente de ſu lengua,* * *QVE ES AHORA LA NVESTRA, AVNQVE MVCHO LIMADA, E ALTERADA DE AQVELLA PRIMERA CONDICION.* Miro mirius; ſed vero verius. Faceſſant ergò qui penitiſsimâ Hiſpanici Idiomatis cognitione deſtituti, illius monimenta, æterni Numinis providentiâ noſtris temporibus reſervata, contentioſis difficultatum molibus opprimunt. Nos ex Scriptoribus antiquis Hiſpanorum linguam aſtruamus. Hanc ne M. Maximus *Hiſpanam*, vel *nativam* vocavit, ad ann. 550? *Præter linguas Latinam, Cimbricam, Gothicã, in Hiſpania erant lingua Cantabrica, & politior NATIVA HISPANA, quæ copia verborum, elegantia & tumore à Cantabrica differebat.*

* Cap. 1. q. 6 fol. 16.

* Eiuſdem ſententiæ fuerunt D. Did. de Covar. cap. 6. n. 4. de veter. Collat. Numm. Lud. Vives Cóm in D. Aug. 8. c 9. Illã tutantur D. Madera c. 18. & 19. de Veritate reliq. S. Mõtis Illipulitani; & c. 13. Appéd. ad lib. Excell. Monarch. ultimæ editionis. Et Didacus Matute cap. 4. Profap. Chriſt. §. 4. ætat. 2. Nos a fol. 103. ad 108 Apolog. 1. pro Dextr. & Not. ad Max.

bat. Concilia, Leges Acta publica, Inscriptiones edebātur Latina lingua, cetera communiori Gothica vel HISPANA. Qua de re exstant libri integri. HISPANA dialectos proprias, & vocabula NATIVA passim habet; multa miscentur illi ex externis. Sic in melioris notæ M.S. legi olim * docui, non *politior Latina Hispana*, ut in vulgatis imperitè circunfertur, sed *nativa*; ex quo fortassè corrigēdus Roderic. Toletan. 1. de reb. Hisp. 3. cùm de filijs Tubalis ageret, *Hi post divisionem linguarum, ut regiones adirent, & ut Nemrod tyrannidem evitarent, divisi sunt in linguas & nationes, & linguam, quæ nunc Latina dicitur, observarunt, &c.* ubi *Latinam* insciтè intelligi ab eo viro, qui linguarum cognitione ita claruit, ut * miraculi instar Concilij Lateranensis Patribus esset, tantam Hispanum hominem linguarum facultatem assecutum esse, quantam ab Apostolorum ætate ulli homini negabant contigisse, quis nisi inscius opinabitur? Iulianus linguam etiam *Hispanam, vetustam, vernaculam, nativam* dicit ad ann. 719. *loquebātur Muzarabes LINGVA HISPANA CONSVETA, & Gothica, præcipuè Toletani, qui politiores erant ceteris, nitorem LINGVAE VERNACVLAE NATIVVM inter Mauros observarūt. HAEC A TVBALE PRINCIPIVM HABVIT; in cōtractibus & sermone vulgari cum Sarracenis lingua loquebantur Arabica, inter se sermone Gothico vel HISPANO VETVSTO utebantur.* Hancnè ille apud Ennium intellexit olim, cùm

HISPANE, non Romanè memoreti' loqui me,

profiteretur? Hacnè etiam loquutum credemus *in Citeriori Hispania agrestem* illum *nationis Termestinæ, qui uno vulnere in mortem L. Pisonem adfecit, & cùm tormentis edere socios adigeretur, voce magna SERMONE PATRIO frustra se interrogari clamitavit*, apud Tacitum 4. Ann. 45? Eânè linguâ Gallæci tripudiantes cantil-

* Apolog. 1. pro Dextro fol. 103

* Marian. 12. cap. 4.

labant, de quibus Silius noster Punic. 3.

—— misit Gallæcia pubem,
Barbara nũc PATRIIS ululantẽ carmina LINGVIS,
Nunc pedis alterno percussa verbere terra
Ad numerum resonas gaudentem plaudere cetras?

Hæccine illa est, quam *patriæ Iberæ idioma* Emporitanorum * Lapis indigitavit?

* Apud Gruter. Appēd. Inscript. fol. 2. 2. Adolph. Occon fol. 20. Inscript. Hisp. 4. & plures ex nostris.

EMPORITANI. POPVLI. GRAECI
HOC. TEMPLVM. SVB. NOMINE
DIANAE. EPHES. EO. SECVLO. COM
QVO. RELICTA. GRAECOR. LINGVA
NEC. IDIOMATE. PATRIAE. IBERAE
RECEPT. IN. MORES. IN. LINGVAM
IN. IVRA. IN. DITIONEM. CESSERE
ROM
M. CETEGO. ET. L. APRO
NIO. COSS?

Hancne Agellius Hispanorum *linguam patriam* intellexit, cùm de Hispano ageret 19. Attic. lect. 9.? is fuit *Antonius Iulianus Rhetor docendis publicè iuvenibus magister Hispano ore, &c.* quem *Græci plusculi lacessere insectarique adorti sunt, tanquam prorsus barbarum, & agrestem, qui ortus terra Hispana foret, &c. Tum ille pro LINGVA PATRIA, tanquam pro aris & focis animo irritato indignabundus, &c.* Turditanisne olim hic *vernaculus sermo?* De ijs * Strabo. *Turditani autem, maximè qui ad Bætim sunt, planè Romanos mores assumpserunt, ne SERMONIS quidem VERNACVLI memores, ac plerique facti sunt Latini*, &c. Ex eâ nè etiam vetusta Hispanorũ lingua *pingue* illud & *peregrinum* Romanorum aures ita feriebat, *ut etiam Cordubæ natis poëtis* (sed Romam à Metello translatis) *pingue quiddam sonantibus, atque peregrinum* au-

* L. 3.

aures suas(Metellus)*dederit*,* ut ait Cicero? qualis *Sextilius Hena* noster, *inæqualis poëta, & penè quibusdam locis talis, quales esse Cicero poetas Cordubenses ait, pingue quiddam sonantes, atque peregrinum*, apud * Senecā illius civem. Ex ea nè tandem obscuritas illa enata est, quam * Cicero innuit, cùm de Dijs ait, *Illos similes esse, si ea nobis obijciunt, quorum neque scientiam, neque explanationem habeamus, tanquam si Pœni, aut HISPANI in Senatu SINE INTERPRETE loquerentur?* Eruditior in re difficillimâ iudicium adferat interponatque suum. Nos, dū certiora non indagaverimus, cum Augusto *hoc Catone contenti sumus*. Progreditur Luitprandus.

* Pro Archia.

* Suasor. 6.

* 2. de Divin.

Cantabrica.] Quam etiam Hispanorum primā eius gentis * nonnulli sibi, * alijsque inutiliter persuaserunt. Præcipuum Cantabris fuisse idioma olim Seneca noster testis est cap. 8. Consolation. ad Helu. cùm de ijs, qui in Corsicam transierunt, agit, *Transierunt*, inquiens, & *Hispani, quod & similitudine ritus apparet, eadem enim tegumenta capitum, idemque genus calceamenti, quod Cantabris est, & verba quædam, nam totus sermo conversatione Græcorum Ligurumque à PATRIO descivit*; ita ut non lingua solùm sed & habitu à ceteris Hispanis differrent. Verùm lingua illis adeò culturæ expers, ut vel pronunciatu difficilis, aut omnino impervia; illud Plinius innuit 3. cap. 1. cùm *Latiali sermone dictu facilia* se commemoraturū loca polliceatur; hoc Mela noster 3. cap. 1. cui *Cantabrorum populi, amnesque sunt, quorum nomina nostro ore concipi nequeant*. Hinc quàm fœdè lapsus Ger. Mercator sit, facilè coniicitur, cùm de Cantabris affirmet fol. 111. Atlant. eos *proprium idioma barbaricum à Latino non admodum distans effecisse, quo etiam nūc utuntur.*

* Andr. de Poza de Antiq. Hispan. ling. Gariv. lib. &c. 4. Cōp. Hist. Ant. Navar. fol. 16. Epit. Dom. Cantab. * Vener. Inchir. temp. Marin. 1. de reb. Hisp. Mar. Aret. in Calliph. Beuter. 1. p. Chr. Scolan. 1. cap. 11. alis passim.

Græca.] Non mirum, cùm *sermone Græco omnis Orbis*, teste * Hieronymo optimo linguarū iudice, *loqueretur*, præ-

* Prooem. lib. 2. Epist. ad Galat.

præsertim Hispania, quò naturæ feliciter propitiantis solum, cœlumque illius gentis primores ab antiquissimis temporibus attraxit; nimirùm *annis ducentis ante excidium Troiæ, ut Auctor est* [1] *Bocchus*, cùm in *Hispania templum Dianæ à Zacyntho adductæ cum conditoribus*, & oppidum extructum, hodie *Saguntus*. Nec inferioris famæ advẽtus Dionysij, seu *Liberi Patris* comitũ [2] *Lusi*, qui *nomen dedit Lusitaniæ*, & *Panos eius universæ Præfecti*, [3] Herculis, [4] Vlysis, [5] Teucri Telamonis F. [6] Tlepolemi Herculis F. Lindi, Diomedis, Astyris, [7] Phocẽsium, [8] Rhodiensium, [9] Troianorum, & aliorũ, ex quibus tot vocum segetes primo Hispanorum idiomati adiectæ sunt, ut copiosos ex ipsis indices conficiendi occasio viris [1] doctis data sit.

Latina.] Ex Romanorum instituto, nam *Magistratus prisci quantopere suam P. Q. R. Maiestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quòd inter cetera obtinendæ gravitatis indicia, illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Græcis unquam nisi Latinè responsa darent; quin etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimùm valent, excussa per interpretem loqui cogebant, non in Vrbe tantùm nostra, sed etiã in Græcia & Asia. Quo scilicet LATINAE VOCIS HONOS PER OMNES GENTES VENERABILIOR DIFFVNDERETVR*, Auctore, [2] Val. Maximo. Adde ijs *operam datam esse, ut imperiosa civitas non solùm iugum, verùm etiam LINGVAM SVAM DOMITIS GENTIBVS per pacem societatis imponeret*, ut ait [3] August. Id Hispanis accidisse ita palàm est, ut probare pluribus sit supervacaneum; præsertim Coloniarũ deductione, quâ *Romanorum clementia cunctis non parvulum donum appellationis suæ concessit, non solùm viris singulis, sed etiam maximis gentibus in communi, Hispani denique antiqui, & Tyrrheni, & Sabini Romani vocãtur*, teste [4] Iosepho; Hinc effectum est, ut de suis temporibus

[1] Ap. Plin. 16. cap. 40.
[2] Plin. 3. cap. 1.
[3] Arist. de mirab. Ausc. Strabo, Avienus, multi.
[4] Posidon. Artemidorus, Asclepiades ap. Strab. 3.
[5] Sil. 3. & 15. Pun.
[6] Sil. 3.
[7] Strab. 3.
[8] Strab. 14
[9] Sil. 3. Steph. de Vrbib.
[1] Did. Mamute cap. 4. Prof. Chr. §. 5. ætat. 2 B. Aldret. 3. Orig. L. C. cap. 1. Scolan. rer. Valen. cap. 13. lib. 1.
[2] Lib. cap. & §. 2.
[3] 19. de Civit. cap. 7.
[4] 2. Cont. App.

bus

bus [1] Plutarch. *dicere possit, Romana lingua OMNES hodie homines uti.* Succedit in Luitprando

Arabica.] Cuius (si [2] Arabibus credendum esset) *Arabus* quidam, qui etiam *Almaharub Ibni Cahtan* ab ipsis dicitur, primis temporibus auctor fuit; antiquissima illa & [3] varia sic à nostris hominibus ingruẽtibus sæpius per tot secula Arabicæ superstitionis colluvionibus, assuefacta est, ut quartam sermonis nostri partem ut minimùm, esse merè Arabicam [4] non nemo iudicet, etsi in idiotismo Toletano μιξομαυριτανικὰ, & non omnino Arabica non pauca cognoscantur. Illius olim apud nos usus etiam in rebus serijs. Heleca Cæsaraugustanus Addit. ad Maxim. *Sacræ Scripturæ Arabicè translatæ à Presbyteris Catholicis habentur, & cum Scholijs circunferuntur; præcipuè novum Testamentum Evangeliorum; Epistolæ S. Paulli; Epistola S. Iacobi Zebedæi missa ad Hispanos ex dispersione Iudæos iam conversos, &c. propterea quòd iam lingua Latina evanescebat.* Luitprand. ad ann. 748. non absimiliter de Ioanne Episcopo, *Qui sacras Scripturas de Latina transtulit in Arabicam linguam, quæ iam in Hispania valdè vulgaris erat: in exiguo fuit usu lingua Latina.* Curiosa addiscendæ Arabicæ linguæ inter Hispanos cura nota ex D. Eulogij 1. Memol. SS. cap. 1. & Alvari eius socij Indiculo luminoso. Quæ deinde?

Chaldæa, Hebræa.] Huius illa filia dicitur, *quia vicina est Chaldæorum lingua sermoni Hebraico*, Auctore utriusque peritiss. [5] Hieronymo. Pervulgatum est inter Hebræorum Scriptores Nabucodonosorem in Hispaniam venisse; ab eoque tempore copiosam eiusce gentis multitudinem apud nos remansisse. Sic volunt Rabbi Ionathas Vzielis F. paraphraseos Chaldaicæ auctor, alijque in 4. lib. Reg. sic Auctor Chronologiæ illorum maioris, sive *Seder Olam Rabbà*, & Rab. Kimhi, in Chronol.

mi-

1 De Platon. quæst.
2 Lib. Iouhori lit. A.
3 Vid. Lud. Marmol. 1. Descript. Afric. 33.
4 Ios. Scalig. Epist. fol. 489. 501.
5 Præfat. in Iob & Iudith.

minori ſive *Zutà* Decur.7. Nec aliter Scriptores Græci; Megaſthenes apud Strabonem & Ioſephum; [1] ille *Nabucodonoſorem* (Ναυοκοδρόσορον in Græcis Strabonis codicibus) *Qui magis à Chaldæis probatur quàm Hercules, VSQVE AD COLVMNAS perveniſſe, quouſque etiam Tearconem: illum verò exercitum EX IBERIA* (aut HISPANIA) *in Thraciam Pontumque duxiſſe* à Megaſthene ait ſcriptum. [2] Hic, *Megaſthenes quarto rerum Indicarum volumine, ubi* δεικς ἀποφάινειν πειρᾶται *oſtendere conatur, quòd hic Rex virtute, & rerum geſtarum magnitudine Herculem longè à tergo reliquerit: ſubiugaſſe enim eum* καὶ Λιβύης την πολιν ΚΑΙ ΙΒΗΡΙΑΝ, *& urbem Africæ primariam & HISPANIAM.* Iterum contr. Appion. καὶ Λιβύης την πόλιν καὶ ΙΒΗΡΙΑΝ; ubi (ut hoc obiter notem) malè in vulgatis πολλην; unde in errorem lapſus eſt Sigiſm. Gelenius Ioſephi interpres, cùm primo loco *bonã partem Hiſpaniæ*, ſecundo *Libyæ multam partem* vertit; verùm ex illo hic emendandus, fideliterque vertendus. Idem intellexiſſe Alphæum crediderim, cùm *Nabucodonoſorem Hercule robuſtiorem* dicit ex Megaſthene apud Euſeb. 9. de Præp. Evang. 6. Hos ſecuti innumeri è noſtris [3] Scriptores, qui eius in Hiſpaniam adventu, cùm multos Iudæos in expeditionẽ traheret, arbitrati ſunt multa Hebraica nomina cùm in Bæticæ, tum in Carpetaniæ locis adhæſiſſe. [4] Non nemo repugnat, & cui auctoritas inter magnos magna: ſed annè illi annoſa tot ſeculorum ſeries, libera tot Scriptorũ fides præponenda? Non leviter pronunciem. Difficile enim eſt tam aggeratis teſtimoniorum conſtantium molibus tenuem rivi undulam nec præſentibus adeò incitã præſidijs non coërceri. Adhæc, nõ paucæ Hebræorum voces antiquæ Hiſpanorum linguæ admiſtæ; admiſtus etiam, prô dolor! limpidiſsimo noſtræ gentis ſanguini [5] fœtens illorum, & cunctis perfidię & ignominiæ macu-

[1] Georg. 15.

[2] Io. Ant. 11.

[3] Quos laudo fol. 55. Apolog. pro Io. Marianæ Hiſt.

[4] D. Bern. Aldret. 3. de L.C.c.4.

[5] *Fœtentes Iudæos* vocat Amm. Marcel. L. 22. & *Iudæus Bder* Venantio Fortunato 5. carm. 5. Hinc fortaſſe nos Iudæos *putos*, quia putẽt, vocamus, quod nõ tã auctoritate Scriptorũ, quàm experientia ſcimus.

cu-

culis teter eſt non connubiorum, quæ ſemper, ut nobis officiant, ambierunt, ſolùm commercio, ſed indignè extorto, [1] potentiorum, aut adſcititio honorũ ambitu, & inexhauſta pecuniæ malè partæ aviditate, ita ut cùm (verbis dicam Chriſtiani & Hiſpani [2] vatis)

Exſilijs vagus huc illuc fluitantibus erret
Iudæus, poſtquàm patria de ſede revulſus
Supplicium pro cæde luit; CHRISTIque negati
Sanguine reſperſus commiſſa piacula ſolvit.

1 Vide ſodes Paulũ Burg. 2. p. d. 6. c. 10. Scrutin. Scriptur.
2 Prudent. Apoteos. cont. Iud.

Verè indies, ut Rutilius Numatianus, qui eiuſce gentis mores ſcitè & graphicè [3] deſcripſit, teſtatur

Latiùs exciſæ peſtis contagia ſerpant,
Victoreſque ſuos tratiò victa premat.

3 L. 1. Itinerar.

Vtinam noſtro malo vel hodie non experiremur! Succedit

Celtiberica.] Diverſa etiam hos lingua loquutos ait Plin. 3. cap. 1. *Celticos à Celtiberis ex Luſitania adveniſſe manifeſtum eſt, ſacris, LINGVA, oppidorum vocabulis, quæ cognominibus in Bætica diſtinguntur*; etſi hîc non *Celtiberos*, ut, in vulgatis eſt, ſed Celticos velim, cùm κελτικοὶ Ptolemæo partim Bæticam, partim Luſitaniam habitent. Quidquid ſit, Celtiberorum idiomati aliquid olim ineſſe ſingulare ſalſiſsimus Martialis, & ipſe Celtiber non ſemel teſtatur.

4 *Nos CELTIS genitos, & ex IBERIS*
NOSTRAE NOMINA DVRIORA TERRAE
Grato non pudeat referre verſu. 4 L. 4. 55.

Et

5 —— *CELTIBERIS*
Hæc ſunt NOMINA CRASSIORA TERRIS. 5 L. 12. 18.

Hinc illud ad [6] Carmenionem etiam interpretor, 6 L. 10. 65.

Cur frater tibi dicor EX IBERIS
Et CELTIS genitus, Tagique civis?
Tu flexa nitidus coma vagaris:

Hispanis ego contumax capillis;
Os blæsum tibi, debilisque lingua est,
NOBIS FILIA FORTIVS LOQVETVR.

Valentina & Catalaunica.] De quarum antiquitate & præstantia pluribus agunt Martinus Viciana [1] lib. de laudibus ling. Heb. Græc. Latin. Castell. & Valentinæ, & Scolanus 1. Hist. Valent. cap. 14. quæ hîc non repetã.

[1] Edit. Valentiæ ann. 1574.

De quibus in 3. lib. Strabo, ubi docet plures fuisse litterarum formas & linguas in Hispania.] De linguis, iam habes initio huius fragmenti; de litteris, ibidem Strabo de Turdetanis, *Hi inter Hispaniæ populos sapientia putantur excellere, & litterarum studijs utuntur, & memorandæ vetustatis volumina habent; poëmata, leges quoque versibus conscriptas à sex annorum millibus, ut aiunt. Ceteri autem Hispani usum habent litterarum, non uno quidem genere, &c.* Abeant igitur in malam rem [2] qui antiquos fortissimæ gentis mores barbariei prorsus insimulant.

[2] Munster. & Villonovan. in Ptolem. Mercat. in Atlant. multi ex exteris.

AE.729 Chr.691 *Kal. Novemb. hoc ann. R. Egic. 4. hab. est Synod. in Vrb. Cæsaraugust.*] Illius inscriptio est, *Gesta Synodalia in urbe Cæsaraugusta sub die* Kal. *Novemb. Æ.729. anno 4. orthodoxi, atque serenissimi D. N. Egicani Regis.*

AE.730. Chr.692 *Siseb. vestem, quam B. Ild. divinitùs acceperat, &c. vult indui, &c.*] Roderic. Tolet. cap. ult. lib. 2. *Hac autem veste nullus post eum* (Ildephonsum) *uti præsumpsit, nisi Sisebertus Archiepiscopus, qui culpa sua ab illa sede propulsus fuit exsilio relegatus*; rei istius veritati vulgares rumores suo modo miscuit Vincent. Bellovac. cap. 120. lib. 7. specul. Histor.

AE.731. Chr.693. *Ann. 6. &c. 16. Synod. Tolet. &c.*] Initium ipsius Concilij, *ann. 6. inclyti & orthodoxi Domini & Principis nostri Egicani sub die 6. Non. Maiar. Ær. 731. unanimitatis nostræ conventus in Prætoriensi Basilica SS. videlicet Petri & Paulli aggregatus, &c.*

Deponitur Sisebertus, &c.] Concil. 16. cap. 9. *Sisbertus*

To-

Toletanæ sedis Episcopus talibus machinationibus denotatus repertus est, pro eo quòd serenissimum D. N. Egicanem Regem non tantùm regno privare, sed & morte cum Flogello, Theodomiro, Luibilane, Luibigithone quoque, Thecla, & ceteris interimere definivit, atque genti eius vel patriæ inferre conturbium, & excidium cogitavit: qui etiam, per decreti nostri definitionem iam & loco, & honore privatus exsistit. Ipse verò Sisbertus pro sui iuramenti transgressione, facinorisque tanti machinatione secundùm antiquorum Canonum institutionem, qua præcipitur, ut quisque inventus fuerit talia fecisse, & vivente Principe in altum attendisse pro futura regni spe, à conventu Catholicorum excommunicationis sententia repellatur, honore simul & loco depulsus, omnibusque rebus exsutus, quibusque in potestate prædicti Principis redactus, perpetui exsilij ergastulo maneat relegatus, ita nempè, ut secundùm eorumdem antiquorum Canonum decreta in fine vitæ suæ tantùm communionem accipiat, &c. vid. eiusdem Concil. cap. 12.

Ad monast. S. Petri Karadinensis, *&c.*] Maximus ad ann. 550. *Sanctina Severiani Ducis, &c. ædificarat ad S. Petrum* Karadinensem *celebre monasterium, &c.* De quo vid. Sandoval. par. 1. monast. S. Bened. à fol. 34. ad 50. Iepes Cent. 1. Chronic. Bened. & Alph. Chacon libello de Martyrib. Karadinens. hodie etiam post tot sæcula religione floret sub eodem nomine *S. Pedro de Cardeña.*

Felix, &c. Toletanæ sedi præficitur, &c.] Concil. 16. cap. 12. *Igitur quoniam favente Domino, Concilium est quo citius incoandum secundùm prælectionem, atque auctoritate totiens dicti N. D. per quam in præteritis iussit venerabilem fratrem nostrum Felicem Hispalensis sedis Episcopum, de prædicta sede Toletana iure debito curam ferre; nostro eum in postmodum reservans idem decreto firmãdum, ob id nos cum consensu Cleri, ac populi ad sæpe dictam*

Toletanam ſedem pertinentis, prædictum venerabilem fratrem noſtrum Felicem Epiſcopum de Hiſpalenſi ſede, quam uſque hactenus rexit, in Toletanam ſedem Canonicè transducimus, &c.

Chronicon.] Vnà & *Vitam S. Iuliani* prædeceſſoris ſui, & aliorum 12. quæ Ildephonſo de Vir. illuſtrib. ſuperadduntur, ut teſtis eſt iterum Luitprand. ad ann. 960. & Iulianus Archipresbyter ad ann. 692.

ÆE.732. Chr.694 *Synod. Tolet. 17. &c.*] Roderic. Toletan. cap. 13. lib. 3. *Anno 7. Flavij Egicæ Regis 5. id. Novemb. fuit celebratum 17. Concil. Tolet. in Eccleſia S. Leocadiæ, ubi ſanctum eius corpus requieſcit, in ſuburbio Toletano ſub Felice Vrbis Regiæ Primate, qui gravitatis & prudentiæ excellentia nimia præpollebat, &c.* Conveniunt acta ipſius Concilij Ær. 732. celebrati.

ÆE.734. Chr.696 *Abdicato Imp. Iuſtini, ſuccedit Leontius.*] Quo etiam anno rem enarrant Theophanes, Cedrenus, Zonaras, & ferè omnes recentiores.

ÆE.736. Chr.698 *Flavius Vvitiſa cum poteſtate regia vivit in Gallæcia, &c.*] Roderic. Tolet. cap. 14. lib. 3. *Hic Flavius Egica tribus annis ante mortem Vvitiſam filium ſuum, quem ex Cixilone ſuſceperat, præfuit Gallæciæ, quæ olim regnum fuerat Suevorum, & præcepit ut in Tuda, quæ eſt una de amœnioribus Gallæciæ civitatibus, reſideret.* Egicæ patris, & Vvitiſæ filij aureum nummum vidi cum utriuſque nomine EGICA REX, & VVITTIZA REX; ex quo & utrumque unà regnaſſe, & quibus litteris unumquemque ſcribas, facilè percipies.

Floret Toleti Iulianus Lucas.] Iulianus Archipresbyter ad ann. 452. *Hinc auſpicatur ſuam Hiſtoriam Iulianus Lucas Theſſalonicenſis, & in ſancta Eccleſia Toletana celeberrimus Archidiaconus, qui vixit ſeculo ſanctiſſimi Regis, & reparatoris Hiſpaniæ Pelagij*: quem eodem cognomine laudant Florianus Ocampius Regius Hiſtoriographus

phus Prolog. Chronic. & Vasæus cap. 4. Chron. de eo Mariana noster, cap. 3. lib. 6. de reb. Hisp. *Iulianus Diaconus, natione Græcus, in utriusque linguæ cognitione non impar, antiquitates Hispaniæ atque Pelagij res gestas Toleti litteris illustrabat*, Nos in proloquio Apolog. pro Dextro, & in Iuliani vita.

De utroque Beroso.] Berosum Chaldæum ex fragmẽtis apud Scriptores antiquos novi, alterum nondum inveni; annè hîc Luitprandus illũ intelligit, de quo Dexter ad ann. 300. *Lucius Valerius Hispanus Berosi fragmenta in quinque partes digessit*? peritior iudicet.

Decentius Episcop. Segoviens.] Qui Concil. Tol. 16. subscribit vigesimusseptimus, *Decentius Segoviens. Ecclesiæ Episcopus.* *AE. 738. Chr. 700.*

Excisa est à Mauris Segovia.] Quo anno diligentissimè investigabit Didacus Colmenares amicus noster, patriæ rerum studiosissimus; qui nullis laboribus, nullis parcit sumptibus, ut Historiam Segoviensem purã putam posit posteritati tradere.

Multi monachi à Mauris occiduntur, & in ijs passus S. Fructuosus.] Iulianus Archipresb. ad ann. 692. *S. Fructuosus (vulgò Fructus) Eremita in monasterio Benedictinorũ, Valentinus frater & sanctissima soror Eucratis à Mauris, ut quidam volunt, perimuntur die 24. mens. Octob.* Vide Marin. Sicul. L. 5. Thom. Trugill. tom. 2. Thes. Cõc. fol. 1878. Mariet. 6. de SS. Hisp. cap. 2. Lud. Non. c. 6. Hisp. Laurent. Calvete cap. 12. & 13. lib. 2. Hist. S. Fructus Segoviens. Et Fructum Leonem de Tapia, qui illius & fratrum vitam versibus decantavit. Sed an hoc unã & Segoviæ per Mauros excidium, de quo in præcedenti fragmento, ante postremam ipsorum in Hispaniam irruptionem? Pensitandum.

Hoc anno sanctè moritur Felix, &c.] De cuius obitu magnũ in nostris Scriptoribus silentiũ adhuc est; illius diem

diem, atque annum, & ſepulturæ locum Luitprando noſtro debebit poſteritas in Epitaphio.

Iria, Toletum, patrem prius Hiſpalis ipſa vidit.] De *Hiſpali Toletoque* notum eſt; de *Iria* ſubſcriptio hæc in Conc. Bracarenſi 3. ultimo loco. *Ildulfus, qui cognominor Felix, Irienſis Eccleſiæ Epiſcopus*, fortaſſe edocebit.

Eligitur in ſede Toletana Guntericus, &c.] Succedit in Catalogis Toletan. Antiſt. *Felici Guntericus*; de quo Iſidorus Epiſcopus Pacenſis in Chronic. *Per id tempus Gundericus Vrbis Regiæ Toletanæ ſedis Metropolitanus Epiſcopus ſanctimoniæ dono illuſtris habetur, & in multis mirabilibus auctor celebratur*; ijſdem omnino verbis (ut ſolet) Roder. Tolet. cap. 14. lib. 3.

Gothi deſtruunt Lacobricam, &c.] Vt quænam hæc *Lacobrica* fuerit oſtendant, acerrimè depugnant Gaſpar Scolanus Dec. 1. lib. 1. cap. 16. & lib. 8. cap. 13. Hiſtor. Valent. & Franc. Diag. cap. 24. lib. 3. Annal. Valent. Certè inter eruditos nondum liquet; liqueret fortaſsis, ſi illa quæ Luitprandus adiecit *prope Vrſadam, hoc eſt Molinã*, incorrupta ad nos perveniſſent, de illorũ emẽdatione ego prorſus deſperans (ni *Burſadam* legas, quæ Ptolemæo Βέρσαδα, Celtiberorum in Hiſpania oppidũ) eruditioris ingenio relinquo. Vid. Moral. lib. 8. cap. 16. Marian. lib. 1. cap. 14. & Britto 3. cap. 18. Monarc. Luſ. Gariv. 6. cap. 16. Beut. 1. cap. 22. & quæ ad ann. 631. iã diximus.

Vbi Sertorius vicit Metellum & Aquilium Roman. Duces.] Plutarchus in Sertorio, *Cùm verò animadvertiſſet Metellus Langobritas* (λαγγοβρίτας in Græco eſt) *qui non parvam opem Sertorio afferebant, ſiti faciliter expugnare poſſe (unum enim dumtaxat puteum intra urbem habebant) ſuburbanas utro & circummœnianas obſeſſor aquas poterat auferre, aggrediebatur urbem ea ſpe, ut duorum ſpatio dierum ablatis aquis ea potiturus eſſet. Itaque militi-*

bus

bus edixerat, ut quinque dierum cibaria secum deferrent. At Sertorius celeriter cognita re auxiliatus, duo millia utrium impleri aqua iubet, pollicitusque pro quoque utre certa argenti pondera. Multis ex Iberis, multis etiam ex Maurusijs negotium suscipientibus, delectis viris robustis, ac velocibus mandat, ut cùm aquam inferant, tum inutilem bello turbã, ut diutiùs potus sufficiat reliquis, educant. Quod cùm intellexisset Metellus, & iam deerant cibaria, Aquilium cum sex millibus militum frumentatum mittit. Huic verò redeunti Sertorius insidias tendit, in eumque redeuntem tria millia militum à tergo ex quadam valle excitat, ipse à fronte obviam factus vertit Aquilium, profligatque. Ex militibus, qui cum Aquilio erant, partim capti sunt, partim necati. Aquilius amisso equo armisque solus effugit. Quo facto confestim obsidionem relinquere Metellus, ac turpiter nimiùm à Sertorianis derisus, abire coactus est. Hæc copiosiùs, quæ Floro 3.cap.21. Appian.1.Iberic.& Orosio 5.cap. 23. breviùs enarrantur. De Sertorio & Metello plura in Hispania monimenta adhuc visuntur; de Aquilio exstat etiam memoria Valentiæ, ubi Metellum secutus decessit, hoc lapide, qui vix iam legi potest, in ædibus Archiepiscopalibus,

M. AQVILIO
AQVILINO
ANN. XXXVI
L. ROSCIVS
SEVERVS
TIRO
AMICO S.·.·.MO

Ægica Rex, &c. moritur Toleti, &c. succedit illi in Regno, &c. Vvitisa, &c.] Roderic. Tolet. cap. 14. lib. 3. *Flavius Egica propria morte Toleti moritur, & ibidem honorificè sepelitur: cui successit filius eius Vvitisa AEra 740.* anno nempe sequenti, nam non longè ab eius initio, hoc *AE.739. Chr.701.*

hoc est 5. id. Novemb. occubuerat pater.

Toleti, urbe Romulea, hoc est, Regia.] Toletum ne Romulea? Non mirum, cùm etiam *Roma* dicta fuerit. Legum apud nos optimè institutarum verba sunt, [1] *Doncas establecemos, que de aqui adelante los Reies deben ser esleidos en la Ciudad de Roma, ò en aquel logar, onde morio el otro Rei, con consejo de los Obispos, i de los Ricos Homes de la Corte, è del pueblo, &c.* Nec de trivio seu è circumforaneis Leguleiorum affanijs hæc lex: pondus ab Antiquitate & Auctoritate habet: illa originem sive auctorem editionis Latinæ nescit; hæc Sisennandum Regem sive Isidorum Hispalensem eruditorum iudicio præfert, nostro prudentibus Romanorum scitis non post habendus liber ille est, cui *Forum Iudicum* ab ultimi excidij Hispani tempore, quo nostrum illum recepit idioma, præsignimus. Legi lex succedat, ac Foro [2] Forum, cuius hæc verba, *El Rei en Roma, ò en ciudad Metropolitana de Arçobispo, ò Cathedral de Obispo, &c.* ubi non de Roma, sed de Toleto sermo: sic Cixila Archiep. Tolet. in vit. S. Ildephonsi, ex M-S. qui apud me, *Deinde post multum tempus decedente Domino Eugenio in sede sua Episcopus præficitur, cuius statim virtus enucleata* [3] *cluens in sede Romulea* (ipsissima Luitprandi voce) *refulsit.* Nec mirum, cum eruditi [4] I. C. testimonio, *Toletum magnā cum hac urbe* (Româ) *conformitatem morum habere videatur: nec mirum* (*ut multa prætercam*) *quia est sub eodem polo 42. Vrbs est celebris, & religiosissima, &c.* Cui succinunt [5] alij non inferiori eruditione Scriptores. Euge Toletū tali appellatione, quæ cùm tibi propria innataque sit, alijs ornamento ac magnitudini Vrbibus adscititia fuit. Quod quidem ad *Romæ*, nostræque *Vrbis* gloriam pertinere quis iudicavit. *Karthago universarum Africæ Vrbiū princeps, & quasi mater, & in Africano Orbe quasi Roma,* [6] Salviano Massiliensi est, Capua Campaniæ urbs

Ro-

[1] L. 2. proœm.

[2] Quod de Sobrarve dicitur, de cuius auctoritate vid. Motal. 13. cap. 2.

[3] Al. clarēs.

[4] Quinct. Mādosij T. de Monit. q. 60. vers. Necnon.

[5] Lud. Molina 1. de Hisp. primog. cap. 2 num. 11. Spin. Specul. Test. G. 19. n. 73 Io. Narbona p. 2. de Appel. à Vic. ad Cōs. Arch. Tolet. fund. 1. à num. 41. ad 48.

[6] De Provid.

—— *Roma altera quondam.*

[1] Vt Arelate *Gallula Roma*, Ausonio, Sigeberto *Æduorum civitas Celtica Roma*; Leādro *Aquileia Romania & Roma secunda*, ut *Chromatius Aquileiensis Episc. Romanus* appellatur lib. de Octo Beatitud. Sic Aquisgranum Carolus M. vocavit; Alcuinus.

1 Vid. Paul. Merula p. 2. Cosm. lib. 4. & I. Cæs. Bulenger. 1. de Imp. cap. 3.

Augustus sedet Vrbe potens, ubi Roma secunda
Flore novo ingenti magna consurgit ad astra.

Et

Altaque disponens venturæ mœnia Romæ,
Materiam Romæ certatim congregat altæ.

Sic Valentia apud Hispanos *Roma* dicta [2] multis ex nostris (penes quos Fidem advoco) vel à nescio quo Romo Rege, vel ab ipso *Romæ* nomine, quod ex opinatione nonnullorum, *Ab Evandro primùm datum; cùm oppidum ibi offendisset, quòd structum antea Valentiam dixerat iuvētus Latina, servataque significatione impositi priùs nominis*, Ῥώμην *Græcè Valentiam nominatam*, ait Solin. initio Polyhist. quod nos *Notis ad Erinnam* inter Poëtrias nostras copiosè disputavimus. Adijciam & Babylonem (sed hoc *Romæ* amplitudinem spectat) *Romā* vocatam ab Auctore de Limit. Agror. à Turnebo edito. De Constātinopoli *Nova Roma*, ut Constātinus voluit, alij, passim in Const. Impp. Socrates 5. Eccl. Hist. c. 8. Greg. Nazianz. Carmin. de Vita sua, Iulianus Aug. Encom. Constātij, Synesius, Corippus, Priscianus, Marcellinus Comes, Zonaras, Sidonius. Quòd si tot præcipuæ provinciarū Vrbes *Romæ* æmulæ, *Romæ* appellatione ad honorū omnium culmen sibi visæ sunt pervenisse; quantum laudum cumulum necesse est accessisse Toleto, cui non ab aliquo ex Scriptoribus, sed à Regibus ipsis, & Legum Conditoribus tā gloriosi nominis accessit auctoritas, ita ut cùm tot honorū titulis auctam admiremur, & augendam reamur, benè cum Cyro Monacho

2 I. Ann. in Man. Fl. Ocamp. 1. c. 30. P. A. Beut. c. 40. Chron. L. Marin. lib. 6. de rebus Hisp. A. Vaner. in inchirid. tēp. Garl. v. 4. c. 24. Mariet. lib. 2. de SS. Hisp. Maurus Ferrer. 1. Hist. S. Iacob. 22. Bern. Gom. Miedes 2. de Sale n. 78. & 12. de reb. à Iac. Rege gest. c. 14. Scolan. 4. cap. 9. Covarr. Thes. L. C. Ortel. Thes. Geog. voce *Valentia.*

——— Τὴν νέαν ὄντως ῥώμην,
ῥώμην τὴν ἀρρυτίδωτον, τὴν μήποτε γηρῶσαν,
ῥώμην ἀεὶ νεάζουσαν, ἀεὶ καινιζομένην.

Novam re vera Romam, ruga carentem, nunquam ſeneſcentem, ſemper iuvenantem, ſemper renovaſcentem, urbem noſtram poſsimus prædicare. Clariùs Ottho Friſingenſis, & ad eam accõmodatiùs, *Conſtantinus ſedem Regni Byzantium tranſtulit, eamque Conſtãtinopolim vocavit; Quæ & REGIA VRBS vel NEOROMA vocata*; expreſsit nempè illud Græcorum νέα ῥώμη. Sed en ſingillatim *Regia urbs*, & *Roma*, ut Toletum. Roma igitur Toletum non ſolùm nomine, ſed & dignitate, vel in hoc [1] *novæ* illi *Romæ* (Conſtantinopolim dico) par, ubi & Primas & Patriarchalis ſedes ab ipſa Eccleſiæ Catholicæ infantia eſt conſtituta; Addo & quia REGIA, quo etiam nomine tã gloriatur *Roma*, ut ſuum neget, & *Regia* appelletur. [2] Modeſtinus docet antiquus & celebris I.C.

[1] Iuſtin. Auth. ut Ordin prefect. Authent. de Eccef. alib. paſs.

[2] l. ſi duas 6. §. hoc amplius, D. de excuſat. tutor. ibi Gloſſ. Interp.

Regia Vrbs ſeu *Civitas* Toletum. Concilia dicunt. Toletanũ 3. quo Arriana hæreſis in Hiſpania 62. Epiſcop. ſuffragijs condemnata eſt, ipſo in limine, *Hæc ſancta Synodus, habita eſt in Civitate Regia Toletana*; Inſcriptio 8. Concilij, *In nomine D. S. N. I. C. incipiunt geſta 52. Epiſcop. Pontif. in Vrbe Regia celebrata*; tempore Receſuindi Regis; cui ſubſcripſit *Eugenius Regiæ Vrbis Metropolitanus Epiſcop.* Sic in 9. & 10. ſub eodem; in 11. ſub Vvambane; 12. 13. 14. ſub Ervigio; 15. ſub Egicane regibus. Quid tam veris teſtibus opponendum? Addendum *Imperialis* etiam titulo decoratam *Regiam Vrbem* Toletanam. Breviarium antiquum Almeriæ, quæ Antiquis *Abdera*, ſeu *Portus magnus* dicebatur, quo feſta omnia noſtro Ildephonſo ſacra religioſè obſervantur, ſic Toletum [3] compellat; *Vrbs Imperialis magnifica bodie Dominum, qui fecit tibi hæc magna, ut ſanctiſs. mater ſua in te deſcenderet; multoque honore ſuſciperet Ildephonſum* pue-

[3] Antiph. ad *Magnificat*, Feſti Deſceſion.

puerum suum, & tuum S. Præsulem. Hinc illud *Imperij Hispaniarum caput*, & *Imperij sedes*, ubi imperatorijs insignibus imperaturi inaugurabantur, Alphonsi VI. Regis optimi & Toletanæ restaurationis auctoris testimonio, 1 quo cùm se *Hesperiæ imperatorem* dixisset, *Toletani* etiam *imperij Regem* dicit: cui Alphonsi Decimi 2 privilegium succinit, cuius hæc verba, *Tomamoslo ende, i mandamoslo llevar à Toledo à enterrar* (Vvambanem Regem) *que fue en tiempo de los Godos Cabeça de las Españas, donde antiguamente los Emperadores se coronaban.* Eisdem in eadem re verbis severus ille & iustitiæ tenax, non, ut vulgò, Crudelis, Rex 3 Petrus, *El Rei D. Alonso mio trasvisavuelo, que Dios perdone, mandò llevar al Rei Vvamba à Toledo, i lo hizo enterrar aì, i porque Toledo fue en tiempo de los Godos Cabeça de España, i dò antiguamente los Emperadores se coronaban.* Et 4 alibi, *Porque fallè que Toledo fue, è es Cabeça del Imperio de España.* Et ante hunc Sanctius Rex 5 privilegio Toletanis, cùm apud ipsos sepulcrum eligeret, dato, *Porque la mui noble Ciudad de Toledo es Cabeça de toda España, è logar, que aman mucho los Reies, è fue siempre mucho preciada, è mucho honrada de antiguedad acà, &c. è porque en esta Iglesia recibimos por la gracia de Dios la honra de nuestra coronacion, quando fuimos recibidos por Rei, &c.* Vera hæc. Sed quo ævo? Illud, à Gothorum imperio, cuius Toleti præcipuè, ut olim Tolosæ, sedes Reccaredo præsertim & Vvambane regnantibus ad excidium usque Hispaniæ & Roderici cædē, quâ non in peius omnia solùm ruere, sed & interire penitùs visa sunt, auctum. Hoc, ab illius Vrbis per Aldephonsum Sextum, è Maurorum potestate vindicatione. Is cùm Imperatoris nomine & insignibus potiretur, non *Hesperiæ Imperator* in privilegijs, quorum non exigua apud nos copia, tantùm, verùm *Toletani Imperij Rex* non semel abs se ipso appellatur. Sic in primi

1 Privileg. Tolet. concesso AEr. 1123. Decemb. 18.

2 Dat. Palent. AEr. 1322. April. 13.

3 Dat. Vallisl. 15 Oct. AEr. 1389.

4 Ibidē 9. Nov. AEr. 1389.

5 AE. 1323.

huic Vrbi concessa *sub Ær.1139.die 13. Kal.April.* initio, *Ego Alephõsus D.G.Toletani Imperij Rex, & magnificus Triumphator*, & in calce, *Ego Aleph.D.G. totius Hispaniæ Imperator*; quæ confirmantes repetierunt in Comitijs Vallisoletanis Petrus, [1] Henricus Serabi; [2] Ioãnes Burgis: Quin & Toletanis scribens nihil aliud addidit, quàm *Ego Adeph.D.G.Imperator.* Nec opus. Quid plura? Vlteriùs tendo. Alphonso Alphõsus succedat, sexto septimus; illius scita stabilivit hic; utriusque Toletani memoriam venerabundi recolunt, utrique æternùm debitores. Sextus à perfida Maurorum tyrannide illam urbem vindicavit; septimus à sexto erectã magnitudinẽ adauxit, privilegia corroboravit. Itaque *Imperialis*, & *Imperij sedes*: Nã (verbis dicam Maximi apud Herodianum) ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει ἡ τῆς βασιλείας ἵδρυται τύχη, in ea urbe imperij fortuna constituta est, in qua Imperatores; quam cũ [4] Coripppo *altricem Imperij*, sive cum [5] Mamertino *Imperij matrẽ*, & cum [6] Sidonio *Curiam dignitatum*, seu *matrẽ* cum [7] Casiodoro verè quis dixerit: in qua Augusti, quid si, ut altera Roma, *augustissima omnium sedes* [8] Ammiano, Toletũ nobis sit, vel *Augusta*, ut Paullino ad Auson. Prudẽtio Hippolyt. Apollonio 3. de Excid. Hierosolym? Vnde *Hispaniarum caput* ab Alphõso & Petro Regibus dicitur, ceu *Roma* olim Gergithio vetustiss. Scriptori *Cephalon*, & *caput* [9] Sidonio & [1] Prospero, & *cõmune imperij caput* [2] Symmacho. Hinc etiã quia, ut *sola Vrbs Roma*, *cetera oppida* ex Isidori testimonio 8. Orig. 4. & ἄστυ pro Athenis [3] Terentio & [4] alijs; Alexandria πόλις Stephano per eminentiã, quoniam ut ait Fabius 8. Inst. 2. *Quod commune est, & alij nomen intellectu alicui rei peculiariter tribuitur, ut Vrbẽ, Romã accipimus*; κατ᾽ ἐξοχὴν *Vrbs Roma*, sic Toletũ *Vrbs*, & ipsa nominis primi originatio (si vera est) [5] Πτολίεθρον, de qua nunc [6] alibique affatim sum argutatus.

1 AE. 1389
2 AE. 1409
3 AE 1417
4 Lib. de Laud. Iustin.
5 Panegyr. ad Max.
6 1. Epist. 6.
7 1. Epist. 32.
8 Lib. 6.
9 Carm. 2.
1 Init. περὶ ἀναέρων.
2 4. Epist. 38.
3 Eunuch. Act. 5. sc. 6.
4 Accio & Enn. ap. Nonium. Vitru. 7. præf. 8. c. 3. AEmilio Probo in Alcib. Festo in Astu, Donat. in Ter. Eunuc.
5 Blas. Ortiz. cap. 1. Descript. T. T. Alcoz. 1. c. 7. Hist. Tol.
6 Cap. 1. de reb. Tolet.

Eccle-

Ecclesiam S.Torquati.] In qua obiens iacuit ipse Gũdericus; *quam & ipse perfecerat*, teste Iuliano Archipresb. ad ann. 692. Toleti hodie exstat, quæ ex antiquissima paræcia in feminarum monasterium ante aliquot annos permissu superiorum transijt, retento tamẽ nomine, Hispanorum more, *S.Torcaz.*

Concilium Toleti celebratur,&c.] Roder. Tolet. cap. 14. lib. 3. *Hic in Ecclesia S.Petri, quæ est extra Toletum, cum Episcopis & Magnatibus super ordinatione regni Cõcilium celebravit, quod tamen in corpore Canonum non habetur*: Quod etiam sub eadem Æra Loaisa constituit in Concil. Hispan. collectione. AE.742. Chr.704.

Gundericus,&c. sapientia, &c.] Vid. quæ ex Isidoro Pacensi, & Roderic. Tolet. dixi ad ann. 700.

Legem tulit,&c. ut cuilibet laico,& clerico liceret quotquot posset alere uxores, &c.] Rodericus Tolet. cap. 15. lib. 3. *Vvitisa,&c. dedit licentiam, imò præceptum, omnibus Clericis, ut uxores & concubinas unam & plures haberent publicè iuxta libitum voluptatis*: idem Isidorus Pacensis, & Lucas Tudens. vid. Baron. ad ann. 701. & Bled. à cap. 1. ad 5. lib. 2. Hist. Mauror. AE.744. Chr.706.

Gundericus ætate, &c. confectus, &c. sepelitur in Æde natali S. Leocadiæ, &c. posuit illi carmen sepulcrale Sinderedus, &c.] Iulianus eodem anno, sed diversis die & sepulcri loco, *Gundericus Toletanus Episcopus 1. Maij moritur, anno 7. Vvitisani Regis, &c. iacet in Æde Toletana S. Torquati Episcop. & Martyris, quam & ipse perfecerat; posuit ibidem carmen sepulcrale successor eius Sinderedus,&c.* Vtri magis credas, in ambiguo relinquo. AE.745. Chr.707.

Succedit illi in c.v.T.E.&c. Sinderedus, &c.] Rodericus Toletanus cap. 14. lib. 3. *Huic successit Sinderedus Episcopus Vrbis Regiæ Primas, Vir sanctimoniæ studio clarus.* AE.747. Chr.709.

Qui

Qui Moniales S. Benedicti longè ab Vrbe degentes, &c.] Chronicon Hispaniæ generale cap. 54. par. 2. idem sentit, *En la Iglesia de san Pedro Apostol, la que es fuera de Toledo, è esta es la delas Dueñas Monjas negras.* Vide Moral. lib. 12. cap. 65. quod frustra alibi quæras.

Iubet Vvitisa civitates munitas muris nudari, arma deijci, præter Tolet. Legionē, Asturicam, &c.] Roder. Tolet. cap. 15. lib. 3. de Vvitisa; *Muros præcepit dirui civitatum præter paucas, &c. & arma ferrea in vomeres commutari;* Lucas Tudensis etiam singillatim enumerat *Toletum, Legionem, Asturicam,* ut hîc Luitprand.

Constantinus PP. monet Vvitisam, ut leg. abroget de duc. uxorib. per Sacerdotes, &c.] Roder. Tolet. cap. 15. lib. 3. innuit, *Nam propter vexationem Pontificis ad Romanum Pontificem appellabant, Vvitisa facinorosus timens ne suis criminibus obviarent, &c. dedit licentiam, &c. & ne Romanis Constitutionibus, quæ talia prohibent, in aliquo obedirent, &c.* eodem modo Lucas Tudens.

Concordius.] Qui paullò pòst in oppressione Vrbis Regiæ Maurorum tempore Episcopus Toletanus in Catalogis antiquis Ecclesiæ Toletanæ invenitur. Vid. quæ ann. 746.

S. Turibij] sive *Theoribij*, de quo Montanus A. T. in epist. ad fratres territorij Palentini, & ad ipsum Theorib. apud Loaif. ad calcem Concil. Tolet. 2. Ildephonsus in Montano; Maximus ad ann. 531. 578. 648. Iulian. ad ann. 543. vid. Moral. 11. cap. 48. Padilla Cent. 6. cap. 14. Sandov. 1. par. fund. Iepes tom. 1. ad ann. 537.

Sinderedus, &c. malè tractatur per Presbyteros S. E. Tol. &c.] Imò *Hic viros longævos & honorabiles, quos in Ecclesia Toletana repererat, post mortem S. Felicis, & Gunderici decessorum suorum zelo sanctitatis, licèt nō secundùm scientiam, cepit graviter infestare, & hoc ad instinctū Vvitisæ, qui propter sui nequitiam, eorum iustitiam timescebat,*

bat, teste Roderic. Toletan. cap. 14. lib. 3.

Vvitisæ consilio impulsuque Sinderedus patitur, ut Oppas &c.] Idem Roderic. cap. 16. *Vvitisa autem sacrorum Canonum inimicus Oppæ fratri suo Archiep. Hispalensi contradidit Ecclesiam Toletanam, eiusdem Ecclesiæ innuente Pontifice Sinderedo, ut sicut ipse carnali, ita & frater spirituali adulterio fœdaretur.*

Alijs est filius.] Sebastianus Salmanticensis Episcopus in Chronic. *Oppanem Hispalensis Ecclesiæ Metropolitanum Episcopum filium Vvitisani Regis* vocat; Isidorus Pacensis *filium Egicæ Regis*: vide Moral. lib. 12. cap. 65.

Rudericus Palatinus de Regio sanguine Gothorum.] Vtpotè filius Theudofredi, teste Roderic. Tolet. cap. 16. lib. 3. *Theudofredus verò filius Reccesuinti, &c. qui duxit uxorem de regali genere Ricilionem, ex qua suscepit filium Rudericum*: in nummis semper RVDERICVS vocatur; alibi *Rodericus*. *AE. 749* *Chr. 711*

Invadit Regnum contra Vvitisanem.] Idem ibidem, *Rodericus, &c. contra Vvitisam decrevit publicè debellare, &c. sibi Regnum electione Gothorum & Senatus auxilio vindicavit.*

Ille verò vel morbo vel cæde Toleti discedit.] Sic Lucas Tudensis, Pelagius Ovetensis, alij, quos sequuntur Morales, Mariana, Carrillo, id volunt; Roder. Tolet. & Alphonsus Burgensis *Cordubæ propria morte vitam finijsse* Vvitisam dicunt. Certè in tanta rerum perturbatione perturbatissimi etiam Historiographi nostri sunt.

Sinderedus, &c. Romam petit.] Patriam nempè suam; Isidorus Pacensis, *Sinderedus Vrbis Regiæ Metropolitanus Episcopus, &c. incursus Arabum expavescens, &c. Romanæ patriæ se se adventat*; eodem modo Rodericus cap. 18. lib. 3.

Succedit in sede Toletana, &c. Suineredus.] Ante hunc Vrbanus Melodicus Ecclesię Toletanæ Episcopus fuerat,

rat, testibus Isidoro Pacensi, Roderico Toletano, Morales, Loaisa, Mariana, alijs; sed in Catalogis antiquis illius Ecclesiæ abest, vel quia vivente Sinderedo electus, vel quia cum Sanctorum reliquijs non multò pòst ad Astures profectus: has ob caussas Vrbanus, utì ob tyrannidem Oppas, in illis non leguntur; sic in Luitprãdo; sed certè Sinderedo Vrbanus, Vrbano Suineredus succeſsit.

Præsente Oppane.] Roder. lib. 3. cap. 18. *Intrusione Oppæ, qui iam nil poterat, non obstante.*

Cavam Florindam filiam Iuliani violat.] Roder. Tol. cap. 18. lib. 3. *Rex Rodericus filiam eius* (Iuliani Comitis Spartariorum) *violenter oppreſsit. Hæc erat Regi promiſsa sponsaliter non traducta; alij dicunt Vxori Comitis vim fecisse; sed utrumlibet fuerit, Galliæ Gothicæ, & Hispaniæ excidij caussa fuit.* Consentiunt omnes tam antiqui, quàm recentiores rerum nostrarum Scriptores: in re notiſsima pluribus non est agendum. Hìc tantùm

Cavam] sive *Cabbam* filiam Comitis ab effectu vocatam, quia ea vox *scortum* Arabica voce significat, ut etiam Syriaca Epiphanius de Gnosticis hær. 26. *Barcabbam quemdam Prophetam introducunt, dignum ipsorũ nomine; Cabba enim Syriaca lingua scortationem significat, Hebræa verò occisionem*; utrumque malum in Hispania magno excidio fuit. Inde Arabibus meretrix *Cãhba*, & meretricum Lupanar *Dar al qhàb*, sive *Cobbia* à radice Hebrea קבב *Cabb*, & קבה *Cuba.* Videndus Thomas Maluenda è graviſsima Dominicanorum familia amicus noster doctiſsimus lib. 1. de Antich. cap. 8. & gentilis noster CL. Sebastianus Covarruvias Thes. L. C. certè Tarifius Abentariquius à Michaële de Luna ex Arabico (verè ne an fictè non disputo) versus lib. 1. cap. 18. Excidij Hispaniarum, ab Arabibus ignominiæ caussa filiæ Iuliani Comitis *Cabbæ* nomen

im-

impositum testatur, & verum illius nomen

Florindam] Esse; cũ illo Iacob. Bleda in Hist. Maurorum, Martin. Carrillo ad ann. 711. Annal. alij; Eat igitur in malam crucem baubator ille nugivendulus, qui ut aliquid suo ingenio dignũ, hoc est audacissimæ stoliditatis testimonium ederet, Cabbam (quocunque nomine vocitetur) pernegavit contra omnium antiquorũ & recentiorum, qui res nostras scripserunt, testimonia, quibus ipsi Arabes constantissimè consentiunt, ut Ebuchafer Hamed, Ibnu Ebi, Elfaiad, in parall. Reg. Bæticor, & Ebumeruà Abdelmeliq;, Binelquerdebur in Califar. Chron. M-S. qui in Bibliotheca Regia Laurent. & ceteri, qui inter Arabes in pretio habentur.

Arabes Hispaniam invadunt.] Annis nempè sequentibus 712. 713. 714. à mali initio usque ad miserrimũ Hispaniæ excidium; nam annum 711. Scriptores assignant, quando Rodericus Rex Cabbam *Vidit, & periit, cùm se malus abstulit error*: anno 712. (ex Roder. Tol. testimonio) *Muza misit cum Comite Iuliano quendam Tarif nomine & cognomine Abienzarcha cum 100. militibus, & 400. peditibus Africanis, & hi in quatuor navibus transierunt anno Arabum 91. AEra 750. in mense, qui dicitur Ramadàm; & iste fuit primus adventus Arabum citra mare, & applicuerunt ad insulam citra mare, quæ ab eius nomine dicitur Getzirat birif*, (fortè *Tarif*) *& ibi subsistit, donec ad se cognati & complices in Hispania advenerunt, & primos insultus fecit in Getzirat haladra*, (hoc est, insula viridi) *& inde abstulit magnam prædam, & alia loca maritima devastavit, & Hispania misera, quæ à tempore Leovigildi Principis ferè per 140. annos in pace substiterat, iam nunc incepit innovatis antiquæ miseriæ cladibus laniari, cædibusque in Lusitania & Bætica pro parte peractis, &c.* Annis tandem 713. 714. reliqua Hispaniæ cladis Historia subsequuta est,

ex eodem Roder. Tolet. & Luc. Tudenſ. vide Vaſæum ad ann. 712. 713. Moral. lib. 12. cap. 68. Marianā lib. 6. cap. 22. Bledam lib. 2. cap. 7. alij.

AE.750. Chr.712. *Seniores Eccleſiæ Tolet. mortuo Suineredo Iulianum cognomento Vrban. &c. præficiunt, &c.*] In Catalogis Eccleſiæ Tol. apud Loaiſam numerantur hoc ordine Toletani Præſules *Sinderedus, Vrbanus, Suineredus, Concordius, &c.* Roder. Tolet. cap. 18. lib. 3. *Viri autem longævi Vrbanum Virum ſanctimoniæ in Epiſcopum elegerunt, &c.* fortaſſe affinitas nominum *Sinderedi & Suineredi* obſtitit, ne alter ab altero vel in Catalogis, vel in Scriptoribus diſtinctiùs dignoſceretur; videſis ann. 711.

AE.751. Chr.713. *Synodus Rom. pro defenſione ſac. imag.*] Eodem anno Chriſtiano pro Imaginibus retinendis cōtra Philippicum primum Imp. Iconomachum aſsignatur Synodus Romana ab Abbate Vſpergenſi; vide Genebrar. 713.

AE.752. Chr.714. *11. die Novembris, &c. Dominica Rudericus.*] Fatalem Hiſpaniæ univerſæ ſtragem ſub Ruderico hiſce Æra, anno, die contigiſſe ex varijs Scriptoribus conſtat; de Æra & anno vetus Ruderici Regis Hiſtoria (cuiuſcunque illa fidei ſit) cap. 255. *El año de los Alarabes à Mahomad de ſu nacencia, a noventa i quatro, i à la Era de Ceſar ſetencientos i cincuenta i dos, i à la Encarnacion de IESV CHRISTO ſetecientos i catorce.* Roder. Tolet. cap. 20. lib. 3. *Prò dolor! hìc finitur gloria Gothicæ maieſtatis Æra 752.* Chronicon Hiſpaniæ generale 2. par. cap. 55. *En la Era de ſetecientos i cincuenta è dos, quando andaba el año de la Encarnacion en ſetecientos è catorce años.* Conſentiunt Antonius de Guevara Epiſcopus Mindonienſis, Hiſtoriographus Regius, Epiſtola ad Alphonſum de Fonſeca Epiſcopum Burgenſem, Iacobus Gordonius ad ann. 714. Moral. lib. 12. cap. 69. Mariana lib. 6. cap. 23. Garivai. Bleda, alij; in die variant; omnes Dominicam aſsignant. Hiſtoria vetus Roderici, quæ circumfer-

fertur, *Esto fue Domingo à cinco dias de Abril.* Roderic. Tol. *die Dominica 5. idus mensis Xavel, anno Arabum 93. AEra 752.* Guevara, *A cinco dias del mes de Iulio, en un dia de Domingo.* Bernard. Britto cap. 2. lib. 7. Monarch. Lusitan. mensem Octobrem signatè refert; meliùs tamen noster Luitprandus *Vndecimo Novembris*; cui consentit Chronicon Alveldense, & Ioan. Mariana cap. 23. lib. 6 de rer. Hisp.

Roder. ultimus Gothorum Rex.] Sic in inscriptione illius sepulcri, quæ apud Viseum Portugaliæ dicitur reperta,

HIC REQVIESCIT RVDERICVS
VLTIMVS REX GOTHORVM.

Cuius mentio in Sebastiano Salmanticensi, Luc. Tudensi, Roder. Tolet. & recentioribus, qui plura inconcinnè adijciunt. Sed quare singillatim

Vltimus?] Roderic. Sanctij de Arevalo Episcop. Palentin. par. 2. Hist. Hispan. cap. 37. *Appellatur (ut putamus) ultimus Rex Gothorum, non quòd Pelagius & sequẽtes Reges ex Gothorum genere non descendant, sed quia Reges omnes ab Athanarico, qui primus ex Gothis regnavit, usque ad istum Rodericum, solo regio nomine Gothorum appellati sunt; nec enim intitulati sunt Reges Hispaniæ, aut Castellæ, vel Legionis, sed Reges Gothorum simpliciter; Qui & arma atque insignia deferebant, non ex Hispaniæ quidẽ, sed gentis Gothicæ, aut originalis provinciæ Gothicæ, à qua processerunt, quæ Dacia aut Noruega putatur; in qua & Gothica est. Post Rodericum verò Pelagius, & ceteri, qui ei in Principatu Hispanico successerunt, & si ex sanguine Gothorum (ut diximus) descenderunt, tamen non Gothorum titulis, sed Hispaniæ primò, deinde Legionis & Asturiarum, rursus Castellæ regijs intitulationibus sunt appellati, quanquam substantia principatus eadem in utrisque fuerit. Ea*

igitur caussa fuit, cur Rudericus ultimus Gothorum communiter appellari solet.

Curru subvectus eburneo, trahentibus sex candidissimis equis, serico auroque venustus.] Roderic. Tolet. cap. 19. lib. 3. equos mulis permutat, *Rex autem Rodericus cum corona aurea, & vestibus deauratis à duobus mulis in lecto eburneo ferebatur, ut Gothorum Regum dignitas exigebat, &c.* Historia generalis Hisp. cap. 51. par. 2. *E el Rei Rodrigo andaba estonces con su corona de oro en la cabeça, è vestido de paños de peso, en un lecho de marfil, que llevaban dos mulos, ca assi era estonces costumbre de andar los Reies de los Godos.* Verùm equorum singillatim meminit Didac. de Valera Consiliarius & Historiographus Regum Catholicorum, in nunquam satis laudato Hispanicarum rerum Breviario cap. 37. par. 3. *El Rei don Rodrigo andaba puesto en un carro, i sobre èl un lecho de marfil, assentado en su silla real, con una corona de oro en la cabeça guarnida de piedras i perlas, i vestido de una ropa de oro de martillo, i llevaban su carro quatro mui grandes caballos à la costumbre de los Reies Godos.* Vide Vasæum ad ann. 714. & Marianam cap. 23. lib. 6.

Post octo dies.] Roder. Tolet. *per octo dies continuos à Dominica in Dominicam dimicaverunt, &c.* sic ceteri.

In Vettonia oppido Sarandulæ, &c.] Copiosiùs rē enarrat Iulianus in Adversarijs, quem emendatissimum è M. S. meo hìc dabo: *In Lusitaniæ monte non procul Sarandula* (nunc vulgò *Xarandilla*) & * *Cuacensi oppido domus sacra est Domino Salvatori ante tempora Gothorum; ibi fuit vetus oppidum, quò se receperunt primis Maurorum ingressibus Episcopi ferè totius Bæticæ, scilicet Faustinus Hispalensis à Gothicis civibus exclusus, Florus Mentesanus, Bonifacius Cauriēsis, Zachæus Cordubensis, Honorius Malacitanus, Arcadius Astigitanus, Pupulus Eleplensis,* Ha-

* Hodie *Cuacos.*

Habitus Vrcitanus, *Arcesindus Egabrensis*, *Theodisclus Beatiensis*, *Cuniculus Italicensis*, *Sisebado Tuccitanus*, *Basilius Bastitanus*, *Centurius Illiberritanus*, *timore Sarracenorum correpti*; *& bona pars horum priorum dicitur martyrium obtinuisse per manus Sarracenorum*; *nam cùm faceret quidam sacrum ceteris iuvantibus*, *interceptus est*, *& in puteum misit sacram Hostiam*, *ne veniret in manus perfidorum*; *& post mortem illorum honorificè collocata est sacra Hostia*; *locus vetus est in maximo pretio vicinis*. Habes in Luitprando *Sarandulam opp. in Vettoni*, in Iuliano *in Lusitania.* Benè, nam οὐεττονες à Ptolemæo *in Lusitania* collocantur; & quam olim *Vettonia* latè patuerit accuratè, ut solet, & erudítè amicus noster clariss. Lud. Nonius iam docuit cap. 30. Hisp.

Hoc anno Imp. Const. Anast. coactus imp. se abdicat. &c.] Factus nempè Monachus, teste Theophane de rebus in Oriente gestis anno 714. ad cuius finem hoc tradit contigisse; sed Zonaras in hunc Luitprandianum annum reiicit. AE.753. Chr.715.

Per hæc tempora S. Babylas, &c. ad Odonem oppidum in Eremitoriolo docet pueros, &c.] Duos olim fuisse Babylas multi tradiderunt, utrumque Episcopum, utrumque Martyrem, referente Suida diversas de utroque sententias; illustriss. Annalium Ecclesiasticorum Conditor Not. ad Mart. 24. Ianuarij, & ad ann. 241. Annal. unum tantùm fuisse Babylam, eundemque Antiochenum Episcopum subscribit: *Nam quis*, inquit, *sibi persuadeat*, *ut cùm penes Græcorum antiquos Historicos tam frequens de Babyla sit facta mentio*, *nullo unquam in loco*, *vel per occasionem saltem*, *de utroque Babyla æquè illustri*, *itemque cum pueris martyrio coronato sit facta mentio*? Vnde *ad malè conciliandas de eo diversas opiniones duos Babylas introductos*, in Annal. infert; non benè, cùm distinctè Menologium Græcorũ 4.
Sep-

Septembris de duobus agat Babylis, nempè de *Antiocheno Episcopo*, atque alio eius nominis *Ludimagistro*, eodemque unà cum octoginta tribus pueris obtruncato. De Antiocheno passim omnes Scriptores Græci & Latini, quos apud Baronium habes 14. Ianuarij; de nostro præter Menolog. Græc. Luitprandus hîc & Iulianus in Chronic. *S. Babylas Episcopus Pompilonensis capta Pampilone, venit in Carpetaniam & prope populum Odonem docet pueros, & cum illorum octoginta* (adde ex Menol. Græcor. *tribus*) *à Sarracenis patitur martyrium 30. Octobris*; quod etiam confirmat Hispanorum in S. Babylam cultus, quem præter Ecclesias illi sacras, manifestat Hymnus à Gothorum tempore in Ecclesia Toletana decantatus; nam tanquam illi, qui in Hispania gloriosè triumphavit, Martyri, ut solet, dedicatur. Scio ibi de tribus tantùm pueris mentionē factam, sed ipsa utriusque Babylæ nominis affinitas, ipsum cum pueris martyrium, Antiocheni cum tribus, nostratis cum octoginta tribus occasionem præbuerunt Scriptoribus (quod aliàs sæpissimè factum animadvertimus) ut alium pro alio acciperent, & utrumque tandem non observato temporum discrimine confunderent; nunc per partes,

Episcopus Vironensis.] An *Veridunensis*, sive *Verodunensis*, ex Veroduno apud Antoninum, hodie *Verdum*?

Et Pampilonensis.] Idem in Iuliano; quo augendus est Catalogus Episcoporum Pampilonensis Ecclesiæ, qui in ijs Sarracenicæ invasionis temporibus deficit apud Prudentium de Sandoval illius Antistitem fol. 8. De huius Vrbis nominibus egi copiosiùs ad Dextrum.

Animo videndi captivos, &c.] Annè de hoc Babyla illa sancti Martyris Eulogij verba lib. 1. Memorialis Sanctorum cap. 16. intelligenda, *Sic beatissimus Thyrsus, sic electus Adrianus, sic Iustus & Pastor, sic Eulalia virgo Barcinonensis, sic Babylas Pontifex, multique alij sponte se* obtu-

obtulerunt, & coronati sunt, & iccirco, ut quidam Sapientium meminit, inter primas dignitates regnorum cælestium sunt ponendi, qui ad passionem venerunt nō quæsiti; & excellentis voti est inter tormenta prosilere, ubi non est criminis latuisse.

Ad Odonem opp.] Exstat hodie in Carpetanis eodem nomine, quod ab antiquissimis temporibus conservatum sunt qui putent; nempè ex Hebreo אדם, à verbo אדם *Adam*, *rubescere*, nam glebæ huius oppidi rubræ. Vid. Covarruvias noster in Thes. L. C.

In Eremitoriolo.] Exstat etiam hodie Babylę sacrũ, vulgò *S. Babylès.*

Pueros docet primas litteras.] Vnde Græci in Menologio vocant *Ludimagistrum.*

Martyrium patiuntur.] Die 4. Septembris, ex eodẽ.

Hoc anno Iulianus, cognomento Vrbanus, cum Principe Pelagio, &c. Toleto in Asturias comportant arcam reliquiarum, &c.] Tam notum hoc in Hispanorum Historia, quàm quæ (ut dicitur) ad Sagram; nam Sampirus Asturicensis, Sebastianus Salmanticensis, Roder. Tolet. & Lucas Tudensis distinctè, utì acta res est, referunt; vid. Moral. lib. 12. cap. 71. & Mariana lib. 6. cap. 24: tantùm addam Roder. Tolet. cap. 3. lib. 4. simplici Vrbani compellationi innixum, quod alij de Iuliano hoc nostro, cognomento, ut ait Luitprandus, Vrbano dixerunt, reprobasse, cùm ait, *Quod ab aliquibus dicitur, quòd à Iuliano Pontifice Toletano, & Pelagio Principe reliquiarum arca & Sanctorum scripta ab Ecclesia Toletana in Astures sunt translata, stare non potest, cùm Iulianus Pomerius tertius fuerit ab Ildephonso, &c.* Fatetur Vrbanum arcã reliquiarum, cùm iam videret in Hispanijs destructionem Ecclesiæ & populi Christiani, ad Asturias detulisse; Iulianum, negat; certè Sampirus Asturicensis *Iulianum* vocat; qui cùm binomius esset, ab alijs *Iulianus*, ab alijs *Æ.755. Chr.717*

Vrba-

Vrbanus dictus absque dubio est. Neque Roder. Tolet. excusandus est, cùm *Iulianum Pomerium* inter Toletanos Pontifices numeret, ut pluribus egi in Apologia pro Descensu B. Virginis in templum Toletanum, & in præf. Apologiarum pro Dextro, necnon initio Notarum in Iulianum.

Corpora SS. Iuliani.] Quem Ecclesia celebrat 8. Martij.

Et Compluto Asturij, cognomento Serrani, &c.] Nam Compluti *repertis* SS. Iusti & Pastoris corporibus *Complutensi sepultis municipio, redire in sedem renuens, servitute simul, & assiduitate Sanctorum innexus, diem clausit extremum. Inde, ut antiquitas fert, in Toleto Sacerdos nonus, & in Compluto agnoscitur primus.* Vt ait Ildephonſ. cap. 2. de Viris illustribus; de utroque nos olim Nov. 17. Disquisit. aliquot monum. in Historia Hisp. illust. nunc Comment. in Dextr.

AE. 756. Chr. 718 *Eodem etiam anno, &c. quidam de genere S. Ildephonsi, &c. effodiunt corpus sanctissimi consanguinei, & ad Vrbem Zamoram efferunt, &c.*] Ægidius Zamorensis Historiographus olim Regius, & Sanctij cognomento Ferocis Magister lib. 1. de corporis B. Ildephonsi revelatione in Ecclesia Zamorensi M. S. latiùs hæc prosequitur, *Exigentibus hominum peccatis cùm Hispania fermè universa ab Arabibus subacta esset, & magna pars ferro, atque igne populata, Astures dumtaxat Pyrænei montis inaccessibilia loca incolentes, Christi nomen, atque Religionem servaverunt, ad hos ergò victi, quibus mens læva non fuit, de singulis partibus confluxere, quorum plerique reliquias, & sacratissima quæque ex proprijs Ecclesijs in ea loca deportarũt: inter quæ Christiani cum multis reliquijs, quibus Toletana civitas locupletissima erat, vestem illam sacratissimam, qua Dei Mater B. Ildephonsum decoraverat, in Vrbem Ovetum* (certè in montem Sacrum, circa quem Ovetum posteà fun-

fundatum, ubi hodie arca illa cælestibus thesauris plena custoditur) *Asturiarum caput detulerunt, ferebatur & illuc corpus B. Ildephonsi, sed fortè apud Zamoram deportatores præpediti in Ecclesia S. Petri, loco abditissimo reposuerunt; crescente verò indies clade, etiam Zamora Barbaris cessit, quocirca sublata est hominibus illis rursus resumendi copia sequestratum pignus. Transierunt autem post hæc tempora multa, & quoniam frequentari deinceps à fidelibus nō potuit, res excidit memoria, &c.* Quinam hi fuerunt, qui Ildephonsi corpus Zamoram (olim Senticam) detulerunt, docet Iulianus, cùm in Chronico, *Per quosdā Toletanos Muzarabes* deportatum ait; distinctiùs Ægidius Zamorensis Notis in Iulian. *Quidam de genere Gudielorū Ezlazarij, & Palumborum* (*Gudieles* & *Palomeques*, nobilissimæ olim gentis apud Toletanos nomina iam ferè extincta) *tulerunt corpus sancti Ildephonsi Toleto, & Zamoram deportarunt*; vide Franc. Portocarrero cap. 19. vit. S. Ildephonsi.

XXV. die mensis Maij festo S. Vrbani P. & M. feria VI. occuparunt Arabes Toleti Vrbem sub ea pactione, vt septem Ecclesiæ remanerent, &c.] Magnū inter Scriptores discrimen hac super Toletanæ Vrbis oppresione animadverto; Lucas Tudensis, Dominica palmarum Toletum fraude Iudæorum cunctis seculis Christiano nomini, & nobilibus infensissimorum fuisse Ismaëlitis sive Mauris, dum Christiani nihil minùs suspicantes extra Vrbē ad D. Leocadiæ de more vacarent audiendo Verbo divino; astipulantur Chronicon Hisp. generale, Ægidius Zamorensis, Alphonsus de Spina in Fortalitio Fidei, Vasæus ad ann. 715. alij. Rases Arabs, Delharab Marrochiorum Miramolini, ac Cordubæ Regis Historiographus M.S. nō facilè interceptum Toletū à Mauris innuit, cùm ait: *Despues desto Tarife por mui gran seso, i por buena ventura ovo de saber logar, por donde ovo de* *AE.757. Chr.719*

ganar à Toledo. Pactione tamen id effectum Roder. Tolet. prodidit, lib. 4. cap. 3. *Postquam verò Vrbs Regia fuit non irruptione sed fœdere ab Arabibus occupata, quod tamen fœdus Sarraceni posteà irruperunt; Clerus & Christiani eiecti cum alijs, qui in Hispanijs seruituti barbaricæ mancipati elegerunt degere sub tributo, permissi sunt in lege & Ecclesiasticis institutis, & habere Pontifices, & Evangelicos Sacerdotes, apud quos officium Isidori & Leandri, & viget hodie in sex paræciis*, consentiunt Morales, Garivai, Alcocer, Mariana, Pisa.

XXV. Maij.] Iulian. *25. Maij capta est civitas Regia à Sarracenis sub ea pactione, ut relinquerent Sarraceni Christianis Muzarabibus sex templa.*

Septem Ecclesiæ.] Ita fuit, sex *paræciæ*, ut est in Roderico Toletano, *Et Ecclesia S. Mariæ de Alficen*, de qua ad ann. 653. vide Alcocer cap. 43. lib. 1. Pisa cap. 36. lib. 2. Hist. Tolet. Mariana cap. 24. lib. 6.

AE. 760. Chr. 722 *Sinderedus olim Archiep. Tolet. &c. confirmavit quoddã Concil. Romanum sub Gregorio PP. II. &c.*] Quem Romam petijsse ad ann. 711. dictum est: Concilio huic subscripsisse constat ex ipsius Concilij subscriptionibus, in quibus *Sinderedus Episcopus ex Hispania* legitur; vide Baron. ad ann. 721. & Mariana cap. 22. lib. 6.

Florebat civitas Granata, quæ est Illiberris, &c.] Rases Illiberris, sive Granatæ tractum curiosè describens, *El otro es el castillo de Granada, el que llaman Villa de Iudios, è esta es la mas antigua villa, que en termino de Eliberaha, &c.* vide quę ad epistolas Chronico præfixas adnotabamus.

Et Florent. municipium.] Lapis vetus, præter alios, quos ad ann. 300. Dextri iam dedi,

. . . .

II. VI. CORN . . . .

NICIPI. FLORENTINI

ILLIBERRITANI. DEVOTVS

ORDO. NVMINI. MAIESTATI

QVE. SVMPTV. PVBLICO. POSVIT

Beda, &c. floret.] Quippè qui nonaginta quatuor annis vixit; devixit verò anno 755. teste Petro Opmeero in opere Chron. vid. Matthæum Vesmon, ad hunc annum, Matthæum Palmer ad ann. 693. Hermannum Cōtractū ad ann. 720. Lambert Schaffnaburg ad ann. 730. *AE. 762* *Chr. 724*

Ioannes Martyr Damascenus, Vir doctus & pius.] Sic in MM.SS. male; legendum *Ioannes Manzur*, siue *Mazer Damascenus*; ita ille olim appellatus est, *Mansuris*, siue *Manzuris* filius testibus Zonara & Cedreno ann. tom. 3. Suida & Græcorum alijs; inter eos distinctiùs Theophanes, Auctor Historię Miscellę, quę falsò Paullo Diacono attribuitur, *Hunc* (Petrum Metropolitam Damasci) *declamationibus sermonum honoravit S. P. N. Ioannes, qui cognominatus est Chrysoroas propter auream & fulgidam S.S. gratiam, quæ in ipso tam verbo, quàm in vitæ actu effloruit. Quem videlicet Constantinus* (Copronymus) *impius Imp annue, propter eminentem orthodoxiā eius, anathemati submittebat, & pro* Mansur (*quod eius avitum nomen est*) *idque, redemptus, interpretatur, sensu Iudaico* Manseron, *novum Ecclesiæ magistrum, mutato nomine vocitabat*; Μαζζὴρ *filius Scorti* est, sic Hieronym. in Deuter. 23. 2. *Non ingredietur Manzer* (*hoc est, de Scorto natus*) *in Ecclesiā Domini usque ad decimam generationem*, unde sacrorum Canonum Scriptoribus,

Gloss. lib. 1. Decret. c. *nisi cùm pridem*, & 9. *de renūciat.* ibi Panorm. & Hostiens. vid. Savrus lib. 16. Thesca-pit & n. 10. ill Rod. de Acunha in 1 par. Dec. dist. 60. & læi. Bisio la tom. 2. Hor. Subs. lib. 3. c. 9.

Manzeribus scortum, sed mœcha nothis dedit ortū, &c. Damasceno verò gentilitium cognomen fuit, de quo plura eruditiss. Iac. Billius in Apparat. Operum Damasceni abs se editorum, Baron. tom. 9. & Not. ad Martyr. 6. Maij, & Ger. Ioan. Vossius cap. 24. lib. 2. de Histor. Græcis.

AE. 763 Chr. 725 *Synodus Orient. contrahitur in Tyro, &c. Ioan. Damasc. opera.*] Certè his temporibus præclara incensi animi contentione pro imaginum sacrarū cultu Ioā. Damascenus depugnavit, ut ex Ioā. Ierosolymitano, qui res ab eo gestas luculenter est prosequutus, constat; ita ut in Oriente illius operâ cultus imaginū efflorecens defenderetur adversus Leonem Isaurum illarum osorem, ad quem exstant epistolæ S. Gregorij PP. περὶ ὦ ἁγίων εἰκόνων, satis accuratæ, quas beneficio eruditissimi Frontoni Ducæi S. I. Theologi, è Græco in Latinum datas, & Illustriss. Baronij, qui eas ad ann. 726. publicavit, nunc habemus. de reliquis nihil certò affirmem.

AE. 764 Chr. 726 *Hoc anno hab. est S. œcum. Synod. Rom. contra Hær. Iconomachos.*] Cuius Synodi fragmentum, quod exstat unicum, habes in epistolâ Adriani PP. ad Carolū Magnum; vide Baron. & Gordon. ad ann. 726.

AE. 765. Chr. 727 *Flavius Eutychius, &c. succedit in officio Paullo Exarcho Ravenn. &c.*] De utroque Anastasius Bibliothecarius in Greg. II. & Sigonius latè.

Memoria SS. Iusti & Abundij sub Numer. passor.] Martyr. Rom. 14. Dec. *Eodem die passio SS. Iusti & Abundij, qui sub Numeriano Imp. & Olybrio Præside in ignem iniecti, cùm evasissent illæsi, gladio percussi sunt.* Quomodo sub Numeriano, qui brevis ævi, docet Baron. ad ann. 284.

In Bætica.] Iulian. distinctiùs (si sic ex ineptissima Editoris manu illum vindices) ad ann. 283. *Decimoquarto Decemb. occisi sunt in persecutione Numeriani Imp. in Vrbe Biatia Consulari Olybrio Bæticæ provinciæ Præside*

Iu-

Iustus & Abundius. Hodie *Baeza*, Ptolemæo Βιατια, *Beatia* Gothorum tempore, sic Recesuindus Rex epistola *sanctiss. ac beatiss. Agapio, Cecilio, &c. Episcopis, &c. vel Iudicibus in territorio, Varuij, Aurgi, Sturgi, Iliturgi, Beatia, &c. cõsistentibus*, scripta ann. 651. inter leges Vvisigothorum, sive *Fori Iudicum*, & *Beatiensis Episcopus*, non semel in Concilijs Toletanis 11. 13. 14. 15. vide Gundis. Argote de Molina L. 1. Nobil. Bætic. cap. 18.

A tempore S. Isidori, qui illos eleganti hymno celebravit.] Iulian. ibid. *Isidorus Pontifex Hispalensis sanctiss. & doctiss. in horum laudem eleganter hymnum edidit:* illum ego è Toletano venerandæ Antiquitatis promptuario hîc dabo. Eccillum.

VOX ecce vatum vivida personat
Venire Christum, nascique nunciat;
Nunc festa cuius plebs pia celebrat;
Quæ ferens undam lucidam promicat.
Quem Gabrielis vox clara nunciat;
Quæ Virgo pavit, quæ sola rutilat,
Fœtosa Virgoque lactitat,
Nutrixque Virgo se cui dedicat.
Cuius dicata passio provocat,
Vt quis Fidelis sanguine rubeat:
Et passionis munere polleat,
Vtroque sese perimi gaudeat.
IVSTI & ABVNDI *quem sequi cursitat*
Sacra voluntas; quem quoque nunciat
Sequi debere; qui in Fide latitat
Se fore fortem voceque iubilat.
Hos hunc sequentes perimi iudicat
*Numerianus, qui * Olibio hoc imperat;*
Vt Christianos ensi subijciat,
Christique servos publitùs opprimat.

* Sic in Breviar. Mistarab.

Iu-

IVSTVM en *Olybius ut audijt*
Furore raptus, nec nevè quæritat,
Si Christianus ipse sit explorat:
Sed Christi servus illicò clamitat,
Se esse Fidelem: nec mori dubitat.
Præses in ira conterritus provocat
Membra fidelis nec nevè clamitat,
Vt hunc rotarum ars sæva proterat,
Sed mens ditata minimè trepidat;
Voceque clara cantica iubilat:
Quem sibi Christus ita mirificat;
Vt vota vincens iam liber offerat.
Ferox Tyrannus vocibus intonat;
Fornax vt atrox ignibus ardeat,
Testis & almi membra suscipiat;
Offerre thura martyr ut ambulet,
Aut igni ira concita pereat:
Seque severæ morti subijciat
Flammæque rogis citus inhæreat:
Ne contraire Præsidi valeat.
Sed quem ditata mens benè sublevat;
Et meritorum gratia dedicat,
Nec flamma vincit, nec pœna superat:
Sed igne trusus illæsus ambulat.
Adhuc ABVNDVS *dum piè spectitat,*
Sese citatim Martyri sociat;
Mentemque Christo subitò dedicat:
Ipsique Olybio vocibus inrogat.
Cuius cùm fama Præsidi personat:
Fremit ira, terrere inchoat:
Sanctus ABVNDVS *ut idòlis cedat.*
Illisque cedens thus libens offerat.
Sed quia Sanctus vinci nequiverat:
IVSTVM *hunc sodalem facibus imperat*

Ha-

Haberi, cuius ut vita pereat,
Iamque cito discrimini cedat.
Mare sudis qui pedibus ambulat,
Potensque clausos corpore transvolat;
Ignis pœnas hos fugere provocat
Itemque tutos sistere factitat;
Hos ipse sanctis æthere sociat,
Et ignis ille flammeus evolat,
Et quos urendo in flamma susceperat
Extrita rore frigida consecrat.
Vt nec capillus capitis ardeat;
Nec ipsa vestis ignibus hæreat;
Sed rore tincta tutavè maneat:
Hæc cuncta regens Spiritus actitat.
Exemplo quorum nunc pius audeat
Quisque Fidelis, munus & inferat
Sui precatus menteque serviat,
Qui misertus omnia iudicat.
Ipse precantum vota suscipiat;
Et Paradisi ianuam aperiat,
Qui in æthere tonans nos pius adiuvat:
Cunctaque solus dimicare vult.
Sit honor illi qui solus intonat
De sede poli, cunctaque iudicat:
Eique sese lingua subyciat;
Per omne sæculum carmina concinat. Amen.

Synodus Constant. contra Imagin.] Idem ne voluit Anastasius in Gregorio cùm de Leonis Isaurici in Imagines sacras impietate Constantinopoli grassante ageret: *Post hæc claruit Imperatoris malitia, pro qua prosequebatur Pontificem, ita ut compelleret omnes Constantinopoli habitantes, tam virtute, quàm blandimentis, ut deponerent ubicunque habebant imagines tam Salvatoris, quàm* AE. 767. Chr. 729.

eius

eius sanctæ Genitricis, vel omnium Sanctorum, easque in medio civitatis (quod dicere crudele est) igne cremarent, & omnes dealbarent depictas Ecclesias, &c. etiam Germanum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antistitem, eo, quòd ei consensum præbere noluisset, Pontificatu privavit, sibique complicem Anastasium Presbyterũ in eius loco constituit; qui missa Synodica ad Gregorium scilicet Romanum Pontificem; dum tali errori eum consentientem reperiret Vir sanctus, non censuit ut fratrem & consacerdotem solito, sed rescriptis commonitorijs, nisi ad Catholicam se converteret Fidem, etiam extorrem à sacerdotali officio esse mandavit &c.

ÆE.768 Chr.730. *Gregorius II. obijt Romæ III. Id. Feb.*] Sic Anastasius, *Sepultus est ad B. Petrum Apostolum 3. idus Februarij, indictione 14.* sed subsequentis anni 731. initium eius obitum constituunt Baron. & Gordon. Sigebertus cũ Luitprando consentit.

ÆE.769 Chr.731 *Gregorius III. succedit.*] Eodem anno Anastasius, Baronius, Gordonius, alij.

ÆE.770. Chr.732 *Synodus collecta Augustæ in Germania à S. Bonifacio.*] Gregorij nempè 3. P. M. iussu; ipse Gregorius in epistola, *Episcopis in Provincia Boioariæ & Alemanniæ constitutis, &c. Catholica SS. PP. auctoritas iubet, ut bis in anno pro salute populi Christiani, &c. Synodalia debeant celebrari, &c. Opportunum namque est vos nosse fratrem & Coepiscopum nostrum præsentem Bonifacium, nostram agentem vicem, cum digno & debito honore pro Christi nomine suscipere*, & post pauca, *Quo vobis loco ad celebranda concilia cõvenire mandaverit, sive iuxta Danubium, sive in civitate Augusta, vel ubicumque iudicaverit, pro nomine Christi parati esse inveniamini.*

ÆE.772. Chr.734. *Theod. Episc. Mediol.*] De quo Tabulæ Eccles. Mediol.

Et S. Bonif. Archiep. Moguntinus, &c.] Germanorum Apostolus & Martyr; de quo Beda, Vsuardus, Ado, Mar-

Martyrol. Rom. 5. Iunij, Vvilibaldus illius discipulus, qui eius vitam scripsit, apud Vicellium in Hagiolog. vide Surium tom. 3. & Baron. tom. 9.

Vvilicarius primus Archiepisc. Viennēs. &c.] Ado eiusdem Ecclesiæ Antistes in Chron. *Vvilicarius Acyneberto venerabili Episcopo Viennæ succedit*; quod verū est; etsi Anastasius Bibliothecarius tradat Gregorium III. R. P. ad illum misisse pallium, ex quo putavit, tunc in Archiepiscopatum Viennensem Ecclesiam erectā primùm fuisse; sic etiam noster Luitprandus; sed longè aliter accidisse verum est, & Baronius probat tom. 1. & 9.

Gregorius III. obijt IV. Kal. *Dec.*] Eodem anno & die Anastasius Biblioth. vide Baron. & Gordon. *AE. 778. Chr. 742*

Leo Imperator obijt Constant. XIV. Kal. *Iulij.*] Theophanes verissimus Scriptor, *Regnavit Leo ab 8.* Kal. *April. quintædecimæ Indictionis usque ad 14.* Kal. *Iulij nonæ Indictionis, cùm regnasset annis viginti quatuor, mensibus duobus, diebus viginti, &c.* eodem anno Baron. & Gordonius.

Zacharias Monach. ex presb. Card. creatur PP. Kal. *Decemb. Consec. III. Non. Decemb.*] Onufrius Panvin. in Chron. Pontif. Rom. *Zacharias Polycronij F. Græcus Monachus S. R. E. Presbyter Cardinalis, à Gregorio tertio creatus, &c.* Kal. *Decembris, consecratus 3. Non. Decēbris, &c.* *AE. 779 Chr. 742*

Moritur Vrbanus, &c. nec multò pòst S. Evantius, &c.] Isidorus Pacensis in Chron. *Per idem tempus viri Doctores, & sanctimoniæ studio satis pollentes Vrbanus & Evantius læti ad Dominum pergentes, quiescunt in pace.*

In Carpetaniæ finibus multæ Virgines, &c. ne violarentur à Mauris à Deo consequutæ sunt, ut à terra absorberētur, quædamque cāpanulla statutis diei horis, &c. auditur.] Distinctiùs Iulianus in Adversarijs, *Frequentes in quibus-* *AE. 782 Chr. 744*

dam Hispaniæ locis audiuntur subtus terram sonitus campanarum, ubi creduntur fuisse monasteria sacrarum Virginum, quæ ne venirent in falacium Maurorum manus, petierunt à terra sorberi, at in iugis Carpetanis prope Margelizam in Carpetania, in templo S. Quiteriæ, & etiam alibi. Exstat hodie Sacellum in hoc oppido Toleto proximo Quiteriæ dicatum, & non exigua antiquorum ruderum vestigia ibîdem visuntur.

Hoc loco nonnulli ponunt Sunieredum, &c.] Ex aliorum opinione hæc refert Luitprandus, non immemor eorum, quæ ad ann. Christi 711. de Suineredo dixerat. Certè in perturbatissima rerum facie vix olim certæ veritatis imagines apparebant; quod sæpius accidisse in toties interrupta Præsulum Toletanorum serie, nõ est quod moneamus.

In Carpetania, tractuque Aurelianensi S. Veranius exsulat. Episc. Tarrac. colitur XIX. Octob.] Martyrol. Roman. eodem die, *In territorio Aurelianensi depositio S. Verani Episcopi*; ubi de hoc, alijsque eiusdẽ nominis Episcop. late Baron. Novũ tamen quod de *Carpetania & Tarraconensi Episcopatu*, subdit noster Scriptor, cui cõsentit Iulianus in Chron ad ann. 743. cùm de Concordio Toletano ageret, *Hic excepit tectis domoque S. Veranum Episcopum Tarraconensem exsulem, & virum mirificum, qui non multò pòst in Carpetania tractuque Aurelianensi sanctè moritur, die 19. Octob.* &c.

Pelagio divinitùs in spelunca liberato succedit filius Fafila, Fafilæ verò Alph. Cathol. gener.] Sebastian. Salmãticẽs. Episcop. in Historia ex Codice Ovetẽsis Ecclesiæ exscerpta: *Pelagius Rex post nonumdecimum Regni sui annum completum, propria morte decessit, & c. filius eius Fafila in Regno succedit, &c. post Fafilani interitum, qui dicitur Catholicus, successit in Regno.*

Catholicus.] Quo ab antiquissimis temporibus, Hispa-

ſpaniæ Reges titulo gaudent meritiſsimò, ut probant Didacus Valdès cap. 3. de dignitate Regum, regnorũque Hiſp. & Greg. Lopez Madera VV. clariſs. cap. 12. Monarch. Hiſp.

Gener.] Roder. Tolet. cap. 4. lib. 5. copioſiùs, *Mortuo Pelagio cœpit regnare Faſila filius eius, &c. poſt hunc cœpit regnare gener Pelagij Aldephonſus, &c. Hic cognominatus fuit Catholicus, quia documenta Fidei in ſe legaliter obſervavit, & ad id alios ut zelator Fidei provocavit, &c.* & cap. 4. de eodem, *Cui Princeps Pelagius in uxorem dedit ſuam liam Ormiſindã*; Huic ceteri rerum Hiſpanicarũ Scriptores conſentiunt.

Petrus Cognomento Pulcher regit Eccleſiam Tol. &c.] Sic volunt Vaſæus ad ann. 747. Loaiſa not. ad decret. Gundem. Piſa lib. 3. cap. 5. Mariana lib. 7. cap. 6. etſi hoc ſuo more in difficilioribus veteri iudiciorum inſtituto. N. L. pronunciet; nam *veteres Schedæ, in quibus Toletanorum Pontificum nomina ſunt, non tantùm Vrbanum, ſed & Petrum eo numero eximunt; ſubſtituunt alios Sunieredum, atque Concordium Cixila priores: nobis in tantis tenebris hærere neceſſe eſt aliquando, non ſecus, atque ignorata via, ubi in plures una diffinditur, cùm nulla repudietur, nulla placet*: pro Petro ſtant tamen inter antiquos Luitprãdus noſter, & Iulianus in Chron. ad ann. 743. *AE. 784* *Chr. 746*

Poſt Concordium.] Iulianus ad ann. 743. inter Toletanos Præſules Concordium etiam, ut ſucceſſorẽ Sinderedi numerat; *Succeſſit Sinderedo B. Pont. Concordius, Archidiaconus Vrbani, vir egregiè doctus, pauperum compatiens, & in ſubeundis pro grege ſuo periculis alacer & promptus,* &c. *S. Epiſc. Concordius ærumnis, & Muzarabũ captivorum miſeratione confectus moritur Toleti 1. die Iunij, ſepelitur cum multis lacrymis in Æde S. Iuſtæ,* &c. *Petrus cognomento Pulcer, &c. ſucceſſit in ſede Toletana S. Concordio, &c.*

Fuit hic Scriptor nobilis.] Iulianus ad ann. 743. *Petrus cognomento Pulcher discipulus S. Iuliani doctrina fideque præclarus, scriptor nobilis.* Illustrif. Garsias Loaisa Not. ad decret. Gundem. fol. 280. de Petro, qui propter elegantem corporis formam pulcher cognominatur; *Fuit hic*, inquit, *Vir litteris apprimè eruditus, & in religionis observantiam, & pietatem ita accensus, ut nonmodò in Vrbis suæ curam solicitè incumberet, omnibusque periculis diligenter provideret, verùm & aliorum Hispaniæ Præsulum necessitatibus consulendum esse arbitraretur; nam cùm ad eum pervenisset Paschatis Computum ritè & canonicè Hispali non observari, ad Episcopum & Hispalensem Clerum, super ea re scripsit quid tenendum esset.* Vasæus ad ann. 747. *ad Christianos Hispali habitantes de Pascha erranter celebrato libellum elegantem conscripsit.* Mariana lib. 7. cap. 6. de eodem, *Cuius libellus de ratione Paschatis celebrandi ad Hispalenses cives, quoniam in ea re hallucinabatur, magno ingenio conscriptus exstabat.* Vide quæ fol. 126. Apologia secunda pro Dextri veritate olim de illo scripsimus.

AE.786 Chr.748 *Hoc tempore scribit etiam Toleti, &c. Iulianus Lucas, qui de rebus Hispaniæ libros edidit.*] Iulianus ad ann. 743. *Iulianus Lucas Thessalonicensis, Græcus natione, Diaconus Toleti in pretio habetur, nobilis Scriptor; nam scripsit Historiam Gothorum, & præcipuè Regis Pelagij*; Vasæus cap. 4. Chron. *Iulianus Lucas, natione Græcus, Diaconus Tolet. scripsit Historiam Hispanam tempore Pelagij Regis*; Mariana lib. 7. cap. 3. *Iulianus Diaconus, natione Græcus, in utriusque linguæ cognitione non impar, antiquitates Hispaniæ, atque Pelagij res gestas litteris illustrabat*: non absimiliter Florianus Ocampius initio Chronici, & Garivai. 9. cap. 3. Nos pluribus præfatione Apologiarum pro Dextro; in Elogijs Scri-

Scriptorum illustrium Carpetanorum; & Prolegomen. in Iulianum.

Frodoarius Episcopus Accitanus, & Ioan. Episcop. Hispal. qui sacras Scripturas de Latino transtulit in Arabic. &c.] Rodericus Toletanus cap. 3. lib. 4. *Tempore quo Vrbanus in Vrbe Regia præsidebat, Evantius Archiepisc. Tolet. doctrina, sapientia, & sanctitate, secundùm Scripturas spe, fide, charitate præcipuus habetur, & Frodoarius Accitanæ Vrbis Episcopus religione & sapientia prædicabatur insignis, &c. & in isto medio fuit apud Hispalim gloriosus & sacratissimus Ioannes Episcopus, qui ab Arabibus* Cacit Almatran *vocabatur, & magna scientia in lingua Arabica claruit, multis miraculorum operationibus gloriosus effulsit; qui etiam sacras Scripturas catholicis expositionibus declaravit, quas ad informationem posterorum Arabicè scriptas reliquit.* Iijsdem ferè verbis Chronicon Alphonsi cognomento Sapientis par. 3. capit. 2. Vasęus ann. 117. Marian. lib. 7. cap. 3. Morgadus lib. 1. cap. 12. Hist. Hispali. Eius interpretationis exempla ad nostram ætatem conservata sunt; exstantque non uno loco in Hispania, ut ait Mariana, præsertim Hispali, in cuius Ecclesiæ armarijs hodie visuntur, teste Paullo de Espinosa cap. 3. lib. 3. Histor. Hisp.

In exiguo fuit usu lingua Latina.] Quoniam *Arabicæ linguæ multus erat usus Christianis æquè, atque Mauris; Latina passim ignorabatur*; teste Hispaniæ Livio I. Marian. lib. 7. cap. 3. vid. quę ad ann. 690.

S. Papa Hadrianus scribit ad Egilanem Episcopum Illiberritanum, &c.] Pleniùs Iulianus ad ann. 770. *S. Pontifex Hadrianus scripsit epistolam ad Egilanem Episcopum Illiberritanum circa custodiam Sabbati, & circa eandem rem scripsit ad Episcopos Toletanos.* omnia vera. Quadraginta quatuor Hadriani huius epistolæ olim in

Bi-

Bibliotheca Vaticana ſervabantur, quæ iniuriâ temporis deperditæ magnum ſui deſiderium reliquerunt, præſertim cùm in vetuſto codice illarum tantummodo argumenta relicta ſint; in illius calce hæc ſubijciuntur, *Scripſit etiam ad alios, & ad Egilam in Hiſpania Epiſcopum, ipſumq; hortatur de Fide orthodoxa tuenda. Pro ieiunio ſexta feria ac Sabbato celebrando. Idem ad Egilam Epiſcopum, ſeu Ioannem presbyterum de conſervatione continentiæ in Hiſpaniæ partibus prædicanda epiſtolam ſcripſit, &c. Idem Hadrianus ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos ſcripſit, maximè ad Elipandum & Aſcarium*, &c. apud Baron. ad ann. 795.

Epiſcopus Illiberritanus] Inter Illiberritanos Præſules Sarracenicæ perfidiæ tēpore numeratur quadrageſimus quartus *Exigilanus*, ſive *Egilanus*, in Catalogis Epiſcoporum illius ſedis apud Illuſt. D. Petrũ Gonçalez de Mendoça Archiepiſcopum Granatenſem in Hiſtor. Virginis Salcedanæ, & Franciſcum Bermudez lib. 3. cap. 9. Antiquit. Granat.

Ex Abbate Monaſt. Agalienſ.] Eodem modo Iulianus ad ann. 776. & Luitprand. paullò inferiùs.

S. Vrbicius apportat corpora ſanctorum MM. Iuſti & Paſtoris, &c.] Breviaria antiquiſsima Eccleſiæ Oſcenſis, & Iulian. in Chron. ad ann. 676. rem locupletiſsimè enarrant; vid. Amb. Morales libello de Trãslatione SS. Iuſti & Paſtoris Complut. Didac. de Ainſa cap. 25. & 33. lib. 2. Hiſtor. Oſcenſ. Vincentius Blaſcus cap. 37. lib. 1. Hiſtor. Aragon. Villegas in Flor. SS. Carrillus in Catalog. Epiſc. Oſcenſ. Hodie in valle Nociti S. Viri Vrbicij corpus magna populorum frequentia in honore habetur, & 15. Decẽbris anniverſarius dies celebratur in Eccleſia Oſcenſi, ut olim in Iaccẽſi & Barbaſtrẽſi, antequàm diœceſum facta fuiſſet diviſio. Vulgò *S. Vrbez* vocatur.

In-

Intra Vrb. Complutum.] Ptolemæo Κόμπλουτον. Nostris hominibus à Maurorum tempore *Alcalà*; quod arcem significat à radice Hebrea כלא *Cala prohibere*, adiecto Arabum articulo *al*: nam ab ijsdem loco mõtoso, & impugnationibus impervio extructa arx quędam est, quam unà cum oppido eo tempore ultra Fœnarium amnem in colle pręrupto posito imminentique ripæ, Bernardus Toletanus Antistes præsidio Alphonsi Regis cœpit, ex quo in Præsulum Toletanorum iure* fuit. *Complutenses* (malè *Complutens* in editione Lugdun. Dalecampij fol. 44.) Plinio lib. & cap. 3. noti; & *Complutum* Antonino Aug. cùm ab Emerita Itinerarij usum commonstrat * A. Moral. *Complutum*, ut implurium sive complurium, quia huc undique omnes imbres compluũt, dictum putat; St.* Gariv. illi assentitur; ab aquis nimirùm Fœnarij fluvij illi alluentibus, qui fl. à fœni copia, Hispanis *Heno*, *Henares* dictus est, eodem * teste, unde hodie *Alcalà de Henares*.* Sunt qui *Complutum*, quasi κωμπλουτουσα, *Castellum dives* velint. Verùm *Alcalà de Henares* meritò dicta, ut ab alijs facilè oppidis discernatur, quibus eadem à Mauris compellatio obtigit in * Hispania. Quæ etiam *Alcalà de S. Iusto* à priscis temporibus appellata, ut est in Historia Arabum Roderici Toletani, & Hispan. Alphonsi Decimi non semel, & omnia ferè antiquorum monimenta confirmant. Et meritò, nam, ut Misti-Arabicus * Hymnus testatur, in SS. Fratrum Iusti & Pastoris,

> —— *Passione*
> *Freta gaudet civitas*
> *Iure* COMPLVTENSIS.

Accinente Callagurritano, & Cæsar-Augustano * Vate

> *Sanguinem Iusti, cui Pastor hæret;*
> *Ferculum duplex, geminumque donum*

*Rod. Tol. 4. cap. 9. Chron. Gen. 3. cap. ult. Marian. 10. cap. 14.

* L. de SS. MM. Iusto & Past. fol. 54.

* L. 6. c. 10

* L. 4. c. 8.

* Vid. Covar. Thes. l. c. Poz. in ant. Hisp. pop.

* *Alcalà del rio, la Real*, sive *de Benzaide; de los Gazules; de Guadaira*, &c.

* Ad Vesper.

Prudent. Hym. 7. περὶ στ.

Ferre

Ferre COMPLVTVM *gremio iuvabit*
Membra duorum.

Sunt qui *Complutum* loco moveant, & Caraccæ componant; immeritò, cùm nulla apud antiquos mentio rerum earum, quæ ad Complutenses spectare scimus, apud Caraccenses reperiãtur. * S. Ildephonsus à Toleto *Sexagesimo milliari*, sitam Complutum protulit; verè, & ex vera leucarum quindecim, hodiernaque dimensione. Caraccæ deinde nomen ijsdem temporibus diversum à Compluto palàm est. Situs tamen diuersitatem nullus dubito; quod accidisse sæpius observo. Exẽplo Madridium, sive Mantua Carpetanorum erit, quæ si Montano, Ortelio, Merulæ, Varrerio, alijs fides danda est, *Villamanta* fuit; nec aliter Bilbili, quæ nunc *Calataiud*, & *Mentesæ*, quæ nunc *Iaen*, accidisse notissimũ est; ideò non sine caussa in Luitprando uncis signatè inclusi τὸ

* Cap. 2. de Vir. illust.

[*Id est, Guadalfajara.*] Nam recentioris manus commentum semper sum suspicatus. Quod, quia in controversiam contentioso partium studio vocari ijs diebus video, aliquod operæpretium duxi me facturum, si quæ hac super re edissertari possunt, in medium proferam, sine ira tamen & studio, quorum caussas procùl semper habui. Primùm de *Caracca*, quæ *Guadalfajara*; alterum Græcis Latinisque litteris, alterum Arabicis notum nomen; Ptolemæo in Carpetanorum Tab. καρακκα est; Antonino inter Complutum & Cessatam * *Arriaca* M. P. XXII. Quæ fortasseàn ex *Caracca* emendanda, cùm tam facilè similitudine vocũ adducti antiquiores peccent. Aliter tamen nomen illud, quodquod sit, scriptum reperio apud Plutarchum in Sertorio, nam χαρακιτανοι *Characitani* illi sunt. Res digna lectu & Sertoriano iudicio non absimilis. Ex ea tantùm quæ in rem. *Non parvæ admirationis inter cetera eius egregia rei militaris opera* *illud*

* *Atriaca* male Ios. Smileto.

illud habitum est, quod in Characitanos, ut vocant, edidit. Ea est gens supra Tagonium amnem non oppida, non vicos habens, sed montem iustæ magnitudinis, antraque & concavitates ad Boream versis. Ceterùm omne circa solum argillam continet, & terram facilè ab æstu putrescentem, pulverulentamque, neque supergredientes sustinere idoneã, & medicè contacta velut cinis diffunditur, &c. En montem non exiguum, fluvium alluentem, pulvereum & argillaceũ solum, ipsissima Caraccensis tractus urbisque vestigia. Itaque *Caracca* sive *Characa*, aut *Arriaca* nostra *Guadalfajara*, aut *Guadalajara* est, cui ab amne nomen inditum, *Guada* Arabibus aqua, seu fluvius est; unde *Guadalaiara* quasi *Guadarriaca* 1 Gasp. Varrerio, ut Guadiana. Did. 2 de Vrrea corruptum à *Vadelatifara*, à *Vad* fluvio, & *hagera* lapide, sive 3 *Guidalbicara*, quod eodem recidit: cui nomini assentitur Rod. Tolet. 6. cap. 13. cùm inter cetera oppida ab Alphonso Toletanæ ditionis restauratore de Maurorum oppressione capta *Caraccam* eodem celebret,

Oxsoma, cum Fluvio lapidum. ——

Nec est cur tãtopere reclamet Varrerius adversus Cl. Marium Aretium, & L. Marin. Siculum, cùm tot ex eâdem occasione nomina à Mauris imposita nostris urbibus passim appareant. Vid. Did. Perez de Mesa cap. 121. lib. 2. rer. in Hisp. memor. apud quem *Turiam* etiã à priscis temporibus Caraccam sive Guadalfajaram dictam habes, & à Phœnicibus structam, inanibus tamẽ cõiecturis; inanioribus, ut solet, ab Antonino Bassiano Caracalla credidit Franc. Tarapha ad ann. Christi 214. *Caraccam Hispaniæ civitatem, quæ nunc Guadalfajara dicitur, nomen sumpsisse.*

Habes hìc Romanorum *Complutum* & *Caraccam* esse, Arabum *Alcalam* & *Guadalajaram*; & meritò, cùm huic opinationi constans Scriptorum omnium consen-

1 In Chorog.
2 Apud Covar. Thes. hac voce.
3 Salaç. de Mend. 1. Chron. Card. Mendoz. 15.

ſus ſemper fuerit ſuffragatus; quos quidem hîc ſingillatim recenſere, non ſolùm erit lectorum patientiâ abuti, ſed ſolem lucere, aquam fluere, & id genus notiſsima velle comprobare, hoc eſt, quod aiunt, *cum ratione inſanire*. Verùm in tanta Scriptorum & rationum luce nubeculæ aliquot, etſi non ſpiſſæ admodùm, apparent: Nam ſunt qui *Complutum* antiquorum opinentur eam eſſe urbem, quæ nunc *Guadalajara*, non *Alcalà*, vocatur: *Caraccamque* nec hanc aut illam, ſed aliam: idque auctoritate & ratione nituntur comprobare. Auctoritatem fulciunt Scriptores antiqui, Luitprãdus noſter hîc & ad ann. 781. Iulianus paſsim; Raſis in Deſcriptione Hiſpan. Alphonſus cognomento Sapiens cap. 51. par. 2. Chron. gener. Hiſpaniæ; Schedæ neſcio quæ repertæ ab Illuſtriſs. G. de Loaiſa in Monaſterio Hieronymiano de Parrazes; accedunt etiam recentiores, Alvarus Gomez de Cidareal Epiſtola ad Clement. VII. P. M. Muſæ Paullinæ præfixa; Io. Paez de Caſtro Hiſtoriographus Regius, & Franciſc. Medina de Mendoza in Annalib. Guadalfajaræ M. S. Rationem etiam communiunt, qui huic opinioni favent, primùm, ex Ptolemæo, qui eodem Complutum parallelo, quo ſita hodie Guadalajara eſt, 10. nempè gradibus, & 20. minutis (ut vocant) longitudinis; 40. etiam grad. & 40. minut. latitudinis conſtituit. Deinde ex inſcriptione hac, quæ inter Guadalfajaram & Alcalam legitur ad ripam fluminis in lapide, ad quem SS. cymba alligatur,

IMP. NERVA. CAE-
SAR. . . . AV. TRA-
IANVS. GER. PONT
MAX. TRIB. POT
. . . II. P. P. COS. I. . . RES
TITVIT. A
COMPL

Nam

Nam cùm Trajanus ex Italia in Hiſpaniam veniens Tarracone primùm pedem fixiſſet, & ad illam urbem, quę tunc Complutum dicebatur, perveniſſet, hanc inſcriptionem inſculpi in loco, in quo hodie legitur, juſſit. Vnde Strabo lib. 3. à Tarracone vias inſtaurari tradidit. Poſtremò ex Antonini Itinerario, ubi conſtituũtur à *Guadalfajara Complutenſi* (ut vocant) ad *Meacum*, hodie *Meco* tres leucæ, cùm tantùm una ab *Alcalà* diſtet: necnon à *Compluto* ad Segoviam viginti, quæ hodie inter Guadalajaram & Segoviam numerantur, cùm inter Alcalam & Segoviam tantùm ſedecim ſint. Cõplutum itaque Romanorum, non Alcalà, ſed Guadalajara Arabum. His catapultis antiquam Complutum novi Guadalfajarienſes ſuam propugnant.

Complutenſibus, quibus Alcalà obtigit, Auctoritas etiam & Ratio tam largiter favent, ut pro illa exterorum omnium, & noſtrorum Scriptorum conſenſus ſtet; pro hac ipſa Geographia, cuius in ijs rebus habenda potiſsimùm cura eſt, inconcuſsè depugnet. Sed antequàm noſtri, *quid valeant humeri*, demonſtremus, aliorum tela, agedùm, non propulſemus ſolùm, ſed prorſus retundamus. Luitprandum novitiæ opinationis aſſertorem proponunt. Immeritò, cùm noſtro Scriptori adiectum id manu ſit illius, qui primus iſtius commenti, & aliorum huic haud abſimilium cognoſcitur architectus; qui quidem cùm in Luitprandi & Iuliani codices primùm incidiſſet, belliſsimam ſibi nactus occaſionem eſt nonnulla, quæ adinvenerat, illis infarciendi; quæ cordatus Lector, præſertim ſi hominis ingenium propiùs noverit, facilè cognoſcet. Quod ſemel ſeriò monere magnum erit operæpretium: nec meliora huiuſce rei argumenta alius ſuppeditabit, quàm ipſe Iulianus, qui comes additus eſt in hac opinatione noſtro Luitprãdo; in eo enim tam parum ſobriè iſtius adinventionis ſe-

mina, quisquis ille fuerit, iecit, ut tertio quoque verbo actum egerit; hinc naribus, etiam non planè sagacibus, suspicionis odor innotescat necesse est. Sed hæc distinctiùs in nostris ad Iulianum Notis. Succedit ijs tertius Scriptor, Rasis Arabs, qui ante ducentos & quinquaginta annos in linguam nostram translatus est, nunquam tamen in lucem emissus; quem etiam aiunt asseruisse Complutum esse Guadalfajaram. Duo illius exẽplaria sedulò legi, sed nullam in illis Compluti mẽtionem factam uspiam inveni. Vnde adducor ut credam adiectam illam vocem Arabi Scriptori fuisse, præsertim cùm Romanorum nomina semper Arabes parum curarint. Rasis nullum exstare adhuc Arabicum exemplar apud viros doctos in comperto est. Versiones adeò variæ sunt, ut alteram Lusitanica penè lingua legerim, alteram Castellana: in utraque non vocum solùm, sed & rerum discrimina inveniũtur. Vnde huic accessioni locum datum esse non obscurè crediderim. Adsit quartus, dignitate & potentia magnus, sapientia maximus, Alphonsus Decimus Hispanorum Rex, Roman. Imperator, cuius auspicijs Viri docti ex Scriptoribus varijs *Chronicon Hispaniæ generale* (ut vocant) collegerunt. Magnum opus, & cui maiorem attribui auctoritatem semper vellem. In illius cap. 51. par. 2. hæc leguntur, *El Obispado de Compludo, esto es, Guadalfajara, tenga desde Alcatanfasta Corte.* Quæ quidem verba ingenio hominis, cetera docti & pij, cui eiuscemodi commenta verisimili occasione nata valde placebant, ansam illud comminiscendi præbuerunt: nec alium novissimæ huic assertioni fundum unquam fuisse mediusfidius asseverabo: sed demus à Chronici generalis Collectoribus id scriptum: potestnè illis maior fides hac super re adhiberi, quàm cùm eodem capite subijciunt, *El Obispado de Numancia, esta es Zamora, tenga por Peñagusendo fasta*

Tormes, &c. Quis verò hinc nisi affectu obcæcatus Zamoram, aut *Medinam Zamorathi*, ut vocabant Arabes, quæ antiquorum *Sentica*, Ptolemæi σεντικὴ est, esse Numantiam illã Romanæ fortitudinis æmulã verè coniiciat? 1 Nonnulli olim sibi id persuaserunt, sed quibus eodem errore accidisse certum est, quo huic Guadalfajarensium persuasioni, si opportunè illi non occurreretur, accideret aliquando: atque huc partium studium tetendisse credendum est. Verùm adiecta etiam verba illa; *Esto es, Guadalfajara*, Chronico Regis Aldephonsi à recentiori manu, hoc est, quando primùm in lucem datum est non multos ante annos, non una ratio persuadet. Nam ipsius Chronici Collectores, sive ipsemet Rex prolog. 1. par. fatentur se omnia, quæ posteris de rebus nostris ibi tradiderunt, ex notissimis Scriptoribus, quorum Catalogum texunt, excerpsisse: ex quibus illi, quibus otium sit consulere, non solùm res, sed etiam verba translata animadvertent. Vnde eandem Chronico huic auctoritatem, quam ipsi meruerunt, tribuendam ab omnibus semper admonui. Lucas Tudensis hãc de Episcopatum divisione narrationem Alphonso Regi suppeditavit; nam lib. 3. Ær. 704. inter Episcopos Toletano Metropolitæ attributos, accenset Complutensem, illique fines iisce verbis præsignat, *Compluto de Alcont usque ad Cortem*; ex quo Chronicon generale, *El Obispado de Compludo tenga desde Alcont* (sic leg. non *Alcatan*) *fasta Corte*; deberet legi, nulla *Guadalfajaræ*, quæ huc irrepsit, mentione. Addo etiam divisionem aliam diœcesium & parœciarum Hispaniæ è M. SS. Ecclesiæ Toletanæ & Ovetensis, quam illustriss. Loaisa edidit Notis ad Concil. apud Luc. & ego emendatiorem è M. SS. ipsis habeo, in qua, *Complutum hæc teneat, de Alcont usque ad Cortem, de Gusia usque ad Costem*. Nihil amplius. Adde iis in exemplaribus manuscriptis Chronici ge-

ton. de Gueuara p. 1. Epist. ad Arch. Hispal. Io. Genesiũ Sepulvedã utrumq; Historiograp. Reg. lib. 4. Epist 56. Bern. Aldrete à c. 4. ad 9. Antiq. Hisp. Athanas. Lobera cap. 3. p. 3. rer. Legionens.

generalis divisionem illam Episcopatuum ita variam esse, ut ex Scriptoribus Latinis, qui eam tradiderunt, emendari meritò debeat. Quæ cùm Chronici illius auctoritati tantoperè obstent; quid de schedula nescio qua unico foliolo ad calcē manuscripti libri Monasterij de Parrazes adiecta dicendum erit, nemo non videt. In illa legi ait Garſ. Loaisa, *Complutū, id est, Guadalfajara*, sed eodem errore quo *Astigi*, *Berga*; cùm *Berja*, *Vergi*, à qua *Vergitanus sinus sit*. *Aguitania. i. Lucena*; cùm *Lucena Lucentum* Plinij, vel *Lucentia* Melæ: & nullibi *Aguitania* reperiatur: sic *Accepridani. i. Guadix*; cùm *Acci Guadix*, & *Accepridani* ignotum sit: ni ἀκεινιπιτῶ Ptolemæi in Bætica, sive *A Cinipo* Plinij intelligatur. Nec opus eiuscemodi nugis paginas implere, cùm plures errores quàm verba in paucis illis folioli unius lineis manifestò inveniantur,

—— *Vnde laboris*
Plus haurire mali est, quàm ex re decerpere fructus.

Itaque supersedeo. Antiquis recentiores adiungunt, nimirùm Alvarum Gomez de Cidareal, Paez de Castro, Medinam de Mendoza, Scriptores maioris suspicionis quàm auctoritatis; nam Alvar. Gomez & Medina Guadalfajaram, Paez Querium Guadalfajaræ oppidum, patriam agnoscunt. Sed Valeriani & Galieni AA. decreto [1] *iure civili Domestici testimonij fides improbatur.* Esto. probetur. Vbinam Triumviri illi Caraccitani sive Guadalfajarenses pro sua Compluto dimicarunt? Nullibi, quod ego sciam; nam Paez nihil scripsit; Medina in Annalibus, quos nec [2] ipse, nec alius adhuc vidit; Gomez ad oram epistolæ Musæ Paullinę præfixæ. Verùm *sola testatione prolatam, nec alijs legitimis adminiculis caussam approbatam, nullius esse momenti certum est*, ex rescripto Cari, Carini, & Numeriani Imppp.

Nunc rationes ad examen vocemus. I. ex Ptolemæo vi-

1 L. 4. C. de testib. tit. 20. L. 3.

2 Nam cæcus erat, teste Moral. fol. 26. Antiq.

3 L. 4. C. de testib. tit. 20. L. 4.

videtur favere Guadalfajarensibus; sed verè non favet, nam in Tabulis Ptolemæi correctioribus tantùm distat Toletum à Compluto 30.minut. longitudinis, & 40. latitudinis; unde quindecim leucæ, quæ inter Toletum & Alcalã numerantur, rectè & ex legitima Geographorũ dimensione constituuntur: si verò cum Guadalfajarensibus computaremus, infantiliter latitudinem & longitudinem non discriminantes, tredecim leucæ, non octodecim, ut illi arbitrantur, componerentur.

II. Lapidi lapis opponendus est eiusdem sententiæ, sed integrior apud Moral. fol. 16. Antiq. & Gruterum fol. 155. 10.

IMP. NERVA
CAESAR. AVG
TRAIANVS
GER. PONT
MAX. TRIB
POT. III. P. P
COS. II. RESTI
TVIT. A. COMPL
XIIII.

Qui quidem inventus Valterræ non procul Argãda est, nimiùm quatuordecim milliarijs, sive tribus & dimidia leuca à Compluto, aut Alcalà distante. Vnde crediderim ab Alcalà Complutensi, non à Guadalfajarensi viam restitutam; nam cùm Strabo Tarracone instaurati vias dicat, ex ipsa viarum instauratarum deductione aliud intelligendum quis non videt, cùm diversissimę illæ viæ, quæ Tarracone incipiẽtes Bæticam subeunt, prorsus videantur? Vnde certissimum est non faci-

ci-

cilius posse probari à Caracca vias instauratas quàm à Complutо.

III. Ex Antonini Aug. Itinerario tantũ abest, ut pro Guadalfajariensibus argumentum desumatur; ut potius Complutenses pro se illud laudent; & meritò, cùm in itinere ab Emerita ad Cæsar-Augustam sic oppidorum distantiæ constituantur, apposita tamen, ut clarius innotescat, ex doctiorum iudicio hodierna nomẽclatura.

Secovia.	M. P. XIX.	*Segovia.*
Miacum	M. P. XXIV.	*Meco.*
Titulcia	M. P. XXIV.	*Baiona.*
Complutum	M. P. XXX.	*Alcalà.*
* *Arriaca*	M. P. XXII.	*Guadalajara.*
Cesata	M. P. XXIV.	*Hita.*
Segontia	M. P. XXIII.	*Siguença.*

* Sivè *Caracca*, nam Ptolem. καρακκα.

Nec ultra progrediar, cùm idem milliariorum numerus à Compluto ad Segontiam hîc reperiatur, quem leucæ nostræ hodie constituunt; aliter tamen accidisset, si à Caracca computaretur. Hoc cùm certissimum sit; illud valde ridiculum est, velle nempè in ijs itineribus assignandis viam ita rectam ab Antonino constitui, ut aliò non divaricetur. Exemplo erit iter ipsum ab Emerita Complutum; quod si directè constitueretur, inutiliter Septimancâ transitum esset, ni dimidiam ferè itineris partem iterum quis vellet inutiliùs subire. Vnde huius itinerarij usum prorsus ignorãt qui ex leucis, quibus Segovia Compluto distat, argumentum pro se cõfarcinant.

Alia etiam Complutensibus favent, quæ non minoris sunt æstimanda. I. S. Asturius in hymno his Martyribus sacro martyrij locum quasi digito assignat, cùm ait:

Ecce Iustus, ecce Pastor, ambo iuncti sanguine, &c.
—— *Scholis retenti, dum struuntur litteris*

Au-

Audientes quod Tyrannus intrat urbem persequens,
Illicò Scholas relinquunt, & tabellas admovent;
Appetunt cursu deinde Præsidis præsentiam, &c.
Protinus eos furentes pertrahunt satellites
Ad locum Campi patentem, quem ferunt Laudabilem;
Ense illic verberantur, laureantur sanguine.
O locum verè beatum! ——
Iam tuorum passione freta gaude Civitas
Iure Complutensis almo quo laveris sanguine, &c.

Ecce hîc, ex Compluto urbe in Campum Laudabilem, ut paterentur, adductos pueros illos fortissimos; quo nimirùm in loco Ecclesia posteà ædificata; unde Ado Viennensis 6. Augusti, *Extra civitatem producti* (quod etiam repetunt Vsuardus & Martyrol. Roman.) *& in Campo Laudabili, à Carnificibus iugulati sunt. Vbi etiam in Basilica sui nominis quiescunt.* Non ergò longè accersiti sunt, hoc est, Guadalfajara, sive Caracca; quæ quatuor leucis distat à Compluto, sed Compluto ad Campum Laudabilem urbi proximum; ex ea scilicet urbe, quæ tunc à iunceo fonte (sic doctiss. virorum opinio fert) usque ad ulteriorem fluvij ripam extendebatur, non longè à Laudabili Campo structo ponte, quo interior ulteriori civitas iungeretur. Destructam illam olim immani Hispaniæ totius eversione (ut illi etiam opinantur) indicant ruinarum vestigia, murorum pars, subterraneæ & testudinatæ specus, & ædificia admirandæ antiquitatis, ubi nunc *Miraglo* nomen est, & plura antiquitatis monimenta, utì inscriptiones, nummi, vasa, & id genus alia, quæ inter doctos conservantur. II. Ex antiquissima traditione, & Tabularum quingentis ab hinc annis publicè scriptarum testimonio constat in Campo Laudabili, ubi SS. Martyres passi sunt, ipsorũ nomini sacram Ecclesiã fuisse erectã, unde facilè deducitur antiquissimã Complutũ eã fuisse urbẽ, quæ nunc Alcalà dicitur, cùm in omnibus Martyrologijs Bedæ, Vsuardi,

Adonis, Romani, Complutum aſsignetur, & in Maurolyco, Galeſino, in Topographia SS. Primi Cabilonenſis, & in Tabulis Georg. Dom. Nigri, & aliorum Complutum Alcalà dicatur, & Alcalà ſita fuerit in Campo Laudabili, hoc eſt, in ea parte, quæ antiquam contingebat ferè Complutum.

III. Ex ipſa Datiani immaniſsimi Præſidis itineris ratione; nam teſte Braulio Cæſar-Auguſtano Epiſcopo, ex Gallia, ubi *exſatiatus ſanguine Martyrum, cadavera crapulatus ructans, Hiſpaniam aggreſſus eſt; Felicem, Cucufatèm, Eulaliam, & alios, quorum nomina longum eſt ſcribere, graviſſimis tormentis afficiens, Deo animas conſecravit innocuas* (Barcinone nimirùm) *ac pòſt inde Cæſar-Auguſtam, quaſi Leo frendens arripuit. Quãta ibi ludibria?* &c. *Inde alacri profectu Complutenſem ingreditur civitatem: protinus pro cruore lac truncatis corporibus fundens, geminas margaritas in diademate noſtri Regis affigendas, & innocentiæ dignitate, velut auro conſpicuas, Iuſtum & Paſtorem à terra cœlo perferam impietatem pius Dominus ſuſcepit. Deinde veniens Toletanam Vrbem ingreſſus, &c. ibique reperit Deo dicatam S. Leocadiam, &c. Itaque Elboram ingreſſus*, &c. *repertum adoleſcentem quendam nomine Vincentium*, &c. *cum Sabina & Chriſteta eius ſororibus in Abulenſem civitatem perſequens, digna Chriſto munera conſecravit. Profectuſque ab Abula Emeritenſem ingreſſus civitatem*, &c. *S. Euláliã multis cruciatibus, multiſque verberibus afflictam igne applicato Domino conſecravit.* Rectè igitur Barcinone Cæſar-Auguſtam; Compluto Toletum, Abula Emeritam efferus ille Præſes profectus eſt, nec opus, uti hodie experimento didicimus, Caraccam contingere. Nec abſimile diſsimillimi viri, hoc eſt, S. Martyris Eulogij iter Pampeiopoli Cordubam, ijſdem Cæſar-Auguſta Toletum manſionibus, Epiſtola ad Vviliefindum Pampilonenſis ſedis Epiſcop. apud quem di-

versatus cùm *ad partes Pampilonenses deversus*, & ab eo *festinius Cæsar-Augustam perveni, & aliquandiù verò apud Seniorem Pontificem, qui tunc rectis vitæ moribus eandem urbem regebat, demorans; posteà Complutum descendi (raptim per Segontiam transiens civitatem, in qua tunc præsulatum gerebat Vir prudentiss. Sisemundus) & cùm ab Antistite Complutensi Venerio dignè susciperer, post quinctum diẽ Toletum reverti: ubi adhuc vigentem sanctiss. Senem, &c. Vvistremirum Episcopum comperi, &c. cùmque in Domum me revocassem*, scilicet Cordubam. Nihil clarius.

IV. Ex verbis S. Ildephonsi in Asturio, ad quæ quasi ad lydium Lapidem comprobationes nostræ sunt dirigendæ. *Cùm* Asturius *sedis suæ Sacerdotio fungeretur, divina dicitur revelatione commonitus, Complutensi sepultos municipio, quod ab urbe eius fermè sexagesimo milliario sitũ est, Dei Martyres* (Iustum & Pastorem) *perscrutari, &c. Quibus repertis redire in sedem renuens, &c. in Toleto Sacerdos nonus, & in Compluto agnoscitur primus.* Vbi *ab urbe eius*, hoc est, Tolero, cuius Vrbis Ecclesiæ præsidebat *sexagesimo milliario situm Compluti municipium* erat; benè & ex leucarum etiam hodiernarum dimensione, nam milliaria sexaginta leucas quindecim efficiunt: Quibus quidem Toletum Compluto distat. Nõ ergo Guadalajara, inter quam & Toletum duodevigin-ti numerantur, Complutum dicenda unquam, sed Alcalà erit. Sunt qui *τὸ a b urbe eius* interpretentur à *Villasicca in Carpetania, ubi natus Asturius*, teste Dextro ad ann. 370. sed non tanti illa olim, nuncque Villasicca, quæcunque sit, ut urbis nomine ab Ildephonso decoraretur, præsertim cùm de Toletana sede & Complutensi ibi ageret; nam Asturius non in patria, sed Toleti commorabatur, & potiùs tantæ dignitatis, quâ fungebatur, quàm loci fortassis ignobilis, & Ildephonso incogniti, in quo natus fuerat, habenda ratio esset. Adde ab urbe

primaria ſumi oportere initia computationum non ab oppidis, ſive etiam urbibus non planè notis.

V. Ex antiquiſsima loci illius veneratione, nomine Compluti, qui Maurorum tempore Alcalà, ubi SS. Martyrum corpora ſemper culta fuerunt. Nam poſtquàm illa Laudabili in Campo per multos annos quievissent, circa annum Chriſtianum quadragenteſimum, *Quos & tellus aggeris, & oblivio temporis præſerat, in lucem & gloriam terrenæ cognitionis provehendos invenit*, Aſturius *miraculo dignus*, teſte Ildephonſo. Dexter copioſiùs ad illum ann. *Aſturius Toletanus corpora SS. Iuſti & Paſtoris MM. intra mœnia Complutenſis Vrbis priùs tranſlata, Baſilica coboneſtat, quorum memoria egeſta terra penitùs interciderat, & relicta ſede Toletana ſcripſit manes Compluti vitam reſque geſtas, ac hymnum, & Officium* (illudnè, quod in Breviario Iſidoriano legimus? crediderim.) *SS. Martyrum*. En hìc *Baſilicam* erectam *intra mœnia Complutenſis Vrbis* Martyribus Complutenſibus; Sic Paullinus & Teraſia Celſum filium non longè ab eorum ſepulcro condiderunt, ut Pater teſtatur Panegyrico de Filij obitu, cùm ait,

Credimus æternis illum tibi, Celſe, viretis
Lætitiæ, & vitæ ludere participem.
Quem Complutenſi mandavimus urbe propinquis
Coniunctum tumuli fœdere Martyribus;
Vt de vicino Sanctorum ſanguine ducat,
Quo noſtras illo purget in igne animas, &c.

Huc ne etiam retrahenda verba illa Prudentij
Ferre Complutum gremio iuvabit
Membra duorum?

Præſertim cùm diſtinctiùs Beda & Ado in Martyrologijs, 6. Auguſt. *Compluti SS. Iuſtus & Paſtor paſſi ſunt, ubi etiam in Baſilica ſui nominis quieſcunt*; in ea quievit etiam Aſturius. Dexter ad ann. 424. *S. Aſturio cognomen-*

to Serrano in bona senectute decedēti, in Ecclesia SS. Iusti & Pastoris Compluti ædificata sepultura datur. Quæ quidem quis unquam alibi, quàm Compluti sive Alcalæ accidisse suspicatus fuit, cùm Martyrum Ecclesia nunquam loco mota fuerit ab ipso tempore, quo in illorum memoriam Compluti erecta est?

VI. Ex serie antiquorum Complutensis Ecclesiæ Episcoporum, nam in divisione Episcopatuum vetustissima M.S. in qua nomenclatura urbiū Hispaniæ, in quibus sedes Episcopales ex Vvambanis Regis limitibus constitutæ sunt, hæc leguntur, *Metropoli Toleto subditæ Oreto, Beatia, Mentesa, Acce, Basti, Vrgi, Bagastri, Ilici, Setabo, Dianium, Valentia, Valeria, Setobriga, Arcabriga,* COMPLVTO, *Segontia, Oxoma, Secobia, & Palttia, sub uno 20.* Hinc *Compluto*, hoc est, ubi corpora SS. Asturius reperit, & Basilicā erexit, circa an. 408. *Sacerdos agnoscitur primus*, ut ait Ildephonsus. Accessit *Novellus* circa ann. 580. Complutensis Episcopus Asturio longo proximus intervallo successor, doctrinæ & religionis laude clarus Ioanni Abbati Biclarensi in Historia sui temporis. Ann. 610. *Præsidius S. Ecclesiæ Complutensis Episcopus* subscribit Toletanæ Synodo sub Gundemaro: ann. 633. *Hilarius Compl. Eccl. Episc.* Concilio Toletano 4. sub Sisenando; 636. 5. 638. 6. sub Cinthilane, & 646. 7. sub Chindasuindo: & circa hæc etiam tempora *Venerius Comp. Episc.* de quo Eulogius cap. 7. lib. 2. Mem. SS. & Epistol. ad Vviliesind. Pamp. Episc. ann. 653. *Davila Complut. Episc. 8. 655. 9. 656.* 10. sub Reccesuintho. ann. 675. *Acisclus Ecc. Comp. Episc.* 11. sub Vvambanc: ann. 681. *Annibonius Presbyter agens vicem domini & Pontificis Gildemeri Episc. Compl. Eccl.* 12. sub Ervigio. ann. 683. *Agricius Comp. Episc.* 13. & 684. 14. sub Ervigio. ann. tandem 688. *Spasandus Compl. Episc.* 15. & 693. 16. sub Egicane: dè ceteris magnum apud nostros silē-

tium,

tium, etiam si *Episcopus ultimus Complutensis* manserit *ad ann. D. 1050. quem sanctum virum cognovit Pater meus Nonius Petrus Misti-Arabs: Quia reprehendebat Mauros, fugaverunt eum, & diruerunt Ecclesiam, ubi erat sedes Episcopalis*, inquit teste Iulian. in Adversf. Episcopi hi omnes Complutenses à Compluto dicebantur, hoc est, ab illa Vrbe, in qua repertis SS. MM. reliquijs Asturius primus Episcopatum instituit; Hanc Alcalam esse nemo tam fatuus est, qui ausit inficiari. Non igitur Guadalajara Complutum esse unquam potuit. Nec iuvat Archidiaconatus Guadalfajarensis in Ecclesia Toletana hodierna designatio, ut vestigia ex ea noscantur Episcopalis sedis olim Guadalfajaræ fuisse. Nam etiam Alcaracensis Archidiaconatus in eâdem Ecclesia extat, cùm Alcarasij, quæ Ptolemæo ὤργια, nunquam Episcopus fuerit. Nec alia ratione Guadalfajaram Archidiaconatus dignitate ornatam crediderim, quàm ea, quæ meo iudicio certissima est. * Bernardus Toletanus Præsul circa annum 1114. peculiaribus copijs Complutum cœperat, ea tempestate ultra Fœnarium amnem in colle prærupto positam, imminentemque ripæ. Illius castra in superiore colle, cui à Cruce hodie nomen est scilicet, munita. Vnde Mauri omni iniuria vexati oppidum deserere compulsi sunt. *Quod ex eo tēpore in Præsulum Toletanorum iure, ita fuit*, ut non spirituales solùm Domini, sed etiā temporales illius semper fuerint. Vnde ad Presules, non ad alios quacunque in Toletana Ecclesia dignitate præstantes, Complutū pertinet. Habuit itaque Guadalfajara Archidiaconatus honorem, quem tenuit ab Archiepiscopis occupata Complutum.

* Marian. 10. cap. 14.

Tandem (alijs, ne singula minutim persequamur, omissis) quis sibi persuadeat, è tanta rerum mirificè gestarum gloria, quam sibi Guadalfajarenses adsciscunt,

cunt, potuisse unquam ita prorsus aboleri memoriam, ut non templum, non sacellum, non ædiculam Iusto & Pastori Complutensibus (si Guadalfajara Complutum fuisset) à Guadalfajarensibus Civibus sua in urbe fuisse olim hodievè in tantæ rei monimentum consecratam? Vt nihil de S. Felice, cive Complutensi, Martyre Cordubensi (de quo S. Eulogius cap. 8. lib. 3. Mem. SS.) & alijs, quorum aliquot vestigia Guadalfajaræ, si ex ea essent, remanerent, nunc addam. Itaque supersedeo, & verbis 1 exteri magni in litteris nominis ceteras Compluti laudes claudo, *Gratulor Complato, quòd duorū Præsulum 2 Francisci & 3 Alphonsi felicibus auspicijs sic efflorescit omni genere studiorum, ut iure optimo* παναόπλοντον *appelletur*: quæ quidem illi *non ultima laus est*; è diverticulo ad rem redeo.

1 Erasm. Ep. st. ad F. Vergaram Toletan.
2 Cisnerij Card. sancti & magni.
3 Carrillo ingentis animi viri.

In Campo Laudabili.] Vtì vocant Hymnus Misti-Arabicus, Ado Viennensis in Martyrol. & Iulianus, qui in illo habitavit, passim. Scio à veteribus Criticis quid *loci laudabilis* nomine signaretur, & in Valerij Probi Notis L. L. *locum laudabilem* significari, de quibus non 4 semel egi: Nihil tamen ad *Campum* nostrum, qui *Laudabilis* absque dubio dictus est à rebus laude dignis, ut ille olim alter *Sceleratus*, cui ab *incesto nomen factum*, ait Livius L. 8. cap. 15. sed hæc obiter.

4 Nimirùm cap. 17. lib. 1. Poligrap. & Steganographiæ antiquæ, & recentioris. Comm. in Pers. sat. 3. Et Sched. 3 Decad. 4. Herar. subsecivar.

Vbi priùs sepulta fuerant, &c.] Hymnus sive Isidori Hispalensis, sive Asturij Toletani;

O locum verè beatum, quo cruor reconditur
Sanctus ille parvulorum ad salutem plebium!

Sic Prudent. hymn. 7. περὶ ςεφ. alij.

Reperta divina revelatione ab Asturio.] Habes ex Ildephonso in Eod. Plura nos ad Dextr. ann. 423.

Serrano.] Cuius nomine Asturium Ecclesia Ovetensis (quæ illius corpus Ovetum, cum alijs Sanctorum reliquijs, barbaricæ captivitatis tempore translatum ad-

huc

huc religiosè conservat, teste non aurito, sed oculato V. Cl. [1] Moral.) celebrat 8. Martij. *Serrani* cognomen antiquissimum fuisse certissimum est ex Vatum omniũ non Principe solùm, sed Numine, cùm illum 6. Operis incomparabilis compellat,

1 Cap. 38. lib. 13. Histor.

——— *Te sulco Serrane serentem,*

Quia *serentem invenerunt dati bonores, unde cognomen,* ut aiunt [2] Plinius & [3] Servius. Necnon cùm post alios interimit Nisus alium.

2 Lib. 18. cap. 3.
3 In Virgil. 6.

——— *Iuvenem Serranum, illa qui plurima nocte*
Luserat, insignis facie, multoque iacebat
Membra Deo victus: felix si protinus illum
Æquasset nocti ludum, in lucemque tulisset.

Et in Atilia gente & familia *Serranos* nullus est qui ignoret. Hæc etiam in transcursu. Ad alia.

Translata primùm in Galliam.] Hoc est, in patriam S. Vrbicij, qui Burdigalam reversus secũ corpora Sanctorum Martyrum asportavit; sic communis populorum traditio, sic S. Viri vita, quæ M. S. apud Oscenses asservatur, sic Breviaria eiusdem gentis perantiqua. Vide Ainsa cap. 25. lib. 2. Hist. Oscens.

Deinde prope Oscam.] Benè *prope*; nam Vallis Nociti, quò primùm S. Vrbicius pervenit, quinque Hispanicis leucis distat ab Osca; inde Complutum iterum tandem ann. 1568. Philippi II. Regis pietate, reliquiarum pars translata fuit; vide Marian. lib. 4. cap. 12. & in Summario Histor. addito ann. 1568. Marieta lib. 2. cap. 17. de SS. Hispan. præter ceteros, quos iam laudavi.

Egilæ Abbatis Agalliensis, &c. Toleti celebris est memoria.] Iulian. ad ann. 676. *Egila, &c. Abbas Agalliensis sanctitate doctrinaque florebat Toleti.*

Episcopi post Illiberritani.] In Catalogo Illiberritanorum Præsulũ numeratur *Exilanus*, sive *Egilanus* quadragesimusquartus. Vide Pedrazã c. 9. lib. 3. de reb. Illiberritan.

Hic

Hic in Vrbe Tadera, seu Secura natus.] Iulian. ibidem: *Egila Tadera civitate natus, quæ nũc dicitur Secura.* Dextri tempore etiam *Secura Tader* vocabatur, ann. 308. cùm de S. Briena ageret: *Securæ in confinio Bæticæ, quæ etiam Tader dicitur, &c.* ubi ego plura de hoc loco, & ad ann. 406. quæ hîc repetere superfluum erit.

Sub Egila floruit Toleti Venantius, &c. qui fecit Homiliam S. Adelphij Tolet. Pontificis, quæ falsò ascribitur Petro Episcopo Ravennati.] Marc. Maximus in Chronic. diverso tamen tempore, hoc est ad ann. 508. de Adelphio: *In cuius laudem Venantius Toletanus composuit Homiliã, quæ incipit.* [Habet hoc Adelphij Antistitis sanctus animus] *quæ falsò inscribi solet Petro Ravennati, cognomento Chrysologo*: annè multò post S. Adelphij obitum Homilia hæc scripta? alius iudicet; certè hodie inter Petri Ravennatis Sermones, numeratur centesima vigesima sexta.

Passus est Ledesmæ, quæ Latinè Bletisa dicitur, S. Nicolaus puer, &c. Halì Alcamanis Sarraceni Reguli F. Galafri Regis Toleti frater, &c. & cum eo duo Presbyteri Muzarabes Christiani Nicol. & Leon. pridie Kal. *Novemb.*] Iulianus, qui nostri penè verba semper exprimit, in Chron. ad ann. 676. *Passus est Ledesmæ, quæ quondam Bletisa dicta est, Nicolaus puer, Alcamanis Reguli Sarraceni F. Galafri Regis Toleti frater, & cum eo passi sunt alij duo Sacerdotes Nicolaus & Leonardus. Celebratur horum dies natalis anniversarius primo die Novemb.* leg. *Pridie Novemb.* vel *prid.* Kal. *Novemb.* ut est in Luitprando; cuius verba nostro more minutatim consideremus.

Ledesmæ, quæ Latinè Bletisa.] Sic volunt Vasæus cap. 10. Chronic. & Ortel. in Thes. Marian. lib. 7. cap. 4. & lib. 18. cap. 17. innuit antiquus lapis, qui Ledesmæ hodie visitur,

IMP. CAESAR. AVG. PONTIF. MAX.
TRIBVNIC. POT. XXIII. COS. XIII
PATER. PATRIÆ &c.
TERMINVS. AVGVSTAL. INTER
BLETISAM. ET. MIROBR. ET
SALM.

S. Nicolaus.] Cuius reliquias colit Ledeſma, ſive Bletiſa, in Monaſterio Franciſcanorum, ubi legitur ab antiquiſsimis temporibus ſubſcriptio hęc, tametſi Hiſpana,

AQVI IAZE EL CVERPO DEL
GLORIOSO MARTYR S. NICOLAS
HIJO DE AL-.·.·.- MORO REI.·.·.·.

Alcamanis.] Sic poſt Iulianum, AEgidius Zamorenſis, qui illius vitam circa ann. 1392. ſcripſit, exſtatque in Monaſterio Franciſcanorum Zamorenſi & Bletiſenſi, vult; quem ſequitur Marieta lib. 3. SS. Hiſpaniæ, cap. 96. ſed annè legendum *Almenonis*? Regis Toleti poſteà nomē hoc fuiſſe notiſsimum è noſtris hiſtorijs eſt, Morales lib. 13. cap. 20. Piſa lib. 3. cap. 6. Hiſt. Tolet. amicus noſter M. AEgidius Gonzalez de Avila Hiſtor. Regius, rerum Hiſpanicarum ſcientiſs. cap. 14. hiſt. Salm. alijque non Alcamanis, ſive Almenonis, ſed Galafri Toletani Regis Nicolaum hunc filium dicunt; Ego Luitprando, Iuliano, & AEgidio Zamorenſi antiquioribus fidem non facilè derogem; præſertim cùm non filius, ſed *Galafri Regis Toleti frater* dicatur; de quo Roderic. Toletanus cap. 11. lib. 4. Alphonſus X. 3. par.

Chron. gener. cap. 5. in Fruela, præter recentiores.

Galianæ Coniugis Caroli M. patruus.] De cuius pulcritudine adeò incredibilia referuntur, ut fabulis locum in historia non nostrorum solùm hominum, sed & Frãcorum fecerit. Carolum Magnum (sive, ut ego veriùs puto Carolum-Mannum, quem *Mainet* vocat Chronicon Hispaniæ generale non semel) illi matrimonio iunctũ cõminiscuntur Roderic. Tolet. cap. 2. lib. 4. Chronicon Hispaniæ generale cap. 5. par. 3. Vincentius Bellovacensis par. 3. specul. hist. Nicolaus Trelæus epigramm. reg. Aust. & Lothar. Sebastianus Munsterus Cosmog. lib. 3. alij. Quibus obviam eunt Morales lib. 13. cap. 20. & Garivai lib. 35. cap. 15. multa tamen in Hispania Galianæ monumenta hodie conservantur, de quibus Rades de Andrada cap. 15. Chronici Ordinis Calatravæ, Alcocer lib. 1. cap. 5. Pisa lib. 1. cap. 17. Salazar de Mendoza cap. 42. Chron. Taver. Iacob. Bleda in Chron. Arab. Pergo.

Cixila, &c. fit Toleti Pontifex, &c. sub Iuzeph & Abderraman Reg. Tolet.] Eisdem ferè verbis Iulian. ad ann. 770. *Cixilanes* in M. S. S. Emilliani vocatur, quique nõ in omnibus solùm Toletanæ Ecclesiæ Catalogis, sed in ipsis sacris Misti-Arabum Hymnis etiam hodie legitur. S. Ildephonsi vitam à Cixilane scriptam habemus: de Iuzephi & Abderramenis Regno plura Lud. Marmol, & Iacobus Bleda. *AE. 790. Chr. 752*

Hoc anno delatum est corp. S. Leocadiæ, &c. Toleto Ovetum, &c.] Distinctiùs in Iuliani Chron. ann. 770. *Hoc anno sub Iuzeph Rege Toleti, quem consequutus est Abderraman, delatum est corpus S. Leocadiæ Toleto Ovetum per Argericum Agaliensem Abbatem successorem Egilæ, & Petrum Abbatem S. Leocadiæ, & Andream Muzarabem, Abenlupi filium,* quod etiam repetit ann. 830. *AE. 794 Chr. 756*

Per Argericum.] De quo, uti de hac translatione, plu-

 ra

ra Sandoval in Fruela fol.99. Vid.Moral.13. cap.18. & Iepes Cent.& cap.3.à num.739.

Andream Muzarab. Aben-Lupi Ficulnei.] Abesse *Ficulnei* vocem in alijs iam monui; pro ea in exemplari nostro legebatur, *hoc est, filium*, ut *Aben-Lupi*, sive *filiū Lupi* explicaret Andream illum fuisse; quam etiam lectionem in codicibus Iuliani, quibus Sandovalius usus fuit, extare compertum est. *Ficulni* nomen conservat lapis Aurigi in Bætica (quam falsò *Arjonam* credidit Fl. Ocamp. 5. cap. 32. cum Vrgavo illa sit, Moral. Ortel. Marian.) repertus,

D. M. S.

Q. FAB. FICVLNVS. AVRI

GIT. FLAM. VI. VIR. AVRIGI

TAN. ANN. LXX. PIVS. IN

SVOS. H. S. E. S. T. T. L.

AE. 809 Chr. 781 *Sub hoc tempus venit Toletum Carolus M. sub reg. Galafro, eiusque filiam Galianam, &c. duxit uxorem.*] Rod. Tolet. cap. 11. lib. 4. de Carolo-Manno, ut ego puto, *Eo tempore, quo cum Rege Galafro Toleti degebat, fertur enim in iuventute sua à Rege Pipino Gallijs propulsatus, eò quòd contra paternam iustitiam insolebat, & ut patri dolorem inferret, Toletum adijt indignatus, & cùm inter Regem Galafrum Toleti, & Marsilium Cæsar-Augustæ dissensio provenisset, ipse sub Rege Toleti functus militia bella aliqua exercebat, post quæ audita morte patris Pipini in Gallias est reversus ducens secum Galienam* (leg. *Galianam*) *filiam Regis Galafri, quam ad Fidem Christi commissam* (annè *conversam*?) *duxisse dicitur in uxorem; fama est & apud Burdegalam ei palatia construxisse*; paribus ferè tibijs concinit Chronicon Hispan. general.

par.

par. 3. cap. 5. & Vincentius Bellovac. in Spec. Histór. & ante illos Iulian. ad ann. 770.

Pro qua singulare certamen inivit cum Bradamãtio, &c. quem in prælio victum interfecit.] Rem (quamcunque illa fidem mereatur) habes locupletissimè scriptam à Collectore Chronici generalis Hispan. par. 3. c. 5. in Fruel. ubi multa de *Bramante* sive, ut antiquissimi Hispanorũ rhytmi, & artificio nulli Poëtarum Italorum secundus Ariostus vocant, *Bradamante*. Vid. Valera par. 1. c. 4. Chron. Hisp. Alcoc. 1. cap. 57. Moral. 13. c. 20. Marm. 1. par. lib. 2. Afric. cap. 18. Pisa 1. cap. 17.

Regulo Compl. [*vel Guadalfaxaræ.*] Guadalfaxaræ, quæ antiquorum Caracca fuit, nomen *Bramantis* porta, vicusque etiam hodie conservat, teste Moral. 13. cap. 20. ut alia Toleti, teste Salazar 1. Chron. Cardin. Méd. c. 15. necnon ibîdem Galianæ dirutæ horti regij parietinæ, in quibus Galianæ balneum, & amœnum viridarium fuisse fama est, de quo plura Arabes, præsertim Aben-Gezar lib. de Admirandis urbiũ: vide Lud. Marm. 1. p. Descript. Afric. lib. 2. cap. 18. Alcoc. 1. c. 57. Gariv. 37. cap. 15. Franc. Rades de Andrada cap. 15. Chronic. Calatravens. Militiæ: sic etiam Galianæ, vel Galienæ memoriam conservari Burdigalæ in vestigijs palatij (de quo Roder. Tol. 4. cap. 11. & Io. Carrio in Chron.) sunt qui putent, repugnantibus tamen Gab. Lurbeo Chron. rer. Burdig. sub ann. 262. El. Vineto ad Auson. Burdig. n. 210. & Iod. Sincero c. 3. Append. Itiner. Galliæ, & Paul. Merula par. 2. Cosmog. lib. 3. cap. 34. qui Galieno Aug. attribuunt. Sic apud nos etiam notissima *Galianæ Semita*, de qua Moral. 13. cap. 20. Verùm etsi hæc meritò, ut commenta, reijciantur ratione temporis probè subducta; aliquid veri falsis immistum fuisse videntur persuadere fabulæ ipsæ toties repetitæ: ideò in illis tam minutim sum immoratus.

S. Vr-

S.Vrbicius,&c.in valle Nocita floret, &c.] De quo ad ann.Christi 748.in M.S.coaluerat, c. & i. unde scriptũ *Noata* pro *Nocita*; hodie Vallis illa de *Nocito* vulgò dicitur,non longè ab Osca Vrbe.

S.Basardi Abbatis,&c.discipulus.] Quis hic Basardus fuerit nondum divino; in vita S. Vrbicij, quæ ab antiquissimis temporibus M. S. Oscæ asservatur, Martini cuiusdam Monachi discipulus perhibetur: vide Ioan. Garai in vita S. Vrbicij, Ainsa lib.2.cap.33.hist.Oscẽs. & Lanuza lib.1.cap.37.histor. Arag.

Toleti conditum est templum S.Thyrsi, Vernulæ Christi, &c. prope Mezquitam maiorem consecratum quod est à D. Cixilane,&c.] Sacer Hymnus Officij Misti-Arabici ab ipso Cixilane B.Thyrso dicatus:

Templum hoc, Domine, Cixila condidit;
Dignam hic habeat sortem in æthere,&c.

Iulianus in Chron.*A Cixilane conditum est S. Thyrsi templũ Toleti, Civis Toletani in Apollonia Græciæ passi: Exivit Toleto S.Vir sub Paulato, vel Palmatio Præsule Toletano Cathecumenus,& idem Cixila Præsul, qui iussit ædificare templum, ei composuit Hymnum.* Ingens de hoc templo, & B. Thyrsi rebus quæstio viros doctos aliquot antè annis exercuit; de qua quid sentiendum integro *schediasmate Horar. subsecivar.* disputavimus.

Abdalà primus Rex Securæ, &c.] Aliter vocatur ab AEgidio Zamorensi, qui primus Securæ regnavit, *Quo tempore cœpit Regnum Securæ, fuit primus Rex Alboachim frater Galafri Iunioris Regis Toleti,& S.Martyris Nicolai dicti priùs Ali. isti fuerunt filij Alcamanis, isti quoque Galafri Senioris Domini Bletisæ, vel Ledesmæ, &c.* sed de Abdalà plura Historiographi nostri, Chron. general. par.3.cap.10.Roder.Tolet.lib.6.cap.19. Marian.lib. 7.cap.20.& 21.Marmol,Beda,alij.

Petrus Abbas Agaliens. &c.] Iulian. in Chronic.

Flo-

Floret Petrus Agaliensis, qui successit Argerico.

Celeberrimus habetur in Hisp. Cixila, qui ann. DCC. LXXVI. contraxit Concil. Toleti ex mandato litterisque Adriani PP. contra Egilanem Episc. Illiberrit. &c.] Congregandi Concilij ius ad Toletanum Præsulem, utì Hispaniæ Primatem pertinere exemplo erunt tēpore Gothorum 3.4.5.6.7.8.12.13.15.16. & post restitutā Christianis Vrbem Bernardi iussu id effectum testis Mariana lib. 9. cap. 19. ut pluribus docui à fol. 102. ad 110. secūdæ pro Dextro Apolog. sic etiam tempore captivitatis Cixila, *qui Egilæ Illiberritani Præsulis impetus retardavit, habito Concilio multorum Episcoporum, sicut S. Pontifex Adrianus iusserat*, ut ait Iulian. in Chron. ann. 770.

Nolentem die Sabbati à carnibus abstinere.] Epistolam Adriani PP. ad Egilam Hispaniæ Episcopum, *pro ieiunio Sexta feria, ac Sabbato celebrando* exstitisse iam dixi ad ann. 748. vide Baron. ad ann. 795.

Helipandus Archidiaconus, &c. succedit in sede Patriarchali Toleti pro D. Cixilane, &c.] Ita Catalogi omnes Ecclesiæ Toletanę; sic Blasius Ortiz cap. 33. summi Templi Tolet. description. Alcocer cap. 3. lib. 2. & Pisa cap. 10. lib. 2. Hist. Tolet. *AE. 820. Ch. 782.*

Hic mala persuasione Felicis Vrgelitani, &c. labitur in fœdum de Adoptione Christi errorem, &c.] De quo multa qui volet, adeat Paullinum Aquileiensem Episcopum contra Felicem & Helipandum, qui editus non ita pridem est, Tom. 11. Actuarij ad Biblioth. VV. PP. & Synodum Francfordiensem contra eosdem ann. Redemptionis 794. temporibus Adriani 1. & Caroli M. celebratam, & ferè totam ex epistola Adriani ad Episcopos Galliæ, & Hispaniar. & ex libro Sacro-Syllabo Paullini, & ex Epistola Synodi ad eosdem Episcopos; necnon ex alia Caroli M. ad Helipandum; adeat insuper Concilia Foroiuliense & Reginense, seu Ratisbonense con-

contra eorundem errorem tom.3.Conciliorum ex editione præſtantiſs. Theologi, & de Eccleſia Catholica ſupra quàm dici poteſt bene meriti, amici noſtri Severini Binnij; Beatum & Heterium in diſputatione adverſus Elip.quam edidit Petrus Stevvartius Th. D. Ingelſtadij ann. 1616. curante è Bibliotheca Toletana R.Io.Mariana noſtrate, & ſuggerentibus commodùm RR.Iac.Gretſero, & And.Schotto Viris litterarij Senatus commodo natis; è recentioribus adeat Baroniũ tom.9.ad ann.793.Moral. lib.13. c.26. A. Schottũ lib. 1. c.1.Bibliot.Hiſp.Marian.lib.7.cap.8.de rebus Hiſp. magnos Theologiæ vindices R. Gabriel Vazquez in 3.par.D.Thom.diſp.89.cap.1.& diſp.80.c.10.& Franciſcum Suar.tom.1.in 3. par. D. Thom.q. 23. diſp.49. ſect. 3. quorum verba ſingillatim repræſento in Elog. Script.Illuſt.Carpetan.

Sed Epiſtol.Had. PP.] Quarum mentio in Summario Epiſt. huius Pontificis in Bibl. Vaticana; de ijs Baron. ad ann.794.& 795.

Et Caroli M.Pipini Regis Francorum F.] Harum exẽplar habes apud Baron.ad ann.744.

Ad mentem,& verum ſenſum Eccleſiæ rediјt.] Helipandũ reſipuiſſe ex antiquis innuũt Aimoinus 4. rer. Frãc. cap.83.Ado Viennenſ.in Chronic. Regino Monachus lib.2. Luitprand.Epiſt.ad Tractem.Iulian. in Chronic. è recentioribus probant Bellarmin.tom.1. Cent.4. lib. 1.de Concil.cap.7. Aventin.in Annal. Bavar. Morales lib.13. cap.26. Schottus cap.1. Biblioth.Hiſp.Baron. ad ann. 783.Mariana lib.7.cap.8. Piſa lib.3. cap.6. Salazar de Mendoza cap.26.vit.S.Ildeph. Ægid.Gonzalez Davil. lib. 2. Hiſt. Oxomenſ. cap.2. plura nos fol. 127.Apolog. ſecundę pro Dextro.

Florebat Toleti Io.Presbyter doctus & ſanctus, ad quẽ miſit litt.Adrianus.] Quarum exſtat mentio in Catalo-

go

godeperditarum, quem è Bibliotheca Vaticana exſcribit Baron. ad ann. 795. his verbis: *Idem ad Egilam Epiſcopum, ſeu* IOANNEM *Presbyterum de conſervatione continentiæ in Hiſp. partibus prædicanda Epiſtolam ſcripſit. Ac de Paſchali feſtivitate, ut eo tempore celebretur, quando à Romana celebratur Eccleſia: item eum monuit de Prædeſtinatione hominis, ſive ad bonum, ſive ad malum: de coinquinatione eorum tam in eſcis, quàm in potu; de diverſis erroribus, & de eorum pſeudo-ſacerdotibus, qui vivente viro ſortiuntur uxores; de libertate Arbitrij, ac de alijs multis capitibus in partibus illis contra Fidem Catholicam exortis*, &c.

Muzarabes Toletani graviter premuntur à Mauris impoſitis novis vectig] Suo ſæpiùs more id exigebat à miſeris Chriſticolis avaritia Arabum. S. Eulogius ſervitutis Hiſpanicæ hoc tempore particeps non ſemel teſtatur, lib. 1. mem. Sanct. *Diſruptiones Baſilicarum, opprobia Sacerdotum, & quod lunaliter ſolvimus cum gravi mœrore tributum*: & lib. 3. cap. 5. *Importabili cenſus onere colla aggravant miſerorum, quotidie plebem Domini peſſimantes.*

Cùm fui Lugduni, &c. cognovi duos fuiſſe Geneſios, &c.] Ex eodem, ſuo more, Iulian. in Adverſarijs ait: *Duos fuiſſe Geneſios Archiepiſcopos Lugdunenſes, ambos Sanctos & Confeſſores.*

Dictum Adelardum.] Plura de hoc & diſtinctiora Iulianus in Adverſ. Chronic. & libello de Eremitorijs Hiſpaniæ, quæ ſuo loco elucidabuntur; hîc tantùm, quæ in rem præſentem. *Adhelardum* vocat Paſchaſius Ratbertus illius temporis Scriptor, qui res ab ipſo geſtas litteris eſt proſecutus apud Surium tom. 1. Ianuarij 2. alij *Abailardum* dicunt.

Conſanguineum Caroli Magni.] Ratbertus *Conſobrinum* dicit, vide Arnoldum Vvion in Ligno vit.

Qui Monachus Benedictinus.] Corbeiæ nẽpè in Gallia & in Saxonia, ut ait Ratbertus. Vide Baron. ad ann. 822. & Anton. de Iepes Cent. 4. Chron. Benedict. ann. Christi 832. illius inscriptio sepulcralis apud Corbeiã Galliæ, & nobilitatem avitam, & perfectionem monasticam indicat,

Hic iacet eximius meritis venerabilis Abbas
Noster Adelbardus, dignus honore senex,
Regia progenies. ——

Maluit quietem, quàm negotia.] Ratbertus clariùs in vita Adelradi, *Cùm Carolus Desideratam Desiderij Regis Italorum filiam repudiaret, quam sibi dudùm quorumdam Francorum iuramentis petierat in coniugium, ut nullo negotio beatus senex persuaderi posset, dum adhuc esset tyro palatij, ut eius quam vivente illa Rex acceperat, aliquo communicaret servitutis obsequio; sed culpabat modis omnibus tale concubium, & gemebat puer beatæ indolis, quòd & nonnulli Francorum ex eo essent periuri, atque Rex illicito uteretur thoro, propria sine aliquo crimine repulsa uxore. Quinimò zelo succensus elegit plùs seculum relinquere adhuc puer, quàm talibus admisceri negotijs; ut propinquo, cui contraire prohibendo non posset, non se consentire fugiendo monstraret.*

Hic ipse interfuit Cõcilio Francfordiensi, & non accessit errori, &c.] Iulian. in Advers. *Genesius in Cõcilio Francfordiensi contra multos sensit cum Hispanis, & Imagines habendas & adorandas pariter, cùm multi Gallorum Episcopi putarent recipiendas, nullatenus tamen adorandas; ac propter hunc errorem libentiùs vivebat in Hispania, quàm in Gallia.* Sed hoc annis sequẽtibus accidit, nempè 794. quo Francfordiæ in Germania Concilium multorum Episcoporum, & Apostolicæ sedis Legatorum congregatum est; in quo etiam de imaginibus occasione septimæ Synodi actum fuisse testis est Hincmarus Rhemen-

mensis contra Ioan. Episcop. cap. 20. alij; quo id sensu accipiendum pluribus eruditissimè, ac pijssimè docet magnum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ ornamentum Card. Baron. ad ann. 794.

Magia per dæmones Toleti docetur in spelunca, quam dicunt Herculem condidisse.] Sic antiquorum scriptis pervulgatum. Nec mirum, cùm Toleti conditores (si veri illi sint) Magiæ additissimos memoriæ prodatur, sive Ptolemium magicæ artis peritissimum, & inter Hispaniæ proceres longè præstantem, apud Alcocerem lib. 1. cap. 6. Hist. Tolet. sive Ferecium, aut Roccam eiusdem scientissimos apud Didacum de Valera 2. par. Chronic. Hisp. cap. 5. quorũ quidem superstitionis hæredes Arabes fuisse fama est. Nam *legimus post Sarracenicam per Hispanias alluvionem tantum invaluisse Magicam, ut cùm litterarum bonarum omnium summa ibi esset inopia & ignoratio, solæ fermè dæmoniacæ artes palàm Toleti, Hispali, & Salmanticæ docerentur, veluti in Italia ad lacum Nursinum, & in spelæo Visiniano adhuc avorum memoria huius Goëtiæ celebres scholas fuisse* certò scimus, ut verbis doctissimi Thaletis nostri, nunquam sine laude nominandi, Martini Anton. Del-Rio dicã prolog. disq. Magic. F. & lib. 2. q. 1. Nec aliter vir eruditus & pius Petrus Ciruelus cap. 1. par. 2. Reprobationis superstitiorum & præstigiarum, *Artem Magicam, sive Necromantiam*, ait, *præteritis temporibus apud Hispanos, qui sub eadem cæli facie, qua Persæ, apud quos illa nata fuit Auctore Zoroaste, habitant, in usu fuisse, præsertim Toleti & Salmanticæ*, & cap. 1. par. 3. de ijs qui ex alloquio dęmonum aliquid ediscere affectant, ab illo, tanquam à Magistro, secretorum notitiam auscultãtes, ut *solebat fieri in Scholis Toleti & Salmanticæ*; & Alcocer. 1. Hist. Tol. cap. 7. *Ex Historicorum veterum monumentis constare* affirmat, *Toleti antiquis temporibus Magicam doceri.* Ante hos Iu-

lian. in Chron. (si sic ab imperitissimæ editionis erroribus illum vindices) *Scholæ Magiæ Toleti celebres factæ sunt*. Hinc non nostris solùm hominibus, sed & exteris *Ars Toletana* pro Magia usurpatur. Illustre illius doctrinæ exemplum referunt Laurentius Annanias fol. 104. de natur. dæmon. lib. 3. Del-Rio lib. 6. cap. 2. sect. 3. quæst. 1. disq. Mag. Ferdinand. del Castillo 1. par. lib. 2. cap. 72. hist. Domin. Io. Lopez Episcopus Monopolitan. p. 6. cap. 10. lib. 2. eiusdem Histor. Alphons. Villegas 3. par. Flor. SS. vit. 173. Abrah. Bzovius in Annal. Eccles. ann. 1230. n. 9. Maxim. Sandæus vol. 1. comment. Academicar. Comm. 7. num. 25. August. Mannus cap. 583. Select. Histor. apud quos cuidam Ægidio Dæmon obvius humana in specie dixit, *Scientiam indicabo, quæ & adeptu facilis, & usu præcipua ad dignitates voluptatesque, ipsius etiam, quam sitis, Medicinæ summa perfectio est, Necromantiam dico*; dixit, & persuasit. Abducit Ægidium, & adducit in vastum specum prope Toletanam civitatem; ibi occurrêre læti, & excepêre venientem viri dęmonesque humanâ effigie; itur in specum, exigitur non secreti tantùm, sed & ligiæ fidei sive homagij perpetui sacramentum; septennio illicitis artibus, & caliginosa scientia imbuitur. Plura apud illos, quos laudavi, vide. Hæc sufficiant *scientiæ Toletanæ* confirmandæ; cui fidem etiam adstruit narratio illa ficta ne an vera de Domno Illano de Toledo insigni Mago apud D. I. Emanuelem Ferdinandi Regis, cognomento Sancti, nepotem, in libro, cui titulus *Comes Lucanor* cap. 13. quam adi, nam lepida est, & multi salis. Huius artis ope effectum fuisse nonnulli fabulantur, ut in Toletano palatio, sive macello nulla unquam præter unam albam musca reperiatur. De *palatio* Christianus Becmanus lib. de Orig. L. L. voce *musca*, agens de *Beelzebub*, hoc est, *Dominus muscarum*, nomē Satanæ.

Is enim, inquit, *figura muscæ apparuit*, teste Naziãz. cõt. Iulian. *Sicut hodieque eadem specie videri dicitur in vitreis aut crystallis. Sed & colebatur olim in Gentilitate in hunc finem, ut muscas pelleret infestas; cuius rei dedit specimen, quòd in tẽplo suo muscam nullam superesse fecerit. Sicut hodie in Venetiano palatio nulla esse dicitur*, & IN TOLETANO VNICA. *Quòd si certa est ea fama, omnino statuimus idòlum aliquod sub palatij limine fuisse conditum*, ut ait Io. Bodin. L. I. dæmonom. cap. 3. De *macello* Leo Bap. Albertus 6. de Architect. cap. 4. Cosmus Bartholus Italicus illius interpres *publica beccaria*, Franc. Lozanus Hispanicus *Carniceria* verterunt. Apage nugacissimas has nugas. De specu Herculeo crebra Toletanorum semper fabula fuit, nam omnes ferè illum opinantur, cuius ostiũ ad S.* Genesium hodie antiquitatis horrore venerandum visitur, quẽ vulgò Herculeũ vocamus, sive ab ipso Hercule, cui nostræ urbis fundamẽta tribuuntur, sive à Ferecio Mago, qui in Herculis honorẽ antrum illud in edita urbis parte à natura ipsa constructũ Draconis immanis domicilium (ut fabulãtur) dedicavit, teste Alcoc. de reb. Tol. I. c. 7. Plures tamen Herculi adhærẽt. Blas. Ortiz. c. I. Descript. Templ. Tol. distinctiùs, nã *bona*, inquit, *Hispaniarũ pars huius urbis fundationẽ Herculi Libyo post interfectum Geryonem intimam Hispaniam peragranti adscribit. Quod comprobare videtur Herculeũ antrũ subtus Ecclesia S. Genesij in hac regia urbe structũ, nam si urbs esset condita priùs, nullatenus illud vir strenuus Hercules inhabitasset*. Eiusce rei vestigium in Scriptore nostro, sed antiquo hodie apparet, tam mendosè tamen expressum, ut vix cognoscatur. Is est Rufus Festus Avienus, quem ita lacerum temporis iniuriâ, & exscriptorũ incuriâ reservavit, ut nèscio an maiori beneficio litteratorum Senatus affectus esset, si illo omnino careret, aut si tam disperatè ægri, & quasi depositi tædio nõ opprimeretur. Medicas illi sæpius manus admovimus, maiori

* Gariv. 5. cap. 4.

cer-

certè labore quàm ſucceſſu, ut faſsi ingenuè Notis ad illum ſumus; hîc prorſus de utroque deſperamus. Verba illius ſunt lib. de Ora maritima, ut è M.S. Toletano habui à viro docto D. Bartholomæo de Caſtro Tolet. Eccleſ. Canonico,

[1] *Toletum opus Victoris Alcidæ* [2] * * *
Hæc dicta [3] * * * *à conditore* [4] *H**
Spatia per longinqua vaſtum ſpatium cavo
Sinuatur [5] *antro, & propria per diſpendia*
Ceſpes cavatur, eripit unda longior,
Moleſque multa gurgitis diſtenditur.

Habes hîc hiatum hiatibus expletum; præſentiorem melior AEſculapius faciat medicinam. In hoc antro fama fuit Magicis olim artibus operari. Ex more nempè dæmonum, quibus antra, ſpecus, & ſpelæa tetris docendis artibus placuiſſe ſemper, docuit Nazianzenus in Iulian. orat. 1. & innuit Theodoretus lib. & cap. 3. hiſt. de eodem Iuliano Magicis præſtigijs impensè dedito; an quia in ſpecubus hominum ſanguine litabatur, teſte Plinio 7. cap. 2? Fortaſsis; exempla obvia ſunt apud Scriptores. Beatus Rhennanus hiſtor. de reb. German. prope Auguſtam ſpeluncæ eiuſcemodi maleficijs celebris meminit; nec abſimiliter Olaus, & Io. Magnus, ille cap. 20. de reb. Septent. hic 4. hiſt. Gothor. cap. 2. In Hiſpania Hiſpalis & Salmantica ſuas habuêre (ſi vulgi opinationibus credendum) Magiæ addiſcendæ ſpecus, ſive Scholas: Hiſpalenſem nobilitaſſe [6] Gerbertum, qui poſteà Silveſter hoc nomine ſecundus Pōtifex fuit, fabulantur [7] Benno [8] Cardinalis, [9] Martinus Polonus, [1] B. Platina, & Gund. de Illeſcas, apud quos ille *malis artibus Pontificatum adeptus fuit, & relicto Monaſterio Floriacenſi diabolum ſecutus, cui ſe totum tradiderat, Hiſpalim civitatem Hiſpaniæ bonarum artium addiſcendarum cauſſa pervenit.* Huic viri doctrina illo ſeculo rara fa-

1 A vulgatis abſunt tres primi verſus.
2 *Vadoſi ineat* erat in M.S.
3 *Nunc deoniſca* M.S. mõſtra verborum.
4 Fortè *Herculeum ſive Hercule.*
5 In vulgatis *alto.*
6 Eiuſdem ſentẽtiæ eſt Alph. Garſ. Maramor. de Vir. Erud. Hiſp.
7 Sed ſchiſmaticus, *qui Hildebrãdi odio multa de prædeceſſoribus eius cõfinxit*, ut ait Pap. Maſſ. lib. 4. de Epiſcop. Vrb.
8 In Chron.
9 In Silveſtro 2.
1 Lib. 5. Hiſt. Pont. cap. 1.

fabulæ materiam [1] præbuit. Salmantina ſpecus cui nõ dicta? Viſitur hodie ad S. Cyprianũ, & vocatur *Clemeſina*. Sed unde fictioni locus datus eſt, opportunè monet Didac. Perez de Meſa Notis ad cap. 85. lib. 2. de rebus in Hiſpania præſtantib. Petri de Medina. Verùm & ſi hæc meritò ſubleſtæ fidei commenta reputentur, anſam illis præbuit uſus in Hiſpania earum artium adeò creber, ut ad Ferdinandi & Eliſabethæ Regum Catholicorum, quorum fortunæ univerſi nominis Arabici triumphus relictus eſt, ætatẽ perduraſſe tradat D. Bernardus Boſinus Canonicus Cæſar-Auguſtanus ad calcẽ lib. de Arte Magica.

[1] Vt clariſsimè manifeſtãt Pãvinius Not. ad Platin. Alph. Chacon. in Silveſt. & Baron. ad ann. 999.

Catholico Regi ſuccedit Froila, &c.] Conſentiunt in hac ſucceſsionum regiarum ſerie omnes Hiſpaniæ Scriptores.

Silo Rex, &c. ſepultus Praviæ in Templo S. Ioan. Evãg.] Sebaſtianus Salmanticenſis Epiſc. in Silone Rege. *Regnavit autem annos novem, & in decimo vitam finivit, & ſepultus cum uxore ſua Regina Adoſinda in Monaſterio S. Ioannis in Pravia fuit.*

Quod ipſe condiderat.] Ibidẽ, *in Aſturijs territorio Praviæ, & in Eccleſia S. Ioannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, &c. quam ipſe fundavit.*

Siloni ſucceſsit, &c. Alphõſ. Caſtus.] Sebaſtianus Æra eadem 821. *Silo defuncto, Regina Adoſinda cum omni Officio Palatino Adephonſum filium fratris ſui Froilani Regis in ſolio conſtituerunt.* *Æ. 821. Chr. 783*

Vir ſtrenuus.] Sebaſtiano *famoſiſſimus bellator* dicitur, & Pelagio Ovetenſi *multiplici virtutum flore ornatus.*

Et pudicitiæ ſtudioſus.] Inde *Caſti* cognomento honeſtatus, quo omnes illum inſigniunt Scriptores: quid alij? ipſe in privilegio ex lib. Confirmationum regiarũ Ovetenſi. *Ego Adephonſus, cognomento Caſtus, Dei gratia Hiſpaniæ Princeps Catholicus, &c.* nec mirum, cùm teſte

Se-

Sebastiano, *per quinquaginta & duos annos castè, sobriè, immaculatè, piè, ac religiose regni gubernacula gesserit.*

Mauregatus patruus Alph. &c. spurius contra R. Alph. rebellavit, &c.] Pelagius Ovetensis rem perturbatissimè enarrat in editione D. Prudentij Sandovalij, quam, ut emendem, repræsentabo. *AEra 821. Silo defuncto Regina Adosinda cum omni Officio Palatino Adephonsum filiũ fratris sui Froilani Regis in solio constituerunt. Paternos præventos fraude Mauregati patrui sui filij Adephonsi maioris de Servatũ natus, à regno deiectus, &c.* lege *AE. 821. S. d. R. A. c. o. Off. P. A. f f. S. F. R. in solio constituerunt paterno; sed præventus fraude Mauregati p. s. filij Adephõsi maioris, de serva tamen nati, à regno deiectus.* Ipse Alph. AE. 868. quincto Idus Martij idem fassus est monumẽto, sive ut illius temporis mos erat, Testamento, quod in libro Fidei Ecclesiæ Bracarensis servatur, ijsce verbis: *Ego servus omnium servorum Dei, Adephonsus Rex, Froilani Regis Filius, postquam auxiliante Domino Regni totius Gallæciæ, seu Hispaniæ suscepi culmẽ, quod fraude Mauregati* (cuius nomen nescio an alibi præterquàm in vulgaribus Scriptoribus reperiatur) *callida amiserã, & post eius interitum cùm, Deo iuvante, adeptus Regni gubernacula fuissem,* &c.

AE. 823 Chr. 785 *Castro Octaviano prope Barcinonem.*] Hodie *S. Culgat*, nomine gentis illius more paullulùm immutato à S. Cucufate ibidem (ut vetus traditio est) passo; ita volunt Vasæus ann. 306. litt. E. Anton. Vincentius Domeneh lib. 1. de Vit. SS. Morales lib. 10. cap. 2. Ortelius in voce *Castrum*, Pujades lib. 4. cap. 87. Chronic. Gotholau.

S. Maria, Ioseph, &c.] De ijs, ut ingenuè fatear, N. L. aliter tamen in Iulian. Chronic. ann. 700. nominantur, *In Castro Octaviano patiuntur pro Fide Theodulus, & Leontius, & Ioseph Martyres illustrissimi & fortes,* à quo

à quo illi emendandi ſint, non facilè iudicabo.

Hoc anno Helipandus, &c. miſerat Legationem ad Carol. M. & librum, à quo petit vehementer eum legi faceret.] Rem acu tanges, ſi illuſtriſs. Cardin. Baronium legas ad ann.794. vide quæ ſuperiùs ad ann.782. notabamus.

Toletani graviſsimè ferunt iugum Maurorum.] Iulian. in Chron. de Helipando, *ſub hoc Pontifice, Toletani Muzarabes vehementiſſimè paſſi ſunt iniurijs Sarracenorum provocati.* Quot oppreſsionum generibus miſeri Chriſtiani torquerentur paſsim D. Eulogius declamat. Vide quæ nos ad Epiſt. Tractem. *AE. 824 Chr. 786*

Synodus univerſalis ſecunda Nicææ.] Hoc ipſo anno Baron. ex Theophane, Anaſtaſio, alijs. *AE. 825 Chr. 787*

CCCL. Epiſcop.] Pſellus,

Poſtrema ſeptima rurſum facta eſt in Nicæa,
Quinquaginta convenerunt ſupra trecentos.

alij aliter.

In qua interfuit Pantaleo Epiſcop. Valentinus ex Hiſpan. &c.] Diſtinctè de ijſdem Iulian. in Chronic. his verbis: *Septimæ Synodo generali interfuit Epiſcop. Valent. Pantaleo ex Hiſpania, Theodorus Presbyter Badæ, Nicephorus Presbyter S. Mariæ Cæſar-Auguſtanæ, dictæ de Pilari, &c. & Agapius Presbyter & Præfectus Eccleſiæ S. Thyrſi Toleti.* De Pantaleone, Theodoro, Nicephoro, & Agapio quid pronunciem aliud, quã eos inter obliviosa ævi huius obſcuriſsimi ſenticeta adhuc latêre? Hiſpanos huic Concilio interfuiſſe nullus dubito, præſertim cùm verba Impp. Conſtantini & Irenis ad Synodũ in hunc modum Anaſtaſius Bibliothecarius repræſentet, *igitur quoniã à* TOTO TERRARVM ORBE *collegit vos Deus, conſilium ſuum ſtatuere volens, &c. iuſtè iudicate:* de noſtris tantùm apud noſtros memoria eſt. En, habes apud Luitprandum & Iulianum. Sed quid illud

Badæ prope Carthaginem Spartar. nũc vocata est Baga, olim dicta Thiar.] Dexter ad ann. 353. meminit cuiusdã Gratiani Episc. Carthaginiẽsis Hispaniæ, nati *Bagæ prope Carthaginem, quæ dicta Thiar est quondam*; in Notis ad ipsum iam monui, ubi *Baga* sit nondum me reperisse, Βαγα *Vaga* in Ptolemęo, & Plinio, & *Vagense oppidum*, & *Bagensis Episcopi* mentio in Carthaginiensi Concilio, ubi alij *Bagatensis* & *Bagaiensis*; scio etiam oppidũ *Badiam* in Hispania à Scipione apud Valer. Max. lib. 3. cap. 7. circumsessum; pręterea nihil. De *Thiar* amplius, nam inter Illicem & Carthaginem Spartariam Antoninus Vrbem in Hispania constituit.

Moritur degener Rex Mauregatus, &c. sepelitur verò Praviæ.] Pelagius Ovetensis, *Mauregatus, &c. sepultus in Ecclesia S. Ioannis Apostoli in Pravia fuit.* Roder. Tolet. lib. 4. cap. 7. *Deo & hominibus odiosus, &c. praviter in Pravia habuit sepulturam*; sic Lucas Tudensis ann. 788. alij. *Pravia* in Asturijs tempore Pelagij Regis Munũza deleto *populatur*, teste Sebastiano Salmanticensi, exstatque hodie eodem nomine maris portus ad ostiũ fluminis Nalonis sex leucis Oveto distans ad occasum, ut Amb. Morales observavit lib. cui titulum fecit *Sancto Viage*, quem M. S. è Bibliotheca Laurentina habeo.

Abderramen, &c. moritur Cordubæ.] Vasæus ad ann. 787. *Eodem anno mortuus est Abderramen Hispaniæ Miramolinus, & sepultus est in arce Cordubensi*, ex Sarracenorum monumentis, quæ Luitprando consentiunt.

Post annos XXIX. Imp. Sarrac.] Marian. ex ijsdem lib. 7. cap. 7. post mortem Mauregati, *quo anno Abderramanus Maurorum Rex cùm regnasset annis uno de triginta Cordubæ defunctus est.*

Suleiman Rex Toleti fit etiam Rex Cordubæ, &c. & ipse natu maximus.] Ibidem, *Reliquit filias novem, filios undecim, ex his Zuleman natu maximum, quem vivens To-*

leto Vrbi præfecerat, moriens successorem designavit, consentientibus Arabum monumentis.

Moritur admodum senex Turpinus post triginta annos.] Secundo Septembris ann. 811. Episcopatus 42. vel ut putat Flodoardus 47. illum obijsse Georgius Colvenerius, Vir eruditus in Catalog. Episc. Rhemens. putat.

Qui scripsit graviter vit. Caroli M.] Astipulatur Iulianus noster in Chronic. *scripsit Turpinus librum de rebus Caroli Magni (quidam verò eius hostes miscuerunt nonnulla fabulosa) qui servatur in AEde S. Dionysij prope Parisios, satis vetustus.* Quem laudat Vincentius Bellovacensis in specul. Histor. Iacobus de Voragine leg. in comm. anim. Calistus 2. Epistol. ad Monach. Clun. lib. de S. Iacob. Volaterranus lib. 3. Geog. Geneb. ann. 800. Chron. Conradus Gesnerus in Biblioth. Ios. Simlerus in Epitom. Io. Iacob. Phrysius in Amplific. Iustus Reuberus in Collectione Script. Germ. Simon Schardius in sua Germanicarum rerum editione, Io. Trithem. de Script. Eccles. sed immeritò, cùm Turpino, sive Tilpino (ut habet Flodoardus lib. 2. Hist. Eccles. Rhem. cap. 17. & inscriptio ipsius sepulcro ab Hincmaro curata) nulli libri adscribuntur à Flodoardo, Hincmaro, Lupo, Vitaldo, Adelmo, & Theodulpho, gravissimis illorum temporum Scriptoribus, & qui hodie Turpino tribuuntur *ab homine ocioso in iuventutis gratiam scriptus* Papirio Massono lib. 2. Ann. Franc. in Carol. Mag. videatur, *nec à doctis probetur*, teste Io. Molano Not. ad Vsuard. Martyr. 17. Ianuar. Quem *ab homine imperito, ac mendaci scriptum multa arguere*, Ant. Possevinus in Turpino docet; ideò *auctor fabulosus somniorum, ac fabularum vanus contextor*, Baronio dicitur ad ann. 816. nec meliùs à nostro Moralio acceptus lib. 13. cap. 23. quorum iudicio cordatiores meritò subscribunt. Verum est illius versionē in Bibliotheca Regia servari in Gal-

lia, antiqua & penè obsoleta Gallorum lingua, vetustissimisque characteribus, testibus Massone & Possevino; nec Bibliothecæ apud Scoriacum Regiæ, & Ecclesiæ Compostellanæ Turpini antiqua exemplaria deesse ante aliquot annos asseruimus fol. 140. Apologiæ pro Historia rerum Hispanicarum. Vnde non mirum, si hinc occasio laudandi Turpinum aliquot Scriptoribus nata fuerit, qui in hac litterarum luce non cæcutirent: inter hos Luitprandus, in quo progredior,

Posuitque eum Adrianus PP. pro S. Rigoberto.] In Episcopatu nempè Rhemensi: duplex hìc error insedit; Rigoberto Turpinum successisse, idque Adriano PP. curãte. Erroris occasio ex Epistola, quæ falsò Adriano tribuitur apud Flodoard. lib. 2. hist. Rhemẽs. Eccles. c. 12. 16. 17. nata est. Quid de utroque sentiendum, suo more, locupletissimè commonstrat Baron. ad ann. 117. his verbis: *Corrigendus Epistolæ titulus, in quo ponitur Adrianus, cùm longe absint hæc tempora ab Adriani Pontificatu, licèt constet Turpinum ipsum Rhemensem Episcopum, cùm eam Ecclesiam annis quadraginta septem administrasset, ad tempora Adriani Pontificis pervenisse, à quo & precibus Caroli Magni accepisse pallium reperitur. Quod pertinet ad S. Rigoberti successorem non solùm ex epistola* (Gregorij Pontificis, non Adriani, ad Turpinum) *sed & actis vitæ eiusdem liquet à Carolo subrogatum illi Milonem: Quod & Flodoardus testatur in vita Rhem. Episc. ut de ijs nulla dubitatio esse possit. Quamobrem quòd hic Turpinus, ad quem Gregorius dictam scribit Epistolam, Episcopus hoc tempore fuerit (fratrem enim appellat ipsum Pontifex) dicendum est, alterius alicuius Ecclesiæ Episcopum tunc fuisse, ex eaque post Milonem in Ecclesiam Rhemensem esse translatum.* Nisi dicamus Milonem illum, de quo in Epistola Gregorij ad Turpinum mẽtio est, inter Episcopos Rhemenses non posse numerari, cùm *sola tonsura nihil sa-*

 piens

piens de ordine Ecclesiastico dicatur à Pontifice, qui pro Rigoberto à Carolo Martello subrogatus est; & Abelē, qui inter Rigobertum & Turpinū à Flodoardo cōstituitur Rhemensis Episcopus, inter ceteros non numerari ab Hincmaro, *quia etsi ibi constitutus fuerit Episcopus, tamen ibi permanere permissus non sit*, utì observat V. Cl. Georg. Colvenerius Not. ad lib. 2. cap. 16. Flodoardi, & in Catal. Archiep. Rhemens. unde *Turpinus pro Rigoberto positus* fortasse ab Scriptore nostro dictus est.

Paullus Diaconus, Eginartus & Albinus Alcuinus Scriptor. Eccles. &c. florent.] Certè circa hæc floruisse illos tempora certissimum est, Nam Paullus in Casinensi Monasterio *ætate maturus*, ut ait Leo Cardinalis & Episcop. Hostiensis cap. 15. lib. 1. Chronic. Casin. ferè ad usque tempora Abbatis Theodomari, qui circa annum 791. obijt, pervenit. *Eginartus*, *Eginarthus*, sive *Einartus*, ut notat Sigebertus cap. 84. de Script. Eccles. seculi honoribus valè dictis, Monachus Cœnobij Salingestadiēsis ann. 780. florebat, teste Bellarm. de Script. Eccles. quo etiam Alcuinus, qui & Albinus Flaccus etiam dictus, Abbas S. Martini, quem ann. 805. ad plures abijsse Odorannus auctor est; vide Baron. & Possev. AE. 828 Chr. 790.

Adrianus PP. Synod. contra Francf.] Eodem anno Rhegino Prumiensis Abbas lib. 2. Chronic. *anno Dominicæ Incarnationis 714. celebravit Rex Pascha in Franconofurt, ibique congregavit Synodum Episcoporum*, &c. Vide Baron. hoc anno, & quæ ad 782. notabamus. Certè Adrianus PP. Synodum hanc contraxit, quam suæ, hoc est, Apostolicæ sedis Legatorum præsentia beavit; nam sine Pontificis Romani iussu nec Concilium legitimè congregari, necdum verè Cōcilium esse posse apud Catholicos ex maiorum instituto in confesso est. AE. 832. Chr. 794

Helipandus Arch. Tolet. hoc anno Synodum cōtraxit pe- AE. 833. Chr. 795

titione S. Regis Caroli M. &c.] Ijſdem ferè, ut ſolet, verbis Iulianusnoſter in Chronico, quæ hîc vitando tædio non tranſcribam.

Miſitque Helipandus multos libros Gothicos ad Carolum.] Vide notata ad Epiſtolã Luitprandi ad Tractemũdum litt. G.

AE. 834 Chr. 796 *Defuncto PP. Adrian. ſuccedit illi Leo III.*] Hic annus primus aſsignatur Leoni Pontifici à Baronio, Gordonio, alijs, etiamſi ann. 795. ultimus Adriani fuerit.

AE. 831 Ch. 797 *Conſtantinus Imp. coactus eſt ab Irene abdicare.*] Nam *tenuerunt eum* Irene matre volente, *proceres & in Chelaudium deducto eo, Sabbato mane venerunt ad urbem, & concluſerunt eum in domo Porphyrÿ, in qua & natus eſt, & circa horam nonam crudeliter & inſatiabiliter oculos eius evellunt, ita ut mors ſubſequens confeſtim extingueret conſilio matris ſuæ, & conſiliariorum eius*, teſte Theophane, graviſsimo illius temporis Scriptore; Abdicationem Imperij à filio ab Irene expetitam, excæcationem præter eius mentem accidiſſe Zonaras & Cedrenus volunt, vide Baron. hoc anno.

Quæ regit imperium cum multa laude.] Inſigne de Irenis laudibus teſtimonium dedit Theodorus Studita lib. 1. Epiſt. 7. quæ ad Irenem eſt, in qua inter alia, ex Iac. Sirmondi viri eruditiſsimi verſione, *Hæc non ſolùm quà patet imperÿ tui poteſtas, ſed ad ipſos uſque orbis terræ terminos celebrabuntur, audientque de nobis exteræ gentes, & mirabuntur, & obſtupeſcent ſapientiſſimarum actionum tuarum felicitatem, &c. ita conſervatur inconcuſſum imperium tuum, ita cedunt & libenter obediunt tibi ſubditi, hac arte Deum colis, hac electos Dei Angelos lætificas, ita & illos, qui ſanctè & iuſtè vitam ducunt, Irene divinum nomen, in his pietas tua elucet, in his os omne & lingua in laudes tuas aperitur. Hæc vera eſt gloria Eccleſiæ: hoc ſigillum aſſertæ in te paternæ, & divinitùs inſpiratæ Chriſtianorum*

Fi-

Fidei Orthodoxæ, vindex Dei, & veritatis propugnatrix.

Corpus S. Iacobi Zeb. F. quod ubinam tumul. iacer. multos annos pen. ignorabatur, à Theodomiro, &c. divinitùs patefit.] Historia Compostellana M.S. *in toto tempore Sarracenorum, & longo etiam tempore post restitutionem fidelium veneranda B. Apostoli tumba nullius Christiani accessu frequentata fruticum, silvarumque spissitudine mansit diutissimè cooperta, nullique usque ad tempus Theodomiri Iriensis Episcopi fuit revelata, aut cognita*, Historia Iriensis Gallæcorum linguâ scripta, quam etiam manu exaratam habeo, de Theodomiro ultimo Iriensium, primo Compostellanorum Præsulum; *O dito Bispo por si mismo viù as ditas candeas luminarias, i oiù os ditos cantares* (cælestia hæc signa præcesserant) *è po la gracea de Deus entroù en a espesidue do monte, i achò una casiña pequena de arcos de marmores, è dentro una tumba de moimento mui bò. A qual asi achada deù muitas graceas à Deus, è lancouse en oraçon, i en jeiun, è foìlle revelado, que era alì sepultado o corpo do Apostole Santiago Zebedeu, que avia oitocētos anos, que alì iacia escondido naquel monte è silvas è matos*: Alphonsus, cognomento Castus in privilegio Theodomiro concesso AEra 867. *Concedimus huic B. Iacobo Apostolo, & tibi patri nostro Theodomiro Episcopo tria millia in gyro tumbæ Ecclesiæ B. Iacobi Apostoli, huius enim Beatissimi Apostoli pignora, sanctissimum, videlicet, corpus revelatum est in nostro tempore*, &c. sic ceteri rerum Hispanicarum Scriptores. AE. 837 Chr. 799

Venerunt in auxilium Regis Alphonsi, cognomēto Casti, quidam Duces.] Ex Gallia nimirùm; sic omnium traditio fert. Nec mirum, cùm *adeò Alphonsum Gallæciæ, atque Asturiæ Regem sibi* Carolus M. *societate devinxerit* (teste Eginhardo in illius vita) *ut is, cùm ad eum litteras, vel Legatos mitteret, non aliter se apud illum, quàm propriū suum appellari iuberet*: tanta Catholicorum pectorum uni-

unitas! Sed de hoc auxilio distinctè Paullus Æmilius in Carolo Magno: *Ex Hispania lætior nuncius subsequutus est. Adelphonsus Asturiæ Gallæciæque Rex ope novorum ex Francia auxiliorum Barbaros fuderat, fugaratque, &c. Carolus conventum Aquisgrani sociarum civitatum gentiumque habuit. Quo Adelphonsi Asturum Regis Oratores cùm pervenissent, opulentamque de Sarracenis prædam in conspectum Regis protulissent; Legationis Princeps, Tui, inquit, milites, Rex invicte, tui Duces hæc cœperunt spolia; Hæc sunt hostium tuorum, quia Christi hostes sunt, exsuviæ. Vrbes procùl expugnatæ, insulæ receptæ, Hispania propè omnis religioni reddita; Felicitate auspicijsque tuis vincimus, &c.* sed quinam in auxilium missi à Carolo sunt?

Comes Cenomanensis Rolandus.] Sic illum vocat Turpino adscriptus libellus de vita Caroli M. & Rolandi cap. 21. etsi fabulosi Scriptoris, *Carolus præcepit carissimis suis Rolando nepoti suo Cenometiensi* (lege *Cenomanensi*, in Gallia nempè Narbonensi, hodie *Pais de Maine*) *& Blaviensi Comiti, & Oliverio Gebennensi Comiti*, &c.

Frater Adelardi, cognomento Genesij.] Vt Adelardus *consobrinus* à Ratberto Caroli M. Rolandus à libelli Turpino tributi scriptore *Nepos* vocatur. Vide ann. 782. Iulianus noster in Advers. distinctè de Rolandi & Genesij parẽtibus, *Milo Anglicus, dictus Bernardus, frater Magni Pipini, duxit uxorem Bertam filiam fratris sui Pipini, ex qua genitus est Genesius, Rolandus, & alij duo fratres, & duæ sorores.* Vid. Arnaldum Vvion in ligno vitę, F. Melchior. de Huelamo in vita S. Genesij (ut vocant) *de la Xara*, & Franciscum Cascales cap. 7. Discurs. 1. hist. Murgitan. ubi de ijs latè.

Et Anselmus Comes Palatinus.] A Roder. Tolet. cap. 10. lib. 4. *Rolandus & Anselmus Comes* etiam unà memorantur; an hic ille est Anselmus, quem *Cavillonensiũ Comitem* vocat Paullus Æmilius in Ludovic. Pio, & Ca-

Carolo Calvo? certè tempore etiam Caroli M. floruit; alius nunc non occurrit.

Qui postulaverunt corpus S. Leocadiæ virg. & M. Tolet. que civis.] De qua ad ann. 300. Dextri pluribus egi, quæ hîc non inculcem.

Toleto delatum Ovetum.] Cùm nimirùm *Vrbanus Sinderedi* in Ecclesia Toletana *successor arcã reliquiarum, & scripta B. Ildephonsi, & Iuliani, & vestem sacram, quam B. Virgo dederat Ildephonso, cùm iam videret in Hispanijs destructionem Ecclesiæ & populi Christiani, ad Asturias dicitur detulisse, & de loco in locum, ut persecutio exposcebat, à fidelibus ferebatur*, ut verbis Roderici Toletani lib. 4. cap. 3. dicam. Vid. ann. 717. Inter ceteras sanctorum reliquias Toleto ad Asturias translatas, etiam S. Leocadiæ corpus fuisse, ut certissimum probat Ambr. Morales lib. 13. cap. 38.

Delatum est ad vrbem Suessionum & post, &c. à quodam Comite Montis Henao, &c. ad Cellense monasterium S. Gisleni, &c.] Iulianus noster in Adverſ. veritati ope M. S. unici & optimi nostri restitutus quasi manu ducit. *Comes Bernardus, aliàs Milo de Angleris venit in Hispaniam cum filio Abdalardo* (*Adalhardum* incertus, sed vetustus Scriptor annalium Francorũ a Pithæo editus ad ann. 809. vocat, *Adalardum* Monachus Cœnobij Egolismensis S. Eparchij in vita Karoli M. *Adelardum* Trithemius) *cognomento Genesio, Abbate Corbeiensi, & Episcopo quondam Lugdunensi, recteque Regem Adelphonsum, dictum Castum, adiuvit, ab eoque Comes Andegavensis cum Comite Genesio corpus S. Leocadiæ suscepit, quod tunc erat Oveti, &c. & in Gallias illud detulit ad Suessiones, & rogatu Monachorum Benedictorum S. Medardi, in eorum Cœnobio reliquit. Constat hoc ex historia Nithardi Historici, Caroli M. nepotis, viri doctiss. inde anno Domini 901. Comite Flandriæ procurante translatum*

tum est ad Monasteriũ S. Gisleni, in Cella Hannoniæ, &c. Singillatim Luitprandum cum Iuliano, ut uterque illustretur, comparemus. Luitprandus,

Delatum ad Vrbem Suessionum.] Iulianus *in Gallias illud detulit ad Suessiones* (Galliæ Belgicæ populos Cæsari, hodie *Soisson* teste Mariano) *& rogatu Monachorum S. Medardi, &c.* quod Nithardi testimonio confirmat, cuius verba è lib. 3. hist. *De dissensionibus filiorũ Lodhuvici Pij*, ut de horum Scriptorum, quos illustratũ imus, fide constet, simulque de rebus S. Leocadiæ concivis ac Patronæ nostræ locupletior exstet notitia, libenter transcribam. Eccilla. *Cùm* (Karolus) *Suesionicam peteret urbem* (sic Luitprandus *urbem Suesionum* vocavit) *Monachi de S. Medardo occurrerunt illi deprecantes, ut corpara SS. Medardi, Sebastiani, Tiburcij, Petri & Marcellini, Marij, Marthæ, Audifax, & Abacuc, Onesimi, Meresine, & LE[CADIÆ, Mariani, Pelagij, & Mauri, Floriani cum sex fratribus suis, Gildardi, Sereni & Domini Remigij Rotomagorum Archiepisc. in basilicam, ubi nunc quiescunt] & iam tunc maxima ex parte ædificata erat, transferret. Quibus acquiescens inibi remansit, & ut postulaverant, beatorum corpora proprijs humeris cum omni veneratione transtulit.* Sic edidit Cl. V. Pet. Pithoeus, quo animadvertente, *Hic locus in vet. ex. emendatus est recentioris librarij manu, qui videtur quædam delevisse, alia in textu, nonnulla in margine addidisse, ut ea, quæ inclusa sunt his notis [] & verò quædam deesse manifestum est.* Ita certè est, sed Deo O. M. gratias æternùm Toletani referamus necesse est, pro ijs vestigijs integri nominis civis nostræ in tam inconcussæ auctoritatis Scriptore tandiu conservatis; ut obscura adhuc veritas tandem elucescat; præsertim cùm huius translationis mentio apud Belgas notissima sit. Io. Molanus, qui omnes illorum schedas, ut sancto-

ctorum memorias manifestaret, diligentissimè pervolutavit, in Additionibus ad Vsuardi Martyrol. 1. Iunij *ipso die, translatio corporis S.P.N.& S. Sulpitij Episcop. & Confess.& beatæ Leocadiæ virginis.* Redeo ad Luitprãdum, qui,

Et post centum annos] Iulianus *anno Dom. 901.* agebat de ijs Luitprandus ad finem ann. Dom. 799. à quo ad ann. 901. vtriusque summa annorum exactè colligitur. Luitprandus,

A quodam Com. mont. Hen. in Hannonia.] Iulian. *Comite Flandriæ procurante.* Hannoniam Belgicæ regionem esse nullus dubitat, cuius descriptionẽ repræsentat Lessabæus in sua Hannonia; sed an voces illæ *Henao*, sive ut Galli proferũt *Henault*, Teutones *Henegour*, sive Belgæ *Hainau*, & *Hannonia* antiquæ sint, nec ne; non satis compertum est. Ortelius *antiquas non esse, non ignorat.* Certè in schedis antiquis, quas è manuscriptis dedit diligentiss. Pithoëus, ni malè auguror, vestigia horum nominum apparent, cùm in divisione, *quam Karolus de eodem regno sibi accepit* (fol. 378. Pit. edit.) lego *in Brachanto Comitatus IIII. Cameracensium, Hanioum, &c.* quæ si correctiora essent, vel nondum deperdita quæ lib. 4. Nithardi deesse scimus, maior certè notitia illorum esset. Scio quæ de ijs vocibus vir ingenio & eruditione sine controversia magnus, Io. Goropius in Orig. Antuerp. suo more, comminiscatur; certiora tamen puto, quæ Hubertus Thomas Leodius Tract. de Tungris & Eburonibus publicavit, sed de his satis. Pergo in Luitprando, & à Comite Hannoniæ, sive *Henault*, qui suppetiatum Alphonso venerat, corpus S. Leocadiæ translatum in Belgiũ fuisse, antiquissimã populorum traditionem fuisse cõstanter proclamo. Belgas omnes in testimonium advoco, à quibus accepit vir pius & diligens Michael Hernandez S. I. Sacerdos,

cùm Philipi II. Prudentis iuſſu auſpicijſque illuc ſanctiſſimi corporis exſuvias Toletũ poſtliminij iure tandem reduces portaturus adijt ann. Chriſtiano 1583. teſtatusque eſt lib. quo omnium, quæ ab initio ſuæ in Belgium profectionis ad felicem in patriam reditum acciderunt, rationem reddidit; ſimulq; Franciſcus Piſa cap. 9. hiſt. S. Leocadiæ, quam ſuæ de reb. Tolet. hiſtoriæ adiunxit; nec aliter Villegas, Rivadeneira, alij.

Ad Cellenſe monaſt. S. Gisleni.] Molanus de hoc appoſitè Indicul. SS. Belg. de S. Gisleno, qui *Angelica monitione commigravit ad pagum Hainau, ubi haud procul à Caſtri loco, in Vrſidungo conſtruxit oratorium & monaſterium, quod nuncupavit Cellam Apoſtolorum; hoc eſt, ut idem repetam vocibus noſtri temporis, in Comitatu Hannoniæ haud procul à montibus Hannoniæ abbatiam exſtruxit, quæ ab ea S. Gisleni dicitur, quæ prima eſt totius Hannoniæ, ſita in oppido, quod ab eodem ſancto nomen habet.* De *Cella*, & *Cellenſi monaſterio*, vid. Ortelium in *Vrſidunum.*

Æ. 838. *Hic annus Felix, &c. Carolo M. regente Romæ Imperi*
C. 800. *Occid.*] Nam hoc anno Romam Carolus venit. Incertus, ſed vetuſtus, Scriptor annalium Francorum, quem dedit Pithæus ad ann. 800. *Rex* (Karolus) *inde* (Turone) *reverſus propter Leonis PP. cauſſam Romam proficiſcitur, ibique hyemavit.* Tunc à Pontificia auctoritate coronâ imperiali inſignitur, Anaſta. Bibliothec. *Tunc venerandiſſ. almificus Pontifex manibus ſuis proprijs pretioſiſſima corona coronavit eum* (Carolum) Vid. Sigon. Geneb. Baron. & Gordon. hoc & ſequenti anno.

Æ. 839. *Collecta eſt &c. Synod. Salisburgenſis*] Inferioris æui
C. 801. Concilia, quæ exſtant Salisburgi habita, fuiſſe cum viris doctis puto. De hoc alij iudicent; fortaſſe illius memoria apud Scriptorem hunc, utì apud alios accidiſſe ſcimus, tantùm remanſit, aliubi aliquando uberiùs haurienda. De alijs vide Henricũ Caniſium tom. 1. Antiq. lect.

Moritur Constantinopoli S. Patriarcha Tarasius.] Eodem anno Cedrenus, Zonaras, Nicephorus, in Chronic. Ignatius Monachus, qui illius vitam scripsit. Vid. Baron. & Gordon. Æ.844. C. 806.

Acerrimus Fidei defensor.] Nempe *post plurima certamina, & profundum doctrinæ infinitum, & vitæ honestæ puritatem, & veræ Fidei confessionem, &c.* Teste eodem Ignatio. Vid. Act. secundæ Nicenæ Synodi.

V. Kal. Martij.] eodem die Tarasium celebrãt Græci in Menol. Latini in Martyrol. Vid. Lipom. Tom. 5. & Surium Tom. 1.

Hoc anno contrahitur Synodus ad Vill. Theodonis.] Quo etiam anno assignant annales Francorum, ex his Baron. & Gordonius.

Notingus Episc. &c. floret.] Annè hic *Notingus*, qui *Brixiensis Episcopus* ab Anastasio Biblioth. *destinatus ab Impp.* cum alijs Romam ad Conciliũ generale circa ann. 853. tẽpore Leonis IV. P. M. dicitur; quiq; ipsi Cõcilio septimo loco *Notingus Brixiensis* subscripsit? Fortassis; nam qui florebat ann. 807. benè ad ann. 853. poterat pervenire: in Hermani Contracti Chronico ad ann. 930. *Notingus Constantiensis Episcopus obijt.* non delibero. Æ.845. C. 807.

Hoc anno Helipando Arch. Toletano, &c. sanctè mortuo sufficitur Archidiaconus eius Gumesindus.] Iulianus. *sanctè moritur Helipandus Archiepiscopus Toletanus, verè pœnitens, cui successit Gumesindus Archidiaconus Toletan. vir egregiè pius, &c.* consentientibus omnibus Ecclesiæ Toletanæ Catalogis. Æ.846. C. 808.

Hoc ann. Synod. Aquisgrani.] Eodem anno Annales Francorum à Pithæo dati, *Imperator de Arduene Aquisgranum reversus mense Novembri Concilium habuit, &c.* Vid. Baron. & Gordon. eodem ann. Æ.847. C. 809.

Multi ex Hispania &c. pressi iugo Sarracenorum, &c. Æ.853. C. 815.

Gal-

Gallias confugiunt.] Copioſiùs, ſuo more, Iulianus noſter in Chronico, *Multi ex Chriſtianis præſertim Toletani, cùm non poſſent ferre Maurorum moleſtias & inſolentias ex conſilio Gumeſindi Archiep. Toletani, & cum eius litteris ad Ludovicum Pium Aug. &c. ob metum confugerent, quos acceptos benignitate regia, domibus, vrbibus, & multis prædijs, ex quo viverent, ille donavit.* Inſignem verè Pij Imperatoris erga extorres & miſeros pietatem etiam hodie comprobat duplex Reſcriptum, quod ex Archivis Metropolitanæ *Narbonenſis Eccleſiæ* primus (quod ſciam) dedit Clariſſimus Pithœus in ſua Annalium & Hiſtoriæ Francorum editione à fol. 288. ad 296. ab eoque tranſcripſit Baron. ad ann. 815. (in quem annũ hæc reijcienda ſunt, nam ann. 808. nondum è vivis exceſſerat Carolus Magnus Ludovici P. ſed in Luitprando tumultuariò ſcripta, cùm nulla de ijs poſtea Impp. mentio in ipſius Chronico ſit) itaque ſuo ego loco reſtitui. In utroque titulus eſt. *Hoc eſt præceptum remiſsionis ſeu cõceſsionis, quod fecit Ludovicus Imperator Hiſpanis, qui ad ſe confugerant.* Et poſtea, *Sicut nullius veſtram notitiam effugiſſe putamus, qualiter aliqui homines propter iniquam oppreſſionem & crudeliſsimum iugum, quod eorum cervicibus inimiciſſima Chriſtianitati gens Sarracenorum impoſuit, relictis proprijs habitationibus & facultatibus, quæ ad eos hæreditario iure pertinebant, de partibus Hiſpaniæ ad nos confugerant, &c.*

Hoc anno Comes Sueſſonenſis ab Alph. impetrat corpus S. Leocadiæ.] Vid. quæ ad ann. 799. iam notavi.

Æ.855. C.817. *Hoc anno cogitur in Germ. Synod. Aquiſgran.*] Eius extant hodie capitula inter illius aliorumq; leges Eccleſiaſticas fol. 339. à viro docto editas ann. 1588. cum hac inſcriptione, quæ Luitprandi ſupputationi conſentit, *Anno incarnationis D. N. IESV CHRISTI 817. Im-*

Imperij verò gloriosissimi Principis Ludovici IV. VI. Idus Iulij, cùm in domo Aquisgrani Palatij, quæ Lateranis dicitur, Abbates cum quampluribus vnà suis resedissent Monachis, &c.

Carthagine Spartaria, &c. memoria S. Abb. & Episcop. Abelardi, &c.] Vide sodes quæ ad ann. 799. dixi, & dicam ad ann. 826. Æ. 856. C. 818.

In honore præcipuo habetur per Hispanias Epistola Catholica S. Iacobi Zebedæi filij.] Multis id assertum primus ivi ante sexennium in Apologia pro Dextro Madridij; data à fol. 136. ad 43. quem cùm alij ferè ad verbum expilassent tacitum, ut Lavernarum, qui deprehẽ-in plagio malũt, quàm mutuum reddere, moris est, prætermisêre. Pluribus postea Commentario ad Dextrum ann. 37. quæ non repeto, tantùm quæ in rem.

Hinc Dexter.] Ad ann. 37. *Iacobus, &c. multi ibidem Iudæi convertuntur ex Duodecim Tribubus, &c. quibus & ibi tunc prædicavit, &c. præcipuè Canonicam illis mittit Epistolam, quæ sic incipit: Iacobus Dei & Domini nostri servus duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione, &c.* & ann. 41. cùm de nostro Iacobo ageret, *anno verò quarto Iacobus Epistolam scripsit.*

Maximus.] In illius Chronico non invenio; in Additionibus verò ad illud nomine Helecæ Cæsaraugustani est, *Epistola Iacobi Zebedæi missa ad Hispanos ex dispersione Iudæos iam conversos.*

Isidorus.] Cap. 17. lib. de Obit. PP. *Iacobus filius Zebedæi frater Ioannis, quartus in ordine duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione Gentium scripsit, &c.* De cuius libri auctoritate latiùs disserui Novit. 8. Apolog. pro Dextro.

Et habetur in Missa S. Iacobi ab eius discipulis incœpta, à Melantio & alijs aucta.] Iulianus distinctissimè in Adversarijs, *Audivi à Magistro meo & Domino D.*

Pas-

Paſchali Toletano Archiepiſcopo, dixiße S. Leandrum Gregorio, Epiſtolam Canonicam (quæ ſub nomine S. Iacobi circumfertur) eße Iacobi Maioris; & cùm S. Gregorius Papa legiſset neſcio quæ apud S. Hieronymum, (quem meritò multùm reveretur E. S. R.) quæ legerat etiam ſæpe Leander, ſed intelligebat S. Doctorem eius rei non plenam habuiße cognitionem, ſed ſequutus erat, quæ legerat apud Euſebium (cui ille nimis addictus fuit) S. Gregorium reliquiſſe fecit in medio, & numquam vocat illum in Epiſtolæ citatione Iacobum Fratrem Domini, aut Minorem, nec Maiorem, ſed ſæpiùs [ſicut ſcriptum eſt] dicit: Nec multò pòſt, *Dominus Bernardus Archiepiſcopus Toletanus illuſtravit Epiſtolam S. Iacobi, quam probavit compoſitam eſſe à S. Iacobo Zebedæi filio, tranſmiſſam verò Iudæis converſis ex duodecim Tribubus diſperſis per Hiſpaniam.* Deinde, *Miſſa Muzarabum S. Iacobi loquitur de Iacobo Zebedæi, & eius dicit eſſe Epiſtolam Canonicam.* Tandem, *Miſſam S. Iacobi incœptam ab eius diſcipulis auxit Eugenius Evangelio Epiſtolaque; pòſt D. Iſidorus & alij; ubi ponuntur nonnullæ Epiſtolæ, quæ Maioris eſt Iacobi, ut ſemper in Hiſpania traditione ſcitum eſt. Illam incœpit perficere S. Melantius Tol. Archiep. Epiſtolam; Honoratus, Pelagius, Audentius, Olympius, Gregorius Toletani Pontifices tamquam Maioris Iacobi cenſuerunt habendam, & multis commentarijs inſigniter illuſtrarunt.* In Chronico verò de Iacobo Maiori, *qui duodecim Tribubus in Hiſpania conſtitutis, ut docet Sophronius, prædicavit, & Epiſtolam Canonicam ſcripſit, vt docet Iſidorus; & ante eum alij celebres Scriptores Hiſpani, quorum fuit eo ſeculo communis opinio, vt Miſſa S. Iacobi a S. Iſidoro promulgata, à Melantio addita, aucta verò a S. Serrano Aſturio; manifeſtiſſimè teſtantur & alij.* Sic Alphonſus Hiſpanorum Rex, cognomento *Sapiens*, libro vernaculo, cui titulus *Theſaurus*; ſic Editio Syriaca à C. Vvitmaſtadio curata; vt ea, quæ à Tremellio, apud

Se-

Serarium in proleg. Bib. prol. 3. Sic Arabica apud Gasparem Sanctium tract. 3. de profect. S. Iacobi in Hisp. c. 12. Sic Sixtus 3. P. M. Epist. de malis doctorib. tom. 5. Biblioth. Dãthes Aligerius Cant. 20. Paradis. Christophorus Landinus in illum, Sebastianus Forra Augustinianus 2. part. disc. præd. fol. 20. Sic Iacobus Philippus Bergomas lib. 8. suppl. Chronic. ann. 47. Anton. Honcala Canonicus Abulensis Comm. in Genes. cap. 21. Antonius Caracciolus Clericus Regularis Controv. 1. de Accessu D. Iacobi ad Hisp. fol. 132. Didacus Daza S. I. Proleg. Comment. in hanc Epistolam, §. 3. 4. 5. 6. Ioan Mariana tract. de advent D. Iacob. in Hisp. & Scholijs in eandem Epistolam, Cornelius à Lapide comm. in Epist. Canon. prooem. Epist. 5. Canon. Gaspar Sanctius tract. 3. de profect. D. Iacob. in Hisp. ex eadem Societate viri gravissimi à sententia nostra non abhorrent: sic alij de quibus nos suis locis, ut hinc Ioan. de la Puente lib. 4. Convent. Monarch. cap. 18. §. 3. Mart. Carrillo fol. 39. Ann. Chron. & Io. Calderon prooem. primæ editionis Dextri fiat hac super re satis.

Vbi citantur testimonia huius Epistolæ] in Canone, in Oratione, alibi.

Quæ Missa toti Hisp. & Galliæ Narb. communis fuit.] De qua Mariana 7. cap. 20. 9. cap. 8. Garivai 11. cap. 20. Moral. 9. cap. 7. Pisa 3. cap. 22. Alphons. de Castro 1. de iusta hæret. punit. cap. 7. Alvarus Gomet. 2. de reb. gest. Franc. Card. Ximenij, Alcocer, Ortiz, Robles, alij.

Quam videre non potuit Eus. Cæsariensis, & ideò Hierosolym. ut notiori illam attribuit.] Imò ipso nascentis Ecclesiæ initio, nõnulli cuius illa fuerit addubitarunt, testibus eodem Euseb. 2. hist. cap. 22. & ex eo Hieronym. de Script. Eccles. cap. 2. Iulianus iterum in hanc

rem vocandus ad ann. 472. *Mirabilis est per id tempus memoria S. Pontificis Audentij Tolet. &c. qui Commentarios elegantes edidit in Epistolam S. Iacobi Canonicam, quam dicit esse Iacobi Zebedæi filij; quod ex commentarijs Serrani, Olympij, Melantij, & aliorum eiusdem esse tradidit; Quamquam Eusebius, homo Græcus & ab Hispanis longè remotus, aliter videtur sentire; Epistola hæc missa est ad Tribus per Hispanias totas longè dispersas.*

Nicander Poeta Hisp. Toleti floret.] Iulian. in Chronic. *Nicander Poeta Toletanus in Hispania in pretio habetur.*

Erthinodus Monachus Gothus Augustinianus in Cislæ Tol. mon. ut Martyr in pretio habetur.] Iulianus in Chron. *Erthinodus, cognomento Gothus, ex Ordine Augustinianorum, ex humili & abiecto loco ad honoratiorem elevatur Toleti.* De quo plura Amb. Moral. lib. 12. cap. 66. Iosephus Pamphilus Episcop. Signinus in Chron. Ord. Eremit. Ioan. Marquez cap. 11. §. 2. 3. Orig. Frat. Erem. S. August. Abraham Bzobius ad ann. Christi 1265. num. 11.

In Cislæ Tol. monast.] M. Maximus in Chronic. ad ann. 552. *Monasterium Cislæ S. Augustini ab Athanagildo Rege Vvisigothorum Toleti ædificatur*; de quo Iulian. libello de Eremitorijs, Iosephus de Siguença lib. 1. cap. 13. Chron. Hieronym. Ludovicus de Angelis lib. 4. de vita & laudibus S. August. cap. 20. I. Marquez cap. 11. orig. Eremit. S. August. Nos cap. 10. de reb. Tolet.

Vt Martyr.] Probat Marquez §. 3. eiusdem capitis.

S. Stephano V. succedit, &c. Paschalis.] Anno præcedēti reponunt ex Anastasio, & alijs Geneb. Baron. & Gordonius.

Gratiosus Episc. Raven. &c.] De quo vide Demechar. & Sigon. Æ.858. C.820.

Dum S. Abdelardus, &c. erat in exsilio.] Per septenniū exsulasse Abdelardum testis est Paschasius Ratbertus in eius vita. Æ.864. C. 826.

Apud Carthaginem Spartariam.] Iulianus lib. de Eremit. Hisp. *Eremitorium S. Genesij Abdelardi ad littus Chartaginis Spartariæ.* Et in Chronic. *Abdelardus &c. exsulat, &c. prope Carthaginem in Hispania.* Probant Scriptores nostri Franciscus Cascales cap. 7. rer. Murgitanarum, sive Carthaginensium, Melchior de Huelamo de vit. & miraculis S. Genesij *de la Xara.*

In insula Ero.] *Herum* vocat Ratbertus in vita Adelardi; sed an hanc nostram intelligat, nondum divino.

Nunc Grossa dicta.] Ita est, Franciscus Cascales cap. 8. rer. Carthag. illius terræ marisque tractum eleganter describens, *A essotra parte de la torre en la Mar maior parece la Isla Grossa, ladronera de Cosarios.*

A Machometo Toleti rege ædificatur mirus pons super Tagū ad colum. S. Leocad.] Iulianus, *A Machometo Rege ædificatur mirus pons super Tagum flu. in alveo, qui dicitur S. Leocadiæ*: à multis in controversiam verti non semel animadverti, utrum pons, qui olim nuncque de *Alcantara*, Toleti dicitur, idem cum alio, cuius ruinæ non procul distant, olim fuerit. Mihi semper diversum fuisse utrumq; persuaserunt diversi utriusq; usus, illius communior, hic privatus, & Arcis tantùm regiæ rebus necessarius. Historiæ nostræ pro me stant, è quibus sub ann. 738. à Miramamolino Hispano Maurorum Rege pontem hunc Tago impositū scimus, ut à Machometo sive Mahomat anno 844. destructum; sic volunt Garivaius lib. 36. cap. 20. & lib. 37. cap. 6. & Pisa lib. 1. Æ.866. C. 828.

cap.11.ſed Luitprandi, Iulianique auctoritas ceteris præhabenda eſt.

Æ.868. *Gumeſindo,&c. ſuccedit in ſede Vviſtremirus, &c. ſedet*
C.830. *ann.XXIIX. ſub gubernatore civ. Tolet. Ambrozio.*] Iulian. hoc ipſo anno copioſiùs, *Vviſtremirus Gumeſindi Tolet. Pontif. Archidiaconus, patria Toletanus, ex genere Gothorum pro Gumeſindo mortuo, & in Æde S. Iuſtæ ſepulto ſufficitur; ſedet in Toletana Primate ſede ann.28. ſub Ambrozio Toletano Rectore.* In omnibus Catalogis Eccleſiæ Toletanæ Vviſtremirus Gumeſindi ſucceſſor legitur; ſic in Blaſij Ortizij, Alcocerij, Loaiſæ, Piſæ, & aliorum.

Gubern. civ. Tol. Ambrozio.] De quo Rud. Toletan. in Arab. hiſt. Chronic. generale part.2. Alcocer cap. 53.lib.1. Vaſæus ad ann.809. Gariv.lib.37.cap.3. Marian.lib.7.cap.12. Piſa lib.3.c.6. alij; illius hodie memoriam conſervat *Mazar-ambroz*, oppidum Toletani tractus non ignobile, illuſtriſsimi genere geſtiſque GARSIÆ PEREZ DE VARGAS familiæ noſtræ, uti Hiſpanici roboris ornamenti, cultu olim nobilitatum, quaſi *Ambrozi; Magalia*, ſive ut Arabes dicunt, *Maquiala*, aut ut Hebræi pronuntiant מְעָרָה *Meharah*, ſive *Megarah*, aut, ut eſt in vulgata Ioſuæ cap.8. 5. *Maara*; & ſi D. Hieronym. in Nom. Hebraic. Ioſ. *Speluncæ Maaroth* ſint, quod eòdem recidit.

Æ.870. *Erigitur Toleti Academia,&c.*] Iulian. circa eadem
C.832. tempora, *Erigitur Toleti Academia Philoſophiæ & Medicinæ, & Aſtrologiæ, concurrentibus eò totius Hiſpaniæ celeberrimis Philoſophis, & Aſtrologiæ peritis, Mediciſque.* Non mirum ſi quam Imperij ſedem volebant, ingenuarum artium cultura florentem vellent etiam Arabes.

---- *Quo exſultans Toletum culmina cœlo*
Condit, Cecropijs nec iam concedit Athenis:

Nam-

Namq; huc commigrant Nisa atque Helicone relictis
Castalides Divæ, Ilyssi doctisque fluentis
Posthabitis, sacras Toleti condere sedes
Instituunt. -------

Vt verbis dicam elegantissimi Alvari Gometij, in Silva, cui titulus *Naiades*, de nova Cathedrarum in Toletana Academia erectione.

In territerio Zamorensi oppido Albugensi floret, &c.] Iulian. in Chronic. *In territorio Zamorensi, loco Albugensi, S. Seculina Virgo, Monialis S. Benedicti, multorum Virginum mater floret;* de qua apud alios nec γρῦ. Æ.874. C.836.

Alvarus & Isidorus fratres S. Eulogij, &c. ad Baioariam exsulant.] Ipse Eulogius Epistola ad Vviliesindum Pampil. sedis Episcop. *Cùm dira seculi fortuna, quæ fratres meos Alvarum & Isidorum ab genitali solo abducens, penè in ultiores Togatæ Galliæ partes, apud Hludovicum Regem Boioariæ exsulare fecit, &c.* Iulianus eisdem ferè, quibus Luitprandus, suo more verbis; Alvarus Cordubensis eiusdem exsulij meminit in vita Eulogij. Æ.876. C.838.

Theodomirus Monachus Benedict. Episc. Callagurrit.] Iulian. ibidem, *Theodomirus Monachus Benedictinus, post Episcopus Callagurritanus, mirè floret, & ut vir doctissimus habetur.* Æ.876. C.840.

Claudio Taur. Episc. scribit.] Catholicus nimirùm Hagiomacho & Iconoclastæ, qui Theodomiro se iterum opposuit: Ionnas Aurelianensis, qui etiam Claudij pe. versa dogmata refutavit, utriusque meminit, lib. de Imag. *Sed quàm pestiferum dogma, & ab Ecclesiæ auctoritate abhorrens in plebem sibi transfuderit commissam, libellus, quem ad Theodomirum venerabilem Abbatem se, caritate imperante, corrigentem, eumque à superstitiosa doctrina avertere volentem, scripsit, eũdem legere & nosse volentibus, patenter demonstrat.*

Hoc

Æ.882. *Hoc anno fit Iudex Muzarabum Gundericus.*] Iulian.
C.844. eod.ann. *Hoc anno fit Iudex Toleti Muzarabum Gundericus filius Gunderici,&c.*

Æ.884. *Martinus Marini R.P. frater floret in Gallæcia.*] Iulian.
C.846. *Martinus Hispanus frater Marini Papæ ex Gallæcia floret;* Nova hæc multis videbuntur, ideò pluribus tibicinibus in Hispaniæ honorem, simul ut alij utriusque Scriptoris loci enucleentur, fulcienda. Idem Luitprandus ad ann. 882. *Marinus Colũbi filius Matre Hispana ex Gallæcia, ex Diacono Cardinali consecratur Papa.* Omnia vera. Onuphrius Panvinius de Romana & Ecclesiastica historia optimè meritus, quiq; in rebus ad Põtifices & Cardinales pertinentibus ex antiquissimis Rom. Pont. Registris, libris provisionũ, sive cõsistorialibus, Cãcellariæ Apostolicæ, alijsq; S.R.E. monumẽtis eruẽdis omnium diligentiã superavit, in Rom. Pontif. ad ann. 882. vestigia opinionis huius nondũ pervulgatæ videtur reliquisse, ijsce verbis. *Marinus Palumbi Presbyteri* (*ex legitimo ante Sacerdotiũ matrimonio,* ut notat Petrus Opmeerus in Oper. Chron. fol. 356.) *filius, Gallæsianus, Tuscus, S.R.E. Diaconus Cardinalis Imp. Cæs. Carolo 3. Aug. sedit ann. 1. M. 2. D. 28.* Habes hìc *Marinũ* nostrum *Palumbi* sive *Columbi* (ut est in Luitprãdo) *filiũ;* habes etiã *Galliciensem,* sive ex *Gallæcia,* ut est apud eundem. Vnde facile erit, B. Platinam erroris arguere, qui ex affinitate litterarum *Marinum Martinum* voluit, & *Galliciensem,* sive *Gallæcum* in *Gallum* commutavit: eius hæc sunt verba in Martino 2. *Martinus 2. natione Gallus, patre Palumbo, post Ioann. Pontificatum inijt; sunt qui hunc Marinum vocent, quos ego similitudine scriptionis deceptos puto.* Verùm ut in nomine erravit, argutulus visus est in patria asignanda; nam à quo acceperit Marinum fuisse Gallum non video. Gilb. Genebrardus Gallus V. C. auctorem habuit nullum, ut opinor, alium quàm Plati-

tinam, ut Gallis suis assignaret ad ann. 884. Sed ut nomen verissimum est, ita & patria verissimo proxima. Nomen verũ esse plura evincunt. Nicolaus P.M. Epistola ad Michaelẽ Imp. *Huius rei gratia direximus Constantinopolim Donatũ Sanctis. Episc. & Leonẽ Venerabilem Presbyterũ, atq; filium nostrum Marinũ Diaconum*; & iterum, *Marinũ Apostolicæ Sedis Diaconum* vocat. & initio Octavæ Synodi œcumenicæ habitæ sub Adriano 2. *Cõvenientibus Donato & Stephano Episcopis, & Marino Diacono*: & Adrianus P.M. Epistola ad Basil. Imp. quã unà cũ hac Synodo habes, *Dilectos fratres meos Donatũ S.E. Ostiensis, & Stephan. E. Nepesinæ reverendiss. Episc. atq; filium meũ Marinum Apostolicæ Sedis Diaconũ Consiliarios nostros tuæ cõmẽdamus pietati.* Marinũ etiã distinctè vocat Fulco Archiepiscopus Rhemẽsis successor Hincmari apud Flodoardum in vita Fulcon. Matthæus Vvestmonasteriẽsis de reb. Anglic. Vvillelmus Malmesburiẽsis lib. 2. c. 4. de gest. Reg. Ang. Hermannuus Cõtractus in Chron. ad ann. 880. Sigebertus ad ann. 886. Luitprãdus in Vit. Pontif. alij, ut iam de huius Põtificis nomine nõ addubitet Platina. Papyrius Massonus præclaræ eruditionis historiographus lib. 2. de Episc. Vrbis qui Romanã Ecclesiã rexerũt, in Marino nostro etiã ijs, quibus Marini nomẽ novũ visum est, sic obviã it, *Marini verò nomẽ ne quis inusitatũ putet, legat cõstitutionẽ Valeriani & Galieni Cæss. Marino scriptã publicatãq; 3. Kal. Iul. Æmiliano & Basso Coss. quæ apud Iustinianũ lib. 9. Cod. cõtinetur, & Iustiniani ipsius cõstitueionẽ ad Marinũ Præfectũ prætorio de natur. lib. lib. 5.* Posset etiã ex Hispania Marinos alios in cõprobationẽ nominis advocare: Nã *Marinus Hispanus natione patitur Cæsareæ* in Dextro ad ann. 208. & Marinus Episcopus Hispaniæ, ad quẽ scripsit Melchiades PP. tom. 1. Conc. Id etiã ex diplomatibus, & instrumẽtis eius tẽpore cõfectis, & vetustis libris,

hi-

historijsq; Leonis Ostiensis, Guillermi Bibliothecarij, Aimoini, & similibus constare Alphonsus Chacon in Marino docet; sed hæc satis superque de nomine. Patriam etiam vero proximam alia arguunt. Ipse Luitprandus ad ann. 896. *Marinus & Romanus natione Gallæci mittuntur à Ioanne Papa ad Aldephonsum Regem Legionis & Oveti.* Iulianus, ut solet, ex Luitprando, in Chronic. *Marinus & Romanus, natione Gallæci in Hispania mittuntur ad Aldephonsum Legionensem Regem à Ioanne Papa Romensi, venientes Legionem comiter excipiuntur à Rege.* De Marino iterum Luitprand. ad ann. 932. *Marinus Diaconus è Gallæcia veniens mittitur à Io. P. ad Præsulem Toletanum, qui libros Gothicos Missales, Breviarios, Sacramentales, Oratorios examinans catholicos invenit;* Iulian. *Marinus Diaconus missus est à Ioanne ad Ovetensem Regem, qui libros Gothicos examinans catholicos invenit.* De Romano Iulianus in Chronic. *Romanus Papa Hispanus, Gallicienſis, quatuor menses sedet in solio S. Petri ex Presbytero Cardinali, qui cùm legatus esset in Hispania, attulit ex Gallæcia multos equos Gallæcianos, eosque Papæ Ioanni poscenti obtulit.* Cui narrationi fidem faciet ipsius Ioannis Pōtificis ad Alphonsum Regem duplex Epistola apud Sampirium Asturicēsem Episcopum, scriptorem nostrum, quē ex Codice Ovetensi dedit Prudentius de Sandoval Episcop. Pompeiopolitanus, Regius Historiographus, sed corruptissimum; emendatiores tamē Epistolas repræsentavit Ruderic. Tolet. lib. 5. cap. 17. & ex eo Cl. Baronius ad ann. 882. num. 4. 5. 6. Hispanas Morales 15. cap. 20. in prima, *Tota cordis,* inquit Pontifex, *exsultatione & animi gaudio de ultimis Gallæciæ finibus, cui vos Rectores præter me Dominus restituit, tamquam iure filios nostros vos colligimus.* Et ad calcem, *Hos quoque latores litterarum nostrarum omnes, hortor ut habeatis commendatos;* ut hinc

ap-

appareat, non solùm Presbyteros, qui ab Alphonso ad Ioannem fuerant missi, sed alios à Ioanne ad Alphonsum litterarum latores fuisse. Secunda hunc titulum præfert, *Ioannes Episcopus servus servorum Dei, dilecto Filio Adephonso glorioso Regi Gallisiarum;* & inter alia, *Rogamus dilectionem vestram, & nimiùm deprecamur, ut quia (ut diximus) valde à Paganis opprimimur, aliquantos utiles & optimos Mauriscos cum armis (quos Hispani* Caballos * Alfaraces *vocant) ad nos dirigere non omittatis, qualiter nos recipientes, Dominum collaudemus, vobis gratias referamus, & per eorum portionem de benedictionibus S. Petri vos remuneremus.* Quæ quidem ita consonant, ut de veritate Scriptorum nostrorum nullus posit ambigere: & à Gallæciæ rege meritò poterat equorum donũ exspectare Pontifex, cùm illius regnum equis abundaret. Plinius 8. cap.42. *In eadem Hispania Gallaica gens & Asturica, equini generis, quos * Thieldones vocamus, minori forma, appellatos Asturcones gignunt: quibus non vulgaris in cursu gradus: sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: unde equus tolutim carpere incursus traditur arte:* idem voluit Martialis nostras lib.14.epig.199. cui Lemma *Asturco:*

* *Faràs Arabibus equus sive Caballus est.*

* De hac voce Lud. Carrio 1. Emend. c. 17.

Hic, brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab armiferis Gentibus Astur equus.

Nec aliter etiam nostras Silius (ille à Bilbili, hic ab Italica) 3. Punic.

His parvus sonipes, nec Marti notus; at idem
Aut inconcusso glomerat vestigia dorso,
Aut molli pacata celer trahit esseda collo.

Et rationi etiam consentaneum erat ad Galliciensem Regem Gallicienses legatos mitti. Marinum aliorum legationum munere functum etiam scimus, de quo Baron. ad ann.882. num.10. *Missus est cum Donato atque Leone Constantinopolim ad Photium excommunicandum à*

*S. Pontifice Nicolao; sed & ab Adriano Nicolai successore missus est cum Donato & Stephano Episcopis Constantinopolim ad eundem Photium deponendum, & restituendum Ignatium, atque OEcumenicam Synodum celebrandam, virum * laudatissimum, quem expetierant magna instantia Bulgari, ut eum ipsis Adrianus Papa daret Episcopum, sed non obtinuerunt. Atque postremò missus est à Ioanne itidem Constantinopolim ad ruinam reparandam, quæ facta fuerat per tres legatos illuc ad Synodum pro Photio restituendo missos.* Marinumnè hunc etiam existimabimus, quem idem Ioannes misit ad Episcopos Caietam, Neapolim, &c. & Salernum incolentes, quemque *Reverendissim. Episcopum & Sanctæ Sedis nostræ Arcarium* vocat, Epistol. 294? Alius iudicio relinquo. Obstat tamen è Diacono Pontificem electum. Baronius opportunè, ut solet, succurrit ad ann. 882. num. 11. *Porrò decepit plures, quod cùm in duobus prioribus legationibus Marinum Sedis Apostolicæ legatum legant, putant ipsum ex Diacono factum Summum Pontificem. At nequaquam id accidit, sed ipsum auctum fuisse Episcopatu, & ex alterius Ecclesiæ gubernatione ob excellentem animi eius virtutem (quod fieri minimè consuevit) ad Summum Pontificatum Romanæ Ecclesiæ translatum esse; neque enim alium putamus esse, quàm Marinum illum Episcopum, quem diximus Io. P. misisse legatum Neapolim ad Athanasium, ut ipsius litteræ docent.*

* Alias Marini laudes annumerat V.C. And. Victorellus Addition. ad nuperam Romanorum PP. Vit. editionem ex Typographia Vaticana, ann. 1630.

Redeo ad Romanum, de quo Panvinus ad ann. Christi 898. *Romanus Constantini filius, Marini Papæ nepos Gallæsianus, &c.* Petrus Opmeerus ad ann. 898. *Romanus Gallæsianus Tuscus Constantini Marini Pontificis fratris filius, &c.* Genebrardus ad ann. 899. *Romanus Gallæsianus, &c.* Baronius ad ann. 900. num. 8. *Creaverunt quemdam nomine Romanum, patria Gallæsianum,*

natum patre Constantino;itaq; eadem in utriusquepatria assignanda ratio habenda est, cùm Romanus nepos ex fratre Marini fuerit. Verùm etiam hìc nominis ambiguitas fefellit Platinam, cui in Romano, *Romanus patria Romanus* dicitur, & Massonum, qui in eodem, *& genere*, inquit, *& Magistratu Romani Pontifices multi fuere;nullus autem cui hæc tria contigerint, ut natus Romæ, Romani nomen & Pontificis Maximi supremam dignitatem obtinuerit.Hæc quidem solus Romanus habuit.* Sic alij minorum gentium Scriptores,sed nulla alia,quã ex nomine deducta coniectura voluerunt. S.Antoninus Florentin.Archiepiscop.2.part.Summ.Hist.tit.16.cap.1. §.13.distinctè Luitprãdi & Iuliani opinioni favet,cùm Romanum Hispanum dicit: *Defuncto Stephano successit Romanus nomine,natione Hispanus,&c.* Quo etiam modo Garivai lib.9.cap. 28.Illescas inRoman.& Ioan.de Pineda lib.19.Monarch.Eccles.c.4.§.5.Marinus itaq; &Romanus Romani Põtifices Hispani Damasis,Melchiadibus & alijs Hispanis etiam Summis Pontificibus adnumerandi tandem postliminij iure sunt; inutiliter itaque *miratur* Papirius Massonus in Calixto tertio *Hispanos nationem, ut sibi videntur,natam imperio, ante hoc tempus nullum protulisse Pontificem Romanum, nisi Damasum, & Io.Adriani quincti successorem;*cùm præter Melchiadẽ Marinus &Romanus nostri fuerint,quippe qui ex Gallæcia notissima & nobilissima Hispaniæ regione. Sed erit qui opponat in ijs Scriptoribus, qui Gallæsianos Marinũ & Romanũ dicunt,non Gallæciã Hispanię,sedGallesiũ oppidũ intelligẽdũ. SicBaronius cũ de Marino ageret ad ann. 882. n. 11. *Cuiusnã autem Ecclesiæ Episcopus fuerit,nõ satis nobis exploratũ; Gallæsio autem ipsum oppido oriundum æquè omnes affirmant:* unde ab ijs etiam qui *Gallæsianum* illum dicunt, *Thuscus* appellatur, quasi Gallesium in Thuscia, nam Gallesij

in Faliſcis, & Galeſus fluvius Thuſciæ apud Panvinum in Tribu Galoria, quem ſe ignorare Ortelius ingenuè fatetur; ſed nimis novum Galleſium eſt, neque in antiquorum ſcriptis reperiendum, de quo Philipp. Ferrarius in Catalogo SS. Ital. in Martyrolog. & additionibus ad Amb. Calepin. dictionarium, *Galleſium oppidum eſt Faliſcorum inter Feſcennium & Hortanum; quod Faliſca veteribus dictum putatur;* ita eſt, nam Φαλίσκα Straboni, & *Faliſca Etruſcorum* Plinio *Galleſium* eſt. Γαλλήσιον Stephano Epheſiorum Vrbs; Γαλλήσιον eidem & Phavorino mons, ut Γαλλήσιος Gregoræ. Sed hæc nihil, quod aiunt, ad Bacchum. E Galleſio tamen exteri Scriptores occaſionem nacti ſunt, ut patriam Marini, Romanique Romanorum PP. cum Galleſianos legerent, interpretarentur; eodem prorſus modo, quo Platina & Genebrardus Gallum ſunt commenti, præſertim cùm apud Scriptores noſtros altum de Gallæcia eorum patria ſilentium adhuc fuerit, nec de iiſdem multa apud antiquos propter vitæ in Pontificatu brevitatem, nam Marinus annum, Romanus tres menſes non excedit. Iuvat etiam noſtram opinionem ipſum Marinorum in Gallæcia genus, quod adhuc conſervat familia nobilis, antiquaque *de los Mariñas*, ſive *Marines*, iiſdem à vetuſtis temporibus ſtemmatum inſignibus, quibus *Vargæ* noſtri, decorata, de iis lepida apud * Scriptores noſtros narratio eſt, Quam Io. de Molina cuidam ex Villamarinis, non tamen ex Marinis attribuit Deſcription. rer. Gall. fol. 51. Sed contra Scriptorum omnium fidem; niſi Villamarinos ex Marinis originem duxiſſe dicamus. Vtramque familiam in Gallæcia nobilem tradit ille, qui de rebus Gallæcorum unus ſcripſit, iiſce antiqui idiomatis Hiſpani rhytmis.

* Chron. Regis Ferdin. Sancti c. 63. Chro. Gen 4. p. Marian. 3. c. 7. Rom. 6. cap. 2. Reip. Gen. Argot. 1. c. 92. NoБ. Bæt. Guardiol. c. 18. de Nobilit. alios.

Aqui los Mariños tomaron Riveras,

Cu-

Cuio solar en Galicia se sella,&c.
I Villamarines con casas enteras;
Vno de aquestos passò las razones,
Con Garci Perez por ciertos blasones
Con quien quedarian las ondas mas veras.

Addo frequentem huius nominis usurpationem apud Gallæcos, è quibus in Martyrol. Rom. 18. Iulij, *Gallæciæ in Hispania S. Marinæ Virginis & Martyris memoria* celebratur, *Amphiloquijni* mirũ *in Gallæcia Hispaniæ pro Fide Christiana & pudicitia passæ*, teste Dextro ad ann. 134. quam *Virginem & Martyrem Gallicienſem*, vocat M. Maximus ad ann. 556. ad quos ego è pluribus, plura, *De Martino* Marini P. fratre alius argutetur. Pergo.

S. Alvarus Socius S. Eulogij mirificè floret Cordubæ.] De quo ad ann. 869.

S. Fructuosi memoria, &c. apud Ligures.] De quo dixi ad ann. 700.

Contra Claudium Episc. Turin. scribit S. Vvistremirus &c.] Multi illius temporis nobiles Scriptores suum acuerunt stilum adversus impium Iconoclastam, ut Theodomirus Abbas, Ionas Aurelianensis, Dungalus, & noster Vvistremirus. Vide Baron. ad ann. 825. ne etiã Hispanis alij hanc imaginum cultus defendendi gloriã præriperent.

S. Blasius, &c. qui in Hispania apud Centum-fontes, oppidũ Celtiberiæ passus est tẽpore pers. Neronis, &c. miraculis celebris micat.] Iulian. *S. Blasius, qui apud oppidũ vocatũ Cẽtũ-fontes in Celtiberia in Neronis persecutione in Hispania Martyr patitur*; cuius hodie celeberrima memoria est in eodem oppido, quod etiã nomen retinet antiquissimum, *Cifuentes*, Comitatus caput in eo Hispaniæ tractu, quem * *Alcarria* Arabes vocarunt, quò nimirum alia confluunt oppida, nam *Çaria*, sive *Cara* Arab. muni-

Æ. 886.
C. 848.

* De qua plura Covarr. Thes. L. C. Siguẽza 1. Hist. Hieronym.

cap.3.& D. Petr. Gonzal.de Mendoza 1.Histor. Mont. Cel.c.1.

nicipium teste Petro de Alcala in Vocab. Arab. Hisp. L. C. Iosef. exstatque S. Blasij corpus non longè ab oppido in monasterio Monialium Dominicanarum à D.Ioanne Manuel Ferdinandi Regis nepote exstructo, ut tradunt Morales lib.10.cap.28. Marieta lib.2. cap. 37. Villegas in Flore SS. Trugillo tom.2. fol.638. Thess. Concion. Padilla cent.4. cap.30. Hist. Eccles. Hisp.

Æ.888. C.850. *S. Anacirardus Eremita, &c. prope civitatem Scalabim sanctè degit, &c. martyrizatur IV. Februarij.*] Copiosiùs Iulian. in Chronic. eodem anno: *S. Anacirardus Eremita ex Germania venit in Hispaniam, & in ripa fluminis Tagi, prope civitatem Scalabitanam aliquot annos sanctè degit: Reversus autem ad Alpes non procul à loco Tigurino vulneribus latronum confossus, martyrio coronatur. Agitur eius dies natalis 4. Feb. Manent aliqua vestigia adventus huius Sancti Abbatis in Lusitaniam in oppidis eiusdem provinciæ Ataugia & Meinardo.*

Æ.895. C.857. *Patitur Cordubæ Rudericus Presbyter.*] Qui à S.Eulogio Apolog. Martyr. *Beatus igitur Rudericus Presbyter ex quodam vico Egabrensi progenitus* dicitur, cùm illius martyrium distinctiùs enarrat.

Et Salomon.] Idem Eulogius, *Reperit verò in carcere Rudericus Beatum Salomonem, quem ob confessionem nominis CHRISTI dudum credulitas persequentium ibidem religaverat.* Et utrisque tamen gloriosum certamen inferiùs describit; Martyrolog. Roman. 13. Martij, *Cordubæ SS. Ruderici Presbyteri & Salomonis MM.* de quibus plura Cordubenses eruditissimi Morales & Roa de illorum Sanctis Martyribus optimè meriti.

Domo Lusitanus.] Hoc adhuc novum, sed non ideò reijciendum; potiùs Scriptoris antiqui testimonio admit-

mittendum. Certè in ipſo B.Eulogij Apologetico veſtigia hodie aliquot exſtant, vnde ſuſpicari liceat patriam utriuſque ab eo fuiſſe aſſertam, ſed iniquitate temporum obſcuratam; in Ruderico Sacerdotij dignitatem, & à Vico Egabrenſi patriam aſſignavit; in Salomone eodem ordine uſus fuerat, ſed illa deſunt, in quibus de ijſdẽ egerat: Teſtimonio erunt, quæ de utroque ſubdit: *Nã hi Confeßores beati ordine & natione diſsimiles, caritate non impares, diverſo licèt tempore certaminis campum aggreſsi; uno tamen eodemque Fidei ardore flammati, ſpecimen beatæ paſſionis egregium Orbi inſtituunt.* En illos *ordine* diverſos; nam Rudericus presbyter, Salomon Laicus; vtì & *natione*, nam ille ex *Egabrenſi* (nunc *Cabra*) *Vico*, hic Luſitanus: quod fortaſſe etiam B. Eulogius notavit, ſed iam perijt. Veritati ita conſonum hoc eſt, ut Ambr. Morales Hiſtoriograph. Regius ſatis cordatè in Not. ad illum S. Eulogij locum animadverterit. *Non dubito, quin ſint etiam aliqua quæ de patria & vitæ inſtituto Salomonis tradiderat: Nam quì potuit nunc Eulogius hæc referre (τὸ* nimirùm *ordine & natione diſsimiles) niſi ſecurus ſe iam neceſſaria, ut hæc intelligi poßent, retuliſſe.* Itaque poſtliminij iure Luſitanis ſuis Salomon reſtituatur, quo cum alijs illius immarceſcẽtis coronæ participibus, civibus ſuis, qui in eadem Arabum tyrãnide religionis veræ cultum ſuo ſanguine ſunt teſtati, deinceps triumphet.

Prope Vrbem dictam in Bætica Tuccim veteribus, alijs Toſsina.] Hoc magis novum, cùm adhuc pervulgatiſſimum ſit Rudericum & Salomonem Cordubæ paſſos fuiſſe, in Luitprando alter Cordubæ, alter prope Tuccim videtur veræ fidei teſtimonium perhibuiſſe. Nihil hìc delibero, donec correctiores nactus codices, vel Eulogio integro adhæreo, vel Luitprando non perturbato credo; nunc ad Vrbem

Tuc-

Tuccim veteribus.] Nam Straboni Τοῦκις Ptolemæo Τοῦκκι.

Alijs Tossina.] Ex Dextro ad ann. 308. *Tucci in Hispania Bætica, quæ & Tossina nunc dicitur*; malè in vulgatis *Tosiria*; certè hodie *Tocina* eſt inter Ilipam & Italicam, ubi *Tucci* ab Antonino collocatur. Sed quando hęc accidiſſe teſtatur Luitprandus?

Æ.895. C.857.] Eulog. ad calcem Apolog. *Conſummaverunt autē B. Martyres agonem ſuū 3. Kal. Mart. Era 895. regnante D.N.I.C. &c.* Ita futurum erat, *quādoquidem Mahomad rege regnante, quod ſupra dixerat, interfecti ſunt hi duo Martyres, qui poſtremi omnium paſſi hoc tempore ante Eulogium videntur, anno Domini octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo*, ut ait Ambr. Morales Not. ad Eulogium, quem ſequitur Baron. Not. ad Martyrol.

Hoc anno Vviſtremirus, &c. iubet deponi Samuelem Epiſc. Illiberritanum.] In Catalogis Epiſcoporum Illiberritanorum Samuelem quinquageſimum primum invenio; de ceteris alibi quærendum, aut noſtri Scriptoris fidei ſtandum eſt.

Arch. Tol. ſuffecit illi Gervaſium.] Qui in ijſdem Catalogis quinquageſimus ſecundus numeratur.

Hoc ſufficitur per Toletanum Vviſtremirum defuncto Epiſc. Vrcitano (Vrci nunc Portela) Geneſius, &c.] Luitprandi teſtimonio hæc tandem comperta ſunt, nam res ab Vviſtremiro præclarè geſtæ, præter eas, quæ referūtur à B. Eulogio, in occulto omnes adhuc ſunt. De

Vrci.] Plura ad Dextr. ann. 52. De

Geneſio.] ad Luirprand. ann. 799.

Vviſtremirus V.S. qui vocabatur à S. Eulogio facula Spiritus Sancti, &c.] Ipſe Eulog. Epiſt. ad Vviliefindum Epiſc. Pampilonenſ. *Toletum reverti; ubi adhuc vigentem ſanctiſſimum ſenem noſtrum, Faculam Spiritus Sancti,*

cti, & Lucernam totius Hispaniæ, Vvistremirum Episcopũ comperi, cuius vitæ sanctitas totum orbem illustrans hactenus honestate morum, celsisque meritis Catholicum gregem refovet: multis apud eum diebus degimus, eiusque Angelico contubernio hæsimus.

Domo Toletanus, &c.] *Lupi* nimirùm *Muzarabis frater & Iudicis*, teste Iulian.

Archid. illius Bonitus posuit sepulcrale carmen.] Quod habemus in Iuliano: *Sepultus non, ut ille iusserat, in Ecclesiæ limine, sed in loco eminenti S. Iustæ, &c. & hoc carmen posuit Archidiaconus eius*, quod adhuc exstat:

Vvistremirus eget psalmi, dux Spiritus almi,
Grex fuit illius Plebs Toletana, pius
Explet non vanos centum pater optimus annos,
Corpus tumba tegit, spiritus astra legit,
Cibibus est lenis, viduis solamen egenis;
Par fuit Eugenio, plenus abit senio, &c.

Obijt in pace S. V. Vvistremir. 31. Dec.] Iulian. pleniùs; *Obijt S. V. Vvistremirus Toleti in pace die 31. Decemb. Æra 895. Ora Virgo pro illo S. MARIA.*

Eligitur in Concil. Episc. Toleti S. Eulogius.] Alvarus Cordubensis in Vit. Eulog. *Nec illud omittendum in hoc opere reor, quod post divinæ memoriæ Vvistremiri Toletanæ Sedis Episcopi, in eandem sedem Comprovincialibus & confinitimis Episcopis electus & dignus est habitus, & pro relatu omnium comprobatus.* Distinctiùs Iulianus, *In principio ineuntis anni 857. eligitur Eulogius Presbyter Cordubensis coacta Toleti Synodo Comprovincialium Episcoporum, cui quidem interfuerunt videlicet Venerius Complutensis, Daphila Pontifex Oretanus, Mamilla Valentinus, Lupus Carthaginis Spartariæ, Abibonsus Mentesanus, Garsea Berciensis, cum sex Vicarijs, & totidem Abbatibus; multi volebant Bonitum Archidiaconum, at divino acti Spiritu elegerunt unanimi consensu prædictum sanctum vi-*

Æ. 896.
C. 859.

rum Eulogium Doctorem Cordubēsem. Electus est 25. Maij &c. Successit autem Eulogius electione S. Pontificis Vuistremiri, qui moriens eius commendaverat sanctitatem, doctrinam, & animi robur, & alias admirabiles S. Doctoris vitutes.

Qui antequàm veniret, fuit Martyr.] Alvarus in illius vita, *Dispositio divina, quæ eum sibi ad martyrium reservabat, quibusdam repagulis obviavit. Cùmque iam ipsa communis electio eum sibi consecrare in Episcopum acclamaret, rerum obviantium adversitate impediti, alium sibi eo vivente interdixerunt eligere. Qui licèt argutè frustraretur ab ordine, tamen non est privatus eiusdem ordinis munere, siquidem Episcopatum cœlestem adeptus est, cùm per martyrij gloriam Christo coniunctus est.* Iulian. *Negotiorum caussa non potuit venire per totum illum annum à fine Maij usque ad undecimum diem Martij anni 859. die Sabbati, quo passus est S. Eulogius Doctor Cordubæ martyrium.* Consentit Alvarus, *Complevit martyrium suum 5. Idus Martij die Sabbato, hora nona;* non assignato tamen anno, sed Ambros. Morales pius & eruditus Alvari & Eulogij interpres *passum fuisse D. Eulogium anno*, quem assignat Iulianus, *Domini 859. necessariò penitùs probari,* ait, *illo enim anno Martij dies undecimus in Sabbatum incidit, neque aliquot retrò annis in eum hebdomadæ diem inciderat, neque aliquot sequentibus Sabbatum fuit occupaturus. Nec extra hos non paucos annos pati potuit Eulogius: nam tres quatuorvè ante hunc annos ipse (quod ex his libris patet) in vivis erat. Nostra autem hæc supputandi ratio, ubi hebdomadæ dies signatur, non vera solùm, sed omnino etiam irrefragabilis, ex canonica Cycli Solaris conversione & ex ea annorum & mensium desumitur observatione, qua cùm ab initio Sancta Christi uteretur Ecclesia, postea Abbatis Dionysij, ut plerique tradunt Auctores, doctrina & dili-*

gen-

gentia in dilucidiorem & certiorē formam fuit disposita & constituta. Quæ quidem ideò præfatus sum, ut certior non Iuliani solùm, sed etiam Luitprandi supputandi ratio cognoscatur, cùm in annum sequentem electionem Boniti post cœlestem Pręsulis nostri coronam reijciat, ait namque,

Bonitus &c. eligitur Tolet. Pontif.] Nam *re* (martyrio videlicet S. Eulogij) *cognita, mense Aprili cogitur iterum Synodus, & sine ulla difficultate eligitur S. Bonitus Episc. Toletanus,* teste Iuliano. Æ.895. C.859.

Sed hunc dicitur ad patriam suam Claramontem Arverniæ & ibi mansisse donatum Veste cœlesti à B. V. MARIA.] Iulian. *S. Bonitus, &c. natione Gallus, Arvernensis civis, &c. petit Arvernos, ibi per annum prædicat, & Cappa cœlesti propter humilitatem, in æde S. Michaëlis donatur;* Episcop. Equilinus lib. 2. cap. 82. de Sancto (ut ipse vocat) Bonitio, *Cui dum nocte quadam solus in Ecclesia S. Michaëlis oraret, in exstasi posito Beata Virgo cum multitudine Curiæ cœlestis splendidior apparuit, & quis esset aptus ad divina mysteria celebranda à circunstantibus interrogavit. Qui Bonitum orantem dignissimum acclamarunt, & quamvis se reputavit indignum à cœlesti choro assumitur, vestibus sacris induitur, & Missam celebrare iubetur. Qui Missam per visionem suo ordine celebravit, & dum communionem sumptisset, B. Virgo sibi vestem pro magno munere dimisit, & visione sublata ipse ad se redijt, vestemque repertam iuxtà se cum magna devotione custodivit, & visa populo cuncta narravit. Quæ vestis usque hodie ibi servatur, & pro reliquijs sacris ostenditur, cuius materia & modus contexturæ à nemine cognoscitur; est autem eximij candoris, lenitatis, & levitatis.* Quod quidem est ex Vincentio Belovacensi in Specul. Historial. cuius sententiæ subscribunt Petrus Buchetus in Annal. Guiann. Pelbertus de

Temesuar. in Stellario Coronæ, Surius 15. Ianuar. Arnoldus Vvion in Martyrol. Bened. Hercules Vincem. de B. Virg. miracul. Baron. ad ann. 704. Anton. de Iep. cent. 3. Chronic. Bened. alij. Sunt qui velint ex B. Ildephonsi cælesti dono hoc conflatum; sic olim in Apologia pro descensu B. Virginis in Templum Toletanum fol. 45. allucinabar; mecum Petrus Salazar de Mendoça cap. 15. vitæ S. Ildephonsi; Nunc sententiam muto, nam quis vetat Ildephonsum ac Bonitum B. Virgini addictissimos eodem ab ipsa misericordiæ matre munere cumulatos? Annè illius liberalitatem, *de cuius plenitudine accepit Angelus lætitiam, iustus gratiam, peccator veniam*, teste Bernardo, & in cuius manu *divitiæ* sunt, *quæ consumi nequeunt*, ut ait Damascen. humanâ metiendi ratione commensurabimus? Amica illa generis humani, benefica illa numquam cessat beneficia in illum multiplicare. Itaque glorietur Ecclesia Toletana duobus Præsulibus suis hanc collatam ab ineffabili Virgine mercedem ineffabilem.

Sed Toleti scriptis litteris ad Sampsonem Cordubensem, ipse eum absolvit.] Iulian. *Noluit interesse Concilio Cordubensi, in quo graviter erratum est contra Sampsonem Abbatem, &c.* quem nimirùm in Concilio Cordubensi hæreticum cum convitio vocarat Hostigesius Malacitanus Episcopus, ut ipse Sampson Apologetico adversus eundem declarat, in quo de actis istius Cordubensis Concilij plura habes. De Sampsone præter multa, quæ ipse tribus lib. Apologetic. de se refert, Vid. Morales Schol. in lib. 1. Mem. SS. D. Eulogij fol. 30. 31. & lib. 14. Hist. cap. 31. Marian. cap. 15. lib. 17. Baron. ad ann. 890. Roa cap. 13. rer. Malacitanar.

Leand. XXXVI. Abb. Agaliensis.] Iulian. *Leander Abbas Agaliensis Vir eximius Toleti floret.*

Iu-

Iulianus succedit in Sede Tolet. S. Viro Bonito, &c. Synodum coëgit.] Idem distinctiùs, *Iulianus Archipresbyter Boniti, vir multæ mansuetudinis & prudentiæ, succedit S. Bonito; præest ad ann. Dom. 865. ab illo cogitur Synodus in defensione Sampsonis cum Concilio.* In Catalogis Præsulum Ecclesiæ Toletanæ defectus aliquot annorum absque dubio est; nam inter Martyrem Eulogium ad ann. 859. & Ioannem, qui obijt ann. 926. tantùm Bonitus, qui brevis ævi fuit, assignatur; sic in Catalogis Blasij Ortizij cap. 33. Summi Templ. Tolet. descript. Alcocerij cap. 3. lib. 2. Pisæ cap. 10. lib. 2. Hist. Tolet. Garivai lib. 8. cap. 48. Loaisæ initio Collect. Concil. sic in meo, quem à fol. 110. ad 146. Apolog. pro Dextro pertexui; sed explendi omnes ijs sunt Præsulum nominibus, quæ Luitprandi & Iuliani beneficio iam noscimus; nam Bonito succesit Iulianus, Iuliano Petrus, Petro alter Petrus, huic Ioannes, Ioanni alter Bonitus, cui Oroncius, Oroncio Basilius, Basilio Ioannes Servus-Dei, Ioanni huic Visitanus teste Luitprando; Iulianus successorem Boniti Iulianum vult, Iuliani Petrum, Petri Petrum alterum, cuius Ioannem, huius Servum-Dei, Servi-Dei Oroncium, Oroncij Bonitum, Bonito Blasium, vel Basileum, vel Basilium, Blasij Visitanum, Visitani Ioannem Servum-Dei, huius Vincentium, Felicem, Blasium alterum, Cyprianum, Vincentium, Gerontium, Zachariam, Zenopolium, Iulianum, Dominicum, Iustum, Salviatum, alterum Salviatum, Paschalem, Petrum, post quem cùm *vacaret Sedes* Toletana, *quia non potuerunt venire Toletum Episcopi Metropolitani, quorum intererat eligere, propter auctam obsidionem, Iulianus erat pro Archiepiscopo Vicarius in sede vacanti*, teste ipso Iuliano, *Rex Adephonsus consulebat Domnum Apostolicum disponendo pro Episcopo Toletano Sanctio cognato suo, qui scie-*

Æ. 900.
C. 862.

sciebat parum in litteris, & volebat eius Cathedralem vel potiùs Archiepiscopum facere in Alficen, sed S.R.E. non illum admisit, & noluit domnus Apostolicus, quia nesciebat litteras, sed ut signaret Rex Aldephonsus virum litteratum & sanctum. Is certè fuit Bernardus primus post abactam Vrbe Arabicam perfidiam Præsul. Quæ quidem aliquando uberiùs commemorare operæ pretium duxi, ut unò quasi aspectu omnes Toletani Præsules, qui hactenus desiderabantur iniuriâ temporis, beneficio horum Scriptorum repræsententur; nec mirum inter illos etiam quandoque discrimen reperiri in tanta rerum & hominum perturbatione. Progredior in meo Scriptore.

Æ.903. *Iul. succedit Petrus, &c.*] Nam ad ann. 853. præesse
C. 865. Iulianum testatus est Iulianus.

Æ.904. *Petro alter Petrus, &c.*] Iulian. *Mortuo Petro in eadē*
C. 866. *Sede* (S. Iustæ) *temploque cum lacrymis sepulto alter Petrus, qui fuit vir pius, &c.*

Floret memoria S. Crescentis in Galatia & Vienna, &c.] Martyrol. Roman. 27. Iunij, *in Galatia S. Crescentis discipuli B. Paulli Apostoli, qui in Gallias transitum faciens, verbo prædicationis multos convertit, rediens verò ad gentem, cui specialiter datus erat Episcopus, cùm Galatas suos usque ad finem vitæ suæ in opere Domini confirmaßet, demum sub Trajano martyrium consumavit;* & 29. Decembris, *Viennæ in Gallia S. Crescentis discip. B. P. A. & primi eiusdem civitatis Episcopi.* Quomodo hìc Galatia sit intelligenda, dixi fol. 4. Apolog. pro Dextri veritate; disputant Baronius Not. ad Martyrol. 27. Iunij, & ad ann. 44. & Ioann. de la Puente lib. 2. cap. 28. Convenient. Monarch.

Floret in Monte Serrato S. Ioan. Guarinus Eremita.] De quo multa feruntur prodigio proximiora; quàm veri-

ritati; illa tamen non traditioni solùm populorum, quæ fidem meretur sæpenumerò, sed multorum scriptis innituntur: Hodie in Monte Serrato spelunca Io. Guarini ab antiquissimis temporibus nota est; illius ossa religiosè asservari etiam notissimum est; visuntur etiam tã marmoreæ, quàm pennicillo expressæ Guarinũ repræsentantes imagines, necnon inscriptiones, quæ res, utì acciderunt, oculis subijciunt, necnõ vetusta monumenta, quibus omnia, quæ de Guarino traduntur, posteris manifestantur; ea sequuntur non ultimi nominis Scriptores Petrus Anton. Beuter lib.2. cap.3. Anton. Vincentius Domenech in Hist. Viror. sanctitate illustrium in Gotholaunia, Io. Marieta inter SS. Hispan. Fr. Diago cap.14.lib.2. Hist. Comit. Barcin. Ant.de Iepes tom.4. Chron. Gener. Benedict. sub anno Christi 888. Benedicti 408. Hist. miraculorũ B. Virginis Montis Serrati ab Abbate eiusdem montis ann. 1514. c.2. ex membranis antiquis collecta, iterumq; communis iuris facta ann. 1605. Montem Serratum elegantissimè describit amicus noster eruditissimus Ludovicus Nonius cap.87. Hisp.

Dulcidus presbyter Tolet. ex Berta, &c. Orator Regis Leg. ad imp. Cordubæ.] Iulian. integriùs, *Dulcidius Presbyter Toletanus ex Berta Osorij sorore frater Desiderij Presbyteri, Orator missus est à Rege Legionensi ad Regem Cordubensem, quia rectè sciebat Arabicum.* Dulcidij huius Toletani legationem ægrè alibi reperias præterquàm in libro Conciliorum antiquissimo in Bibliotheca regia apud S. Hieronymum in Scoriaco, & in antiquo Ecclesiæ Ovetensis Breviario, ex quibus Ambr. Morales de sacris Hispaniæ rebus optimè meritus cap. 14. lib. 15. & Schol. in D. Eulogij vitam, & Baron. ad ann. 884. Ceterùm Dulcidij frequens mentio est in privilegijs, & alijs illius tem-

Æ.907.
C.869.

temporis monimentis, qui fortasse merito virtutis ille etiam est, qui inter Episcopos Salmanticenses numeratur.

Translatio reliquiarum S. Obduliæ Palma Toletum.] Iulian. *Hoc Pontifice* (Ioanne) *translatæ sunt reliquiæ S. Obduliæ Virginis & Martyris Palma Toletum, quæ passa est sub Iuliano, & tempore primæ captivitatis allatæ fuerant Palmam; præsente verò Io. Toletano relatæ sunt eius reliquiæ, & cum magno honore à Toletanis susceptæ 5. die Septembr.* Qua etiam die Martyrol. Rom. *Toleti S. Obduliæ Virg.* ex Breviario Toletano, & certè Clarissimus Baronius *ob aliquam factam translationem reliquiarum* S. Obduliæ *Toletum* aliunde, præclarè odoratus est Not. in Martyr. *hac die eius celebritatē celebrari.* Vnde adhuc incertū Luitprandi & Iuliani testimonio *Palma* iam scimus. Nam M. Maximo teste ad ann. 566. *Palmæ in Bætica S. Obdulia vel Ochilia Virgo Benedictina consecrata magno apud omnes in pretio est.* Palmam tempore, de quo agitur, celebrem fuisse ipsius mentio apud S. Eulogium testimonio erit, nam cap. 13. lib. 3. Mem. SS. *Beatus Petrus in Pinnæ Melariensis Cœnobio tumulatur, Hludovicus in Vico Italicensis provinciæ, nomine Palma, quæ Singilio flumine præsidet, digniter requiescit;* hodie nomen oppidū retinet, Comitatus Caput; De qua plura olim nos à fol. 100. Apolog. secundæ pro Dextri Veritatē.

Toletum fertur Indiculus Luminosus, quem S. Bonitus scripsit Cordubæ.] Iulianus Epistola præfixa Chronico inter cetera litterarum ceimelia, quæ se misisse testatur Fuldam, numerat *Indiculum Luminosum Boniti Pontificis Toletani.* Sed in Chronico ad ann. 857. *Affertur Corduba Toletum liber, dictus Indiculus Luminosus, quem composuit S. Pontifex Vvistremirus, dum negotiorum caussa Cordubæ commoratur;* ut adhuc non constet de auctore li-

libri,qui hoc titulo inſignitur in Bibliothecis Cordubenſi & Toletana. Habeo illum è vetuſta membrana Gothicis characteribus exarata beneficio amici Clariſſimi D. Bartholomæi de Caſtro, qui è Canonico Cordubenſi Theologo ad Eccleſiæ opt. Max. Toletanæ Canonicatum nuper litterarum merito aſcitus eſt; eundem etiam vidit Amb. Morales, & de illo ſic cenſuit Scholijs in D. Eulogij vitam ab Alvaro ſcriptã, *ſcripſit præterea, ut D. Epiſcopus Placentinus* (Petrus Pontius de Leon & Cordoba, eruditorum Patronus eruditus & ipſe) *exiſtimabat, idem Alvarus opus egregium, cui titulus eſt [Indiculus luminoſus] Permanet Gothicis litteris in membrana deſcriptus Cordubæ in Bibliotheca Fani maioris, ſed ſine auctoris nomine; Tantùm notatum ab ipſo auctore eſt, ſcriptum opus fuiſſe Cordubæ anno 854. quo florebat Alvarus; ſtilus autem Alvari prorſus eſt, aut ſimillimus. In eo opere multa ad ea ipſa, quæ in D. Eulogij operibus continentur, ſpectantia traduntur. Mentio enim fit quorumdam ex his Martyribus, quorum vitam & agonem ſcribit Eulogius; ut hinc etiam Alvari eſſe videatur. Vnum illud eſt, quod ut Alvari opus illud eſſe non credam, omnino perſuadet, quia nimirùm D. Eulogij ibi mentio nulla fit. Nec arbitror Alvarum in tanta benevolentia continere ſe potuiſſe, quin eius eadem ſcribentis meminiſſet.* Hæc ille, & meritò; Quæ etiam placuiſſe video Gerardo Ioanni Voſsio incredibilis diligentiæ Viro lib. 3. Hiſt. Latin. fol. 692. nã cùm Epiſcopi Placentini ex Ambr. Moral. ſententiam retuliſſet, *Nec tamen*, inquit, *adſpernendum eſt, quod adverſus eam ſententiam adducit Ambr. Moral. Nam ſi Alvari foret, meminiſſet alicubi Eulogij, qui cum tam arcta ei amicitia interceſſerat.* Quid verò de ijs ego iudicem, nondum ſcio: potiùs alterius iudicio relinquam, quàm meum interponam. Certè tres hîc *luminoſi indiculi* auctores recenſentur, Vviſtremirus à Iuliano, Bonitus ab Luitprando

Dd do

do & Iuliano, Alvarus ab Epiſcopo Placent. repugnantibus Morali & Voſio; ſi ſuffragijs ſtandum eſt, vincat Bonitus oportet. Sed quando Vviſtremirus aut Bonitus Cordubæ manſerint, etiam ignotum mihi quidem eſt; illud notũ; anno Domini octingẽteſimo quinquageſimo quarto Cordubæ ſcriptum, ut notat Morales, quo anno & Vviſtremirus & Bonitus antequam ad Pontificium dignitatis Toletanæ culmen electi fuiſſent, poterant Cordubæ negotiorum cauſsâ adfuiſſe, ibique *Indiculum* hunc *Luminoſum*, hic vel ille ſcripſiſſe. Sed quid ſibi *Indiculi Luminoſi* ἐπιγραφὴ ſignificat? illius, quem M.S. habeo, Auctor poſt operis introductionem, ita præſcribit, *Hic liber inde Luminoſus Indiculus dicitur, quia luminosè, quæ loquenda ſunt, docet, & apertis indicijs hoſtem Eccleſiæ, quæ hominis vitare Chriſtianitus debeat, oſtendit*; leg. *quem homo vitare Chriſtianus d. o.* nam non multum ab ilius ævi elegantia abhorret; ſed hæc fortaſſe non ſcripſit Auctor *Indiculi*, adiectaq; ab alia manu ſunt, ut epigraphẽ libri explicaret; Auctor verò in operis proœmio ſæpius *lumen, lucem, ſolem, lucernam, ignẽ*, & id genus voces ingeminat, ut in *Luminoſi Indiculi* veſtibulo id ex induſtria curaſſe porrò videatur. Addo in Alvari Epiſtola ad Eulogiũ, quæ editionis Ambroſianæ fol. 102. legitur, *Luminoſi* vocẽ reperiri; ſic ille ipſo initio, *Luminoſum veſtri operis documentũ* (miſerat Eulogius *documentum martyriale*, quod Virginibus Floræ & Mariæ ſcripſerat, Alvaro) *ex illis oriẽtalibus, de quibus legitur pomis valde bonis eleganter collectũ, &c.* Et in Eulogij vita non ſemel: *Erat vir ille, &c. eloquentia fulgidus & vitæ operibus luminoſus*; poſtea, *Luminoſis deducens veſtigijs*; necnon, *nonnulli, &c. inſtinctu Dei quod celaverant luminosè & patulè proferebãt*. Vt hinc appareat fuiſſe eo ſeculo, & præcipuè Alvaro vocem frequentem, cui fortaſſe iſtius vocis indicio *Luminoſus Indiculus* tribuendus eſt: præſertim cùm Mo-

rales lib. 14. cap. 3. Hist. sententiam mutarit, & Alvari hoc opus fuisse opinatus sit, cum, quia ipse Alvarus in vit. S. Eulogij de alijs suis operibus meminerit, cùm ait, *Cuius historiæ veritas in alio opere enucleatiùs dißeretur*, agens de Recaffredo Episcopo, & sui temporis calamitatibus, & *cuius paßionis ordinem alibi digerere cogitamus*, de Christophoro martyre Cordubensi; quæ nõ multum abludunt ad *Indiculi Luminosi* arguméto; tum etiã, quia codici Cordubẽsi perantiquo, ubi sine Auctoris nomine *Indiculus Luminosus* scriptus est, Epistolæ aliquot Alvari adiectæ reperiuntur; sed de ijs hactenus.

Obijt Cord. Alvarus IV. die M. Maij.] Decem nimirùm annis post Eulogij amici martyrium.

Vir patricius.] Nam *Alvarus ex regio semine Gothorum, amicus & collega studiorum S. Eulogij litteris & sanctitatis opinione florens Cordubæ* dicitur à Iuliano. Nobilitatem illius etiam arguunt ipsæ honorificæ compellationes, quibus illum Eulogius ornat. c. 10. lib. 2. Mem. SS. *cùm atrium serenißimi præceptoris nostri Alvari, &c. petivißem.* Et Epist. ad ipsum Alvarum, *ex eo die, quo serenitas vestra me promovit, ne à glorificatione militum Christi desisterem, &c.* Quæ quidem compellatio non nisi viro nobilissimo conveniebat ab ipsis Gothorum Regum temporibus, qui se eisdem titulis honestabant. Addo etiam penes me esse epistolarum Alvari & aliorum volumen M. S. è codice Cordubensis Ecclesiæ, in quo sine scriptoris nomine *Indiculus Luminosus*, de quo superiùs, etiã scriptus est. Prima & secunda sic inscripta est, *Aurelio Flavio Ioanni* (qui *Spalẽsis* in alijs vocatur) *Paullus Alvarus*. Tertia *Aurelio Flavio Alvaro Inlustrique viro minimi Ioannis suggestio.* Et post pauca, *imprecans serenitatem tuæ dulcedinis*; deinde, *Nam ego, Christus novit, ante septem hebdade monomade* (sic in M. S.) *serenitati vestræ disposueram rescribere.* Nec multò pòst, *Sublimißimum*

Dominum Alvarum Ioannes vocat. Sic in inſcriptione alterius Epiſtolæ *inluſtri, eximio, celſoque Alvaro Ioannes.* Sic Abbas ille notiſſimus Alvaro in vit. Eulog. & Eulogio lib. 1. & 2. Mem. SS. Sperandeus ſive Spera in Deum (nam utroque modo in MM. SS. reperi) in alia Epiſtola, *Inluſtriſſimo mici* (ſic in M.S.) *domno ac venerabili, &c. inclito Alvaro Spera in Deo.* Hæc de Alvari nobilitate; de doctrina & virtutibus alibi dicendi locus erit.

Æ.920. *Marinus Columbi filius.*] De quo latiſſimè dictum ad
C.882. ann. 846.

Æ.921. *Habetur pro Martyre in Hiſp. Rolandus.*] Non mirũ,
C.883. ſi huic opinationi Luitprandus acquieverit, cùm de Tilpino ſive Turpino, à quo illa excepta eſt, ad ann. 786. bene ſenſerit, is cap. 23. de Vit. C.M. & Rolandi, poſt peccatorum expiationem & ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem, *elevatis,* inquit, *in cœlum oculis Rolandus Chriſti Martyr ait, Domine I. C. pro cuius fide patriam meam dimiſi, &c.* Et poſtea, *in hac confeſſione & prece beati Rolandi Martyris anima beata de corpore egreditur, & ab Angelis in perenni requie transfertur.* Petrus de Natalibus lib. 5. Catalog. SS. cap. 123. *Rotlandus & Vliverius, atque multi alij milites Chriſtiani, qui à Sarracenis in Runciavalle pro Fide Chriſti pugnantes occiſi ſunt tempore Caroli Magni in Catalogo Martyrum ſcribuntur.* Subjicitque res à Rolando, aliiſque glorioſè geſtas, & ad calcem: *Paſſio horum Martyrum celebratur 16. Kal. Iunij,* Ioãnes Molanus Addit. ad Vſuard. *16. Iunij in Gallijs Rolandi Comitis, &c. & ſociorum, qui iuxta Pompelonem ſub Pyreneis montibus pro Chriſto pugnantes, Carolo M. imperante, occubuerunt.* Sed omnes ex Tilpino, in cuius M. S. Codice è Bibliotheca Amſtelodamenſi, quem cum editis contulit Gerardus Ioan. Voſsius, inter alia, quæ adiecta erant, nonnulla de miraculo quodam ob preces

Ro-

Rolandi præſtito, ſe inveniſſe idem teſtatur Voſſius in Additionibus ad lib. de Hiſt. Lat. fol. 789. ſic M. Nicolaus Gilles, ſive Gillius Gallica lingua in Carol. M. fol. 88. de les Chroniq. & annal. de France, *Lors Roland leva les yeulx vers le ciel, à Dieu ſe confeſſa, &c. cria mercy: & ſa benoiſte a me partit de ſon corps, &c. l' emportarent les Anges en pardurable repos, ou elle eſt en ioye ſans fin, par la dignitè de ſes merites, en la compagnie des glorieux Martyrs*. non aliter Bernard. Britto 7. Mon. Luſ. cap. 12. ſic alij Scriptores, præſertim rerum Francicarum, ex opinione nimirùm eorum, qui omnes Chriſtianos, qui in bello contra Chriſtiani nominis hoſtes iuſtè illato occumbebant, Martyrum gloria olim nobilitabãt. Sic D. Iacobus, vnicus Hiſpaniarum Patronus, Ranimiro 1. promittit, **Ego ero tibi inauxilium, & mane ſuperabis in manu Dei Sarracenorum, à quibus obſeſſus es, innumerabilem multitudinẽ. Multi tamen ex tuis, quibus iã parata eſt æterna requies, ſunt inſtante pugna pro Chriſti nomine Martyrij coronã ſuſcepturi*. Cõſtat ex ipſius Ranimiri Regis * privilegio Eccleſiæ Cõpoſtellanæ conceſſo, Ær. 772. Sic ann. 1212. Alphonſus 9. Rex Innocentio 3. P. M. ſcribit. *Occubuerunt ex parte Regis Sarracenorum centũ millia armatorum & ampliùs, &c. De excercitu autem Domini, &c. vix viginti quinque Chriſtiani, aut triginta de toto exercitu occubuerunt. O quanta lætitia! O quot gratiarum actiones! niſi de hoc dolendum ſit, quòd tam pauci Martyres de tanto excercitu ad Chriſtum martyrio pervenerunt*. Nec aliter intelligendi illi apud Iulianum ſunt, qui in obſidione Toletana pereuntes Martyres vocantur, ann. 719. *Multi Chriſtianorum (dum vrbs obſeſſa fuit) timentes venire in manus Sarracenorum, in via paſſi ſunt martyrium diverſimodè, quorum nomina ſcripta ſunt in cœlis*. Necnon, *multos* (Sarraceni) *in primis ſuburbijs occidunt, qui Martyres cenſeri poſſunt, cùm occiſi ſint in odium religionis*. Nec aliam

* Apud Maurum Ferrer 3. Hiſt. S. Iacob cap. 8.

* Extat Epiſtol. apud Marian. c. 25. lib. 11.

* Fol. 48. Hist. Arag. aliam ob caussam Gaubertus Fabricius Martyrẽ * appellat Alphonsum Regem, qui in prælio apud Ilerdam occubuit. In Martyrologio Romano 29. Iulij celebratur memoria *S. Olavi Regis in Noruegia & Martyris*, qui in bello contra Idolorum cultores & in suo regno pręstigiatores occisus est, teste Io. Olao 18. Hist. Goth. cap. 5. vndè B. Bernardus cap. 1. serm. ad Milites Templi distinctissimè, *Quàm gloriosi revertuntur victores de prælio! quàm beati moriuntur Martyres in prælio! Gaude fortis Athleta, si vivis & vincis in Domino: sed magis exsulta & gloriare, si moreris & iungeris Domino. Via quidem fructuosa, & victoria gloriosa: sed vtrique mors sacra iure præponitur. Nam etsi beati, qui in Domino moriuntur; num multò magis qui pro Domino moriuntur? Et quidem sive in lecto, sive in bello quis moritur, preciosa erit sine dubio in conspectu Domini mors sanctorum eius. Ceterùm in bello tanto profectò preciosior, quanto & gloriosior.* Et cap. 3. *Miles Christi securus interimit, interit securior. Sibi præstat cùm interit, Christo cùm interimit, &c. Cùm autem occiditur ipse, non perijsse, sed pervenisse cognoscitur. Mors ergo, quam irrogat, Christi est lucrum, quam accipit, suum. In morte pagani Christianus gloriatur, quia Christus glorificatur; In morte Christiani regis liberalitas aperitur, cùm miles remunerandus educitur.* Hæc delenifica Bernardi suada. Phocas Imperator aliquando etiam tentavit illos, qui in bello ab infidelibus hostibus Fidei cæsi essent, in Martyrum numerũ adscribendos, resistentibus tamen Oriẽtalibus Episcopis, ut scribit Theodorus Balsamon Cõment. in Canon. 13. S. Basilij. Certè verioris Theologiæ parẽs D. Thom. Martyres vocat illos, qui Remp. Christianam & Ecclesiam Catholicã ab hostibus Fidei tutantes occidũtur, in 4. dist. 49. q. 5. art. 2. ad 11. eiusdemque sententiæ est * non semel. Verùm ego hæc pluribus sum prosecutus, non quòd illa omnino hîc probem, non ig-

* 2. 2. q. 124. art. 4. & 5. & ad 2. & 3. Ad Ro. 8. lect. 7. ad Ephes. 3. lect. 1. Vid. Bonacin. D. 2. de Baptism. q. 1. p. 2. n. 12

ignorans quid alij de hoc bello prudenter sciteque iudicaverint, sed quòd, vnde opinio illa emanaverit, manifestem. Vid. Baron. ad ann. 812. Pergo.

Cuius fuit Pater Milo de Angleris, &c.] Vvalterus sive Vernerus Rollevinck auctor Fasciculi Temp. in Carol. M. *Milo de Anglere Dux exercitus Karoli, pater Rolandi cum multis Christianis occisus est in bello ab Aigolando.* Petrus de Natalibus lib. 5. cap. 123. *Rotlandus Comes Cenomanensis, Dominus Blavij nepos Caroli ex Bertha sorore, & filius Milonis de Angleris.* Visitur hodie Milonis sepulcrum ad Facundi monasterium in sacello, ubi Monachi sepeliuntur, cum effigie armis ornata lapidi candido incisa, & hac inscriptione.

Inito bello inter Carolum Magnum R. Christ. Romanorum Imper. & Aigolandum Principem infidelium, in pratis iuxta Fl. Ceia, ann. Dom. 805. fuit constitutus à Rege Carolo Dux exercitus Milo de Angleris, pater Rolandi, qui post ingentem hostium editã cædem in eo prælio martyrij palmam adeptus est; eiusque corpus in hoc regio Cœnobio SS. MM. Facundi & Primitivi sub hoc sepulcro conditum iacet.

Eiusdem etiam mentio est in inscriptione sepulcrali Baldovini, qui à nonnullis putatur Nonius Belchides, ad S. Petrũ de Arlança, in dextro aræ maximæ latere: *AQVI iaze D. Baldovino Infante, hijo del Catholico Conde Fernan Gonzalez, i trasbisnieto de D. Baldovino, hermano de D. Roldan, de los doze Pares de Francia, hijos de D. Milon Conde de Angiers i Brava, i de D. Bertha, hermana del Emperador Carlo Magno.* Quas quidem ex fide F. Malachiæ de Vega Monachi Cisterciensis, qui se illas vidisse affirmat in Schedis Genealogiarum M. S. quas in mea Bibliotheca habeo, tom. 1. lib. 2. cap. 11. & lib. 4. cap. 2. bona fide transcripsi. Addo etiam Vincentium Bellovac. lib. 25. Spec. Antoninum Florentin.

p.2. summ.Hist.tit.14.cap.4.& Gundisalvum de Arredendo Arlanzæ Abbatem, Regum Catholicorum Historiographum, qui latissimè res Milonis & Rolandi prosequitur lib.1.de gestis Magni Castellæ Comitis Ferdinandi Gonzalez, qui M.S. apud me rara nobilitatis Hispaniæ monimenta conservat.

Qui Milo cum filio Adelardo,&c.] Vide quæ ad fragmentum hoc spectantia diximus ad ann.799.

Selva Abbas Agilienfis,&c.] Iulian. *Selva præclarus habetur Agalienfis Abbas.*

Æ.928. *Ioann. Episc. Tol.*] Etiam hic reperitur in Catalog.
C. 890. Toletanis, sed mutili illi sunt, vt dixi ad ann. 862. de hoc Ioanne Iulianus, *Succedit illi* (Petro 2.) *Ioannes Oscensis vel Ioscensis* (sic in M. S.) *prope Carthaginem, & Cantor Ecclesiæ Toletanæ & insignis præco verbi Dei, largus in pauperes, in sede Toletana.*

In oppido Prunis,&c.Raimundus,&c.] Quem ibidem abijsse ad superos testatur ann. Dom.900. idem Luitprand. Iulianus verò, *In oppido Prunis, Prusæ vel Clusæ in Carpetania* [nunc Ciruelos] *Raimundus pastor, patria Metelinensis Lusitanus, & opinione sanctitatis & illustriū signorum clarus habetur, cui erexerunt tunc Cives Prunitani in loco Tago proximo eremitorium. Celebratur ab antiquo tempore eius dies tertio die Paschatis Domini.* Rodericus Toletan.lib.7.cap.14.postquam præclarè Raimundum celebravit, addidit: *Mortuus autem sepultus est in villa, quæ Cirolos dicitur prope Toletum, vbi Deus per eum, ut fertur, miracula operatur.* Conservatur etiam hodie illius memoria in oppido eiusdem nominis, *Ciruelos* Hispani, *Prunis* Latinè, olim Ordinis Calatravensis, nunc Toletanæ Vrbis, ut ex antiquis monumentis constat apud F. Rades de Andrada cap.13.eiusdem Ordinis: Ibi etiam sacra ædes ad Tagum visitur. Vid. Bern. Britt.lib.5. Hist.Ord. Cistert. cap.8. & Ant. de

Iep.

lep.tom.7.Hiſt. Bened. Cent.7.cap.5. Vtrùm hæc ad ann.Domin. 1140. pertinêre apud omnes teſtatiſsimum eſt. Quem certè Luitprandus non attigit. Itaque diverſus hic noſter Raimundus ab Abbate illo, cui Calatravenſis Militiæ initia debentur, abſque dubio eſt. Idem utriuſque nomen & ſepulturę locus, ſed vitæ tempus & dignitatis munus diverſum fuit: nam ille paſtor, hic monachus, ab Scriptoribus perhibentur. De priori Luitpr. & Iulian. de poſteriori Roder. Tolet. ceterique Hiſpanicarum rerum Scriptores; & fortaſsè (quod uſu venire ſæpiùs obſervamus) recens huius memoria antiquiſsimam illius penitùs abolevit.

Metellinenſis Luſitan.] Nam *Metellinum in Luſitania, & Eremus Metellinenſis in Luſitania*, Dextro ad ann. 134. & 304. ad quem iam monui in Ptolemæo emendandum Κεκιλία Μετέλλινον pro Μέλλινον in exẽplaribus Græcis, utì in Latinis *Metellina* pro *Gemellina*, inter populos Luſitaniæ, ubi *Metellinenſis Colonia* Plinio, hodie *Medellin* Varrerio & Moralio.

Ioann. Tolet. ſuccedit Bonitus, &c.] Vide quæ ad ann. 862. Æ.929. C. 891.

S. Oſtianus Epiſcop. Aucenſis in Hiſp. &c. in tractu Vivarienſi, 30. Iunij relatus inter Sanctos.] Iulian. ex noſtro diſtinctiùs, ut ſolet, *Oſtianus S. Vir & Epiſcopus Aucenſis interfuit Concilio Ovetenſi, moritur in tractu Vivarienſi [nunc Vivar] Didaci Ruderici, Campiatoris dicti patria; relatus eſt in catalogo SS. Agitur eius dies 30. die Iunij.* Martyrol. Roman. & Vſuardi eodem die, *in territorio Vivariẽſi S. Oſtiani Presbyteri & Confeſſoris.* Æ.933. C.895.

Epiſcopus Aucenſis in Hiſp.] Olim in vaſtatione Hiſpaniæ à Mauris Aucenſis Eccleſia cum Auca diruta, & ab ipſis iterum erecta, pietate Vrracæ & Elviræ feminarum Regio ſanguine Ferdinandi primi procreatarum, ab oppido *Gamonal* ſub invocatione D. Marię ann. 1074. tranſ-

lata & erecta, & Episcopo Simeoni data; Ruderico Diaz cognomento *Cido*, siue *Campiatore* confirmante, tandem ab Alphonso 6. Rege, cùm Vrbs Burgensis esset ædificata, à Gamonal ad eius amplificationem, Aucensis Ecclesia iterũ translata; de qua Vasæus cap. 20. Loaisa Not. ad Conc. apud Lucum. Saltum Aucensim hodie vocant ab *Aũca* Vrbe veteri, cuius ad Villamfrancã vigesimo supra Burgos milliari vestigia monstrantur, *Mõtes de Oca*: vide Mariet. lib. 22. Hist. Eccles. Hisp. Medin. & Didac. Perez de Mesa lib. 2. rer. Hisp. cap. 93. & 95.

In tractu Vivariensi.] Scio ubi monasterium Vivariẽse sit apud Cassiod. cap. 29. divin. instit. & apud Marianum Scotum; scio *Episcopi Vivariensis* mentionem esse in Decreto 2. caus. 7. sed hîc *nihil*, quod aiunt, *ad Bacchum*, *Vivar* non longè à Burgis, patria Magni Herois Ruderici Diaz, qui ab illa de *Vivar* dictus est ab Alphonso 10. in Chronic. general. par. 4. cap. 3. & cuius meminit ipse Rudericus in *chartula donationis, vel profiliationis & cõfirmationis* (ut vocat) facta Scemenæ coniugi *die 13. Kal. Aug. Æra 112. post 1000.* Quique *Campiator* Ruderico Toletano cap. 19. & 29. lib. 6. & *Campidator* in monumẽtis antiquis vocatur, ut à Mauris *Cidus* honoris caussâ, siue *Zaidi*, *Dominus*; de quo alibi copiosiùs.

Cordubenses Muzarab. ædificant intra Vrb. temp. &c. Genesio.] Fortè *reædificant*, ut hoc tẽpore Muzarabes Cordubenses S. Genesij monasterio aliquid operis impenderint. De hoc monasterio Eulogius in Apolog. Martyr. *Apud Viculum Tertios, quo monasterium S. Genesij fundatũ est.* Alvarus in passion. S. Eulog. *in Basilica S. Genesij, &c. quæ sita est ad locum Tertios, exstitit tumulata* Leocritia; Raguel presbyter in vita S. Pelagij Martyris, *cuius quidã caput cœmeteriũ tenet S. Cypriani, corpus verò cespes S. Genesij.*

Martyri.] Sic voluit Eulogius cap. 12. lib. 2. mem. SS.

Requiescit apud Genesium Martyrem venerabilis Liliosa, & Alvarus, *in Basilica S. Genesij Martyris.*

In persecutione Imp. Neron.] Annè Domitiani? Nam qui *primùm sub Gentilitate Mimus spectante Domitiano, à Deo inspiratus repentè conversus ad Fidem, & baptizatus est,* testibus Vsuardo, Beda, Adone, & Martyrol. Rom. 25. August. ad cuius etiam persecutionem referunt etiam ijdem alterum Genesium *exceptorem* Arelatensem eodem die; annè alius, qui in veter. Martyrologijs cum Anastasio, & alijs passus est 11. Octobris? Iulianus opportunè succurit in advers. *Toleti habetur in honore S. Genesius Martyr Cordubensis passus sub Nerone, &c. dicitur Hispanus fuisse, & miles Legionarius.* AE. 934 C. 896.

An Adelardo, &c.] De quo ad ann. 799. AE. 938

Marinus & Romanus, &c.] De his ad ann. 846. C. 900.

Prunis in Carpetania, &c.] Vt de hoc ad ann. 890. AE. 940

Bonito, &c. sufficitur, &c. Archidiaconus eius Servus-Dei nominatus, &c.] Non Boniti, sed Ioannis successorē hunc tradit Iulian. *Cui successit Servus-Dei Archidiac. Tolet. eiusdem Ioannis, Vir bonus & pius*: vide quæ ad ann. 862. C. 902.

Qui librum scripsit, Quòd filius Dei CHRISTVS *videt in cælo faciem Patris.*] Gennadius cap. 87. de illustr. Eccles. Script. *Servus-Dei Episcopus scripsit adversus eos, qui dicūt Christum in hac vita degentem non vidisse carneis suis oculis Patrem, sed post resurrectionem ex mortuis, & ascensionē in* * *cælis, cùm translatus est in gloriam* * *Patris, profectus scilicet ei dantes in remunerationē Martyrij.* * *In qua Scriptura ostendit, & disputatione sua, ac sanctarum Scripturarū testimonijs Dominum* IESVM *ab ipso eius conceptu per Spiritum Sanctum facto, & partu ex Virgine, quòd Deus verus in homine vero, ipse quoque homo Deus factus natus est, semper carnis suæ oculis, & Patrem vidisse, & Spiritum S. perspecialem, & unitam Dei, & hominis societatem.* Nec aliter Ho-

* *In cælos* habēt Honorij August. Codd.

* *Patris hoc dātis ei in remun.* Honorius.

* *Ostēdēs ex Scripturis D. I. semper carneis oculis, & Patr. & S.S. vidisse.* Honor.

Honorius Augustudonensis de luminaribus Ecclesiæ, sive de Script. Eccles. cap. 87. sed in utroque illud admonendum est, si per *oculos carnis suæ*, sive *carneos* intelligũt Servus-Dei, & Gēnadius, & Honorius humanum intellectum, rectè locutos, cautiùs tamen loqui debuisse, ut Anton. Possevinus opportunè notavit in Apparat. sacr. sive (ut id manifestiùs enodem) si illis in animo fuit CHRISTVM in carne vidisse faciem Patris ab instanti conceptionis non oculis quidem carneis, sed per intellectum à Deo confortatum, ut Theologi loquuntur, rectè sensisse; nam hunc esse Iobi cap. 19. 26. sensum, *Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum*, ex Augustini, & aliorum PP. doctrina docent eruditissimi viri Gasp. Sanctius, & Io. de Pineda: nam Deum oculis carneis videri non posse, docet D. Thom. 1. par. quæst. 12. a. 12. ex antiquorum PP. placitis, & in eum clarissimi Th. Caietanus, Franc. Suarez, Gab. Vazquez. Sed id viderint Theologorum filij; nunc historiarum Sparta exornãda à nobis tantùm est.

Verùm an Gennadius Servi-Dei huius potuerit mẽtionem facere, vel hic illi notus esse, potest in controversiam vocari. Cùm Gennadiũ tempore Gelasij Pontificis, hoc est circa ann. 490. vixisse ipse Gennadius extremo lib. de vir. illustr. satis ostendat, & Servum-Dei, de quo hîc Gennadius, ann. 480. floruisse doceat Trithem. lib. de ijsdem Script. Vnde crediderat vir doctus Luitprando errandi occasionem emanasse, cùm huîc Servo-Dei attribuerit, quæ alterius fuisse manifestum sit. Ex affinitate nominum id sæpiùs accidisse, cui non est notum? Sed nescio unde hæc nata dubitatio, cũ decem annis Servus-Dei Gennadium præcesserit, & uno eodemque tempore uterque floruerit. Hoc tempore alios Servos-Dei in Hispania nominatos index est S. Eulogius cap. 9. & 13. lib. 2. Mem. Sanctor. qui Martyrij laude

se

ſe verè Servos eſſe Dei conſtanter teſtati ſunt.

S. Luciani, &c. Oſſa Bellovaco translata ſunt ad urbem Vicenſem, &c.] Dexter ad ann. 308. *Reliquiæ S. Luciani Epiſcopi Vicum transferuntur.* Hodie illius corpus frequẽti ſignorum demonſtratione colitur in ſacello Luciano & Martiano ſacro Eccleſię S. Saturnini apud Vicũ Auſæ (ut vocat Beuterus lib. 1. cap. 16.) nunc *Vich*, ſive *Vique* in Gotholaunia; & ità certè eſt; nam ubi olim Ptolemæi ἄυσα urbs, nunc illius quaſi *Vicus*. Luciani huius Acta leguntur in Breviario pervetuſto Eccleſię Vicenſis, ex quo Ant. Vincentius Domenech lib. 1. de Sanctis Gotholon. 26. Octob. & Hieronym. Pujades lib. 4. cap. 55. Chronic. Gotholon. ſuâ linguâ referunt; ſed in ijs *Auſetanus*, ſive *Vicenſis Lucianus* hic dicitur, & *in patria martyrij palmam conſecutus*. Nihil de Bellovaco, nihil de Dionyſio Areopagita, cuius *Lucianus comes*, cùm in Galliam veniret, fuit: & *Bellovaci in Gallijs* paſſus, ut tradunt Beda, Vſuardus, Ado, Martyr. Roman. 8. Ianuarij, ceterique Scriptores, qui Dionyſianæ prædicationis meminerunt: unde, ut ſæpè ſolet, vel ex duobus Lucianis unus conflatus eſt, vel ex uno diverſis in locis duo emerſerunt.

Alij putant Luciani Reguli Carpetanorum corpus paſſi cũ Quiteria, &c.] De quo indiciũ in Breviario antiquiſsimo M.S. Eccleſiæ Toletanæ, in quo Quiteriæ res geſtæ referũtur, *Surgẽs B. Quiteria electis virginei ſexus triginta comitibus, octoque præſtantibus Viris, ad præfatum locum pervenit, ubi Rex Leutinanus*, ſive *Lencianus* (lego *Leucianus*) *apoſtata imperabat, qui pluribus ſermonibus cum ea habitis, cùm nec avertere eam à bono propoſito potuiſſet, iuſſit eam mitti cum comitibus ſuis in carcerem, ubi ipſum Regem ad Chriſtum cõvertit, &c. dum hæc fierent, miſit pater eius* (Catilius) *Dumanum, cum quo eam deſponſare cupiebat, & præcepit ei, & militibus ſuis, ut qui eam prior inveniſſet, gla-*

dio

dio trucidasset; cùm autem invenisset eam Dumanus, interfecit eam cum multis alijs. Annè cum his *Leucianus*? ita ex Luitprãdo videtur. Sic etiam voluit Iulianus in Adverſ. *Regulo Carpetanorum Leuciano perfido Fides Christiana cœpit labefactari: at veniẽte ad eam regionem S. Quiteria, Leucianus resipiscens cum multis alijs socijs martyrij coronam accepit*; & in Chronic. *In tractu Toletano celebris habetur memoria S. Quiteriæ V. & M. prope Margelizam passæ, &c. Floruerant cum Quiteria sub Leuciano Toletanorum Regulo Columba Virgo, Martialis & Simplicius Antistites.* De *Quiteria* vide ſis quæ ad Iulianum noto.

Cum corpore S. Marciani.] Qui unà cum Luciano, ſive Leuciano veneratur hodie in Vicenſi Vrbe; Vincentius Domenech de SS. Gotholan. lib. 1. & Pujades lib. 4. cap. 55. ſed quare de hac translatione, quæ multò antè acciderat, hoc tempore Luitprandus egerit? fortaſſe aliquis requirat. Sciat ille, non hîc translationis tempus aſsignari ab Scriptore noſtro, ſed de illa mentionẽ ab ipſo factam, ut hanc de Luciani Bellovacenſis, ſive Leuciani Carpetani corporibus alienam opinationem proponeret.

Opinio fuit in Hispania prædicasse Iacobum Evangelium à fratre Ioanne nondum scriptum, &c.] Nam utrumque ad Chriſti Evangelium Gẽtibus diſeminandum ante alios egreſſum accuratè probat Vir eruditus Fr. Ioann. de la Puente lib. 2. cap. 25. & lib. 3. cap. 1. Convent. Monarc.

In Hispania.] Ex ea Iulian. in Chronic. *Evangelium S. Ioannis, quod Iacobus in Hispania prædicaverat, ut à fratre acceperat, accipitur ab Hispanis.* O miram Hiſpanicarum traditionum his de rebus concordiam! inter theſauros rerum arcanarum in monte Illipulitano aliquot ante annos repertos, inventum etiam eſt initium Evangelij τὸ κατὰ Ιωαννην unà cum S. Cæcilij Iacobi Zebedæi F. Vnici Hiſpaniarum Patroni Diſcipuli Scriptis

curâ

curâ Patricij Sacerdotis adversus ipsius temporis edacitatem servatum. Incredibile quantum hac super re sententiarum dissidium enatum est. Multis difficillimũ videbatur ante annum secundum Neronis, quo Martyrium subibit S. Cæcilius, Evangelium ab Ioanne scribi potuisse, quem sub Nerva ex multis scripsisse probat Baron. ad ann. 99. Verùm inconcussam hanc, ut multis videbatur, difficultatem tantis ingenij, & eruditionis viribus evicit D. Gregorius Lopez Madera supremi Senatus Consiliarius, cap. 21. & 22. libro, pro illis thesauris Apologetico, ut nescio an ingenium in re difficillima enodanda admirer magis, an rei ipsius in argumenti maximè necessarij enodatore felicitaté. Certè postquàm omnium sententijs acutè fecit satis, ut quam tutabatur, verissimam stabiliret, quasi Luitprandum, aut Iulianum illi adhuc incognitos ante oculos haberet, in rem nostram ità coniectatus est, *De adonde se puede colegir, que Sanctiago predicò conforme al Evangelio de S. Ioan su hermano, &c. Parece que alude a esto haber llamado Christo a estos dos hermanos hijos del Trueno, por haber de predicar el Evangelio ambos por modo tan mysterioso, i traherle el uno a los fines de la tierra, como hallamos, que le traxeron i dexaron los discipulos del mismo Sanctiago, escripto en España, aũ antes que sea cierto que Asia le tubiesse en publico, que es una grande excellencia deste Reino, i grande prenda de la firmeça que ha tenido en la Fè.* Hæc ille fol. 89. num. 10. vide etiam D. Ludovicum de Tenas è Canonico Toletano Episcopum Tarraconensem, Theologum doctiss. amicum heu! olim nostrum in Isagog. S. S. post quos ego, ---- *verbum non amplius addam.*

Vt docet Chrysost.] Homilia in Ioan. & in Matth.

Clara divinitatis dicta.] Sic doctrinam Evangelij Ioãnis vocat. Nam *Coactus* (Ioannes) *& ab omnibus penè tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarũ Legationibus,*

DE DIVINITATE *Salvatoris altiùs scribere, & ad* IPSVM, *ut ita dicam,* VERBVM *non tam audaci, quàm felici temeritate prorumpere. Vnde & Ecclesiastica narrat historia, cùm à fratribus cogeretur, ut scriberet: ita facturum se respondisse, si indicto ieiunio, in commune omnes Deum deprecarentur: quo expleto, revelatione saturatus, illud proœmium è cælo veniẽs eructavit [In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum]* ut ait Hieronym. præf. in Evang. Matth. consentientibus cunctis PP.

Corpus S. Levitæ Vincentij Aginnensis Valentia delatum per q. nunc servatur in Algarvio.] Rei, quomodo gesta est, rationem ex Rase Arabe Dalharab Marrochiorum Miramomelini & Cordubæ Regis Historiographo reddã, in Historia rerum Hispanicarum M.S. ex Arabico Hispana, ex hàc Latina, cùm de Abderramene ageret, *Afflixit* (inquit) *mirum in modum Hispaniæ Christianos. Nec fuit civitas, aut oppidum munitum, quo se tueri adversus potentiam eius posset, sed habitatores desertis civitatibus confugiebant ad Asturiæ mõtes: hic omnes Hispaniæ Ecclesias, quas adhuc integras invenit, destruxit. Erant autem multæ & egregiè fabricatæ, tam à Græcorum, quàm à Romanorum temporibus. Hic omnia corpora illorum, in quos Christiani credunt, quosque venerantur, sanctosque appellant, rapta de Ecclesijs comburi faciebat. Quo viso Christiani, ut quique poterant, cum talibus his rebus fugiebant ad montes, & tuta, atque inaccessa loca. Itaque pleraque omnia, quæ in Hispania erant, secundùm Christianorum Fidem religiosè culta, ad Asturiæ mõtana sunt deportata. Cùm autem appropinquasset Valentiam Christiani, qui ibi habitabant, habebant ibi corpus cuiusdam hominis mortui, cui nomen erat Vincentius; & ipsi adorabant illum, quasi Deum, & qui corpus in potestate habebant, persuadebant vulgo, quòd ille homo cæcos faciebat videre, mutos loqui, & claudos rectè ambulare. At sic dementabant* (ità perfidi opinabantur) *stultam gentem: cùm autem*

cogno-

cognoverunt de Abderramenis adventu, timuerunt ne hæc fallacia detegeretur, & fugerunt, corpus illius hominis secū portantes. Et dixit Haliboaces Eques ille bonus Facensis, se cùm die quadam cum suo comitatu venationis caussa venisset ad oram maris in Algarbio in fine montis, qui mare illud ingreditur, invenisse ibi corpus illius hominis cum ijs, qui cum illo fugerant à Valentia, qui ibi domunculas fecerant, in quibus habitabant, &c quæ Arabici Scriptoris verba eleganti carmine expreſsit L. And. Reſendius lib. 2. Vincentij Levitæ. Accedit ijs præter antiquam eorum populorum traditionem, & promontorij illius nomen, quod *Cabo de San-Vicente* hodie dicunt, hac ab re impoſitum, antiqua Regis Alphonſi Henriquij primi Luſitanorum Regis Hiſtoria Latinè ipſius temporibus ſcripta apud S. Crucis Conimbricenſis Canonicos: tum etiam Eduardus Galbanus in ea, quam Luſitanè ſcripſit, de eodem Alphonſo, qui Algarbio poſteà Vlyſsiponem Vincētij corpus incredibili populorum frequentiâ detulit; ſuffragantur Vaſæus ad ann. 757. Reſendius not. ad lib. 2. Vincēt. & epiſt. ad Keb. Morales lib. 10. cap. 8. Garibai lib. 37. cap. 1. Britto lib. 7. c. 8. Mariana lib. 7. cap. 6. alij. Ingēs tamen inter Scriptores noſtros controverſia eſt de hac S. Martyris Vincentij in promontorium ſacrum delatione, & de ea, quæ ad Gallos Auctore Aimoino S. Germani Pratenſis apud Pariſios Monacho lib. de inventione, ſeu translatione S. Levitę Vincentij facta dicitur; utrāque conciliare Scriptores aliquot contendunt, ex ijs adi Scolanum lib. 2. cap. 7. Hiſt. Valent. Diagum lib. 6. Annal. Valent. cap. 7. Murillum lib. 1. cap. 25. Hiſt. Cæſaraug. Carrillum cap. 10. Hiſt. S. Valerij, Ainſam cap. 18. & 19. lib. 2. rer. Oſcenſ. ſed omnium diligentiam vicit optimus & doctiſsimus amicus noſter D. Antonius Brādão Hiſtoriographus Regis in Luſitania maximus, cap. 23. & 24. lib. 11. Monarch. Luſit. apud quem habes, quæ

huic rei conducant maximè, ex Scriptore antiquo *M. Stephano sedis Vlixbonensis præcentore* in Alcobacensis Monasterij, & Ecclesiæ Vlyssiponensis Archivis religiosè servato, cui maiorem, quàm ceteris, fidem adhibendum meritò existimamus.

Non Agennensis.] Vt utriusque Vincentij Levitæ & Martyris vitaret, quæ non raro contigit, confusionem, Heleca Cæsaraugustanus Episcopus in addit. ad M. Maximum præivit. *Cæsaraugusta felix putāda est, quæ duos sub Valerio Pontifice habuit Vincentios, utrumque Archidiaconi laude præstantem, alterum Oscensem in Hispania, Agennensem alterum in Gallia: antiquior Agennensis, quem in Galliam misit prædicationis gratia S. Valerius, &c. Vterque passus est in persecutione Diocletiani, &c. Vterque sepultus est in Vrbe Valentia Hispaniæ, prior allatus est ad Promontorium Sacrum, hic verò ad Gallias ad monasterium Castrense anno circiter 850. Hispanus 757. obsidente Valentiam Abderramene, &c.* Vide quæ in Helecam hìc noto, & ad Luitprandum ann. 615. ex hac utriusque Martyris tot rerum affinitate, Baronius quæ Aginnensis sunt, Oscensi sive Cæsaraugustano adtribuit ad ann. 561. meliùs Christoph. Bovverus ad lib. 1. Venantij Honorij Fortunati, num. 8.

Æ. 943. C. 905. *Duæ Rhemenses Synodi, &c.*] Annè de ijs hæc intelligenda Concilijs, de quibus inscriptio sepulcralis apud S. Petrum Ioannis Noni P.M.

Concilijs docuit ternis qui dogma salutis?

Nam circa hæc tempora floruisse certum est, sed immeritò, cùm ipso hoc anno 905. ad plures abijsse Io. hunc Ecclesiastici Annales prodant. Veriùs tamē puto, quod Flodoardus testatur cap. 14. hist. Rhem. lib. 4. de Heriveo Rhemorum Præsule, qui *Conventus Synodales sæpè cum Coëpiscopis suæ Diocesæos habuit, in quibus de iure & religione sanctæ Dei Ecclesiæ statuque Regni Francorum*

corum salubriter, competenterque tractavit. Catalogus Archiep. Rhemens. ex Flodoardo, antiq. Catal. M.SS. Demochare, & alijs distinctiùs, *Hiriveus, &c. ordinatur ann. 901. Pallium accipit à Benedicto 4. PP. ann. 905. duos habuit Synodos, &c.*

Orontius Episcop. Tolet.] De quo ad ann. 862. AE. 948

Sub Abderram. & Almans. Tol. gub.] De eisdem Iulianus, cùm obitum Orontij referret, *sub Abderraman Almansoreque.* C. 910.

Congregat Toleti Concilium, &c.] Convenięter hoc curatum à viro *miræ vitæ magnæque doctrinæ, qui multũ iuvit Muzarabes captivos à paganis mirum in modum afflictos,* teste Iulian. AE. 952 C. 914.

Rhegino Abbas, &c.] Sigebertus in Catal. cap. 112. *Rhegino Abbas Prumiensis, scripsit ad primum Alberonem, Metensem Episcopum, Chronicam continentem præcipuè gesta Francorum, quam à nativitate Christi perduxit usque ad annum nati Christi 908.* exstat Rheginonis vita & stemma gentilitium curâ Sebastiani Rotenkan Franci I. C. & Equitis aurati in editione Mogũtina anni 1521. apud Io. Scheffer. Æ. 954. C. 916.

Ægidius Tusculanus Ep. Io. P. leg. Ap. Polon. ad Fidem Christ. convertit.] De hac Ægidij legatione & Polonorũ conversione Martinus Cromerus in Chron. Polon. ex eo Baronius & Gordonius, sed multò pòst, hoc est an. Dom. 965. verùm certissimũ est, quòd de Polonis censet Geneb. cùm ait: *Ann. 964. Mieslaus Principatum Polonicum post patris Zemomissi funus, ann. seq. 965. Christianũ baptisma cũ tota gente suscepit. Hinc deinceps Poloni publicè Christiani. Ante quem annum supputatio temporũ apud eos est incertissima.* Fortasis hæc apud Luitprandum suo loco mota, & post ann. 960. inter cetera, quæ tumultuariè cõgerit, reponenda, cuiusmodi etiam esse fragmentum sequens non inutiliter divino, nam Æ. 956. C. 918.

Obÿt Vir S. Rudesindus, &c.] Nō hoc anno, sed 977. cū 17. Kal. Februarij eiusdem anni testamentū condiderit, quod habes in Appendice ad tom. 5. Chron. gener. Bened. vide nunquam sine singulari nobilitatis, eruditionis, & virtutum Heroë dignarum laude nominādi D. Roderic. à Cunha, Primatis Bracarensis, cap. 13. par. 1. Hist. Episcop. Portuensium.

Kal. Martÿ.] Eodem die Ordonius Monachus, qui illius vitam scripsit, à quo accepêre Morales lib. 16. cap. 36. Britto c. 24. 25. lib. 7. Monarch. Lusit. Baron. ad ann. 977. Maurus lib. 2. hist. S. Iacob. cap. 12. Ant. de Iepes ann. Christi 935. tom. 5. Chron. Bened.

Sepelitur Dumÿ.] Rudesindus *Episcopus Dumiensis* non solùm in donatione ab ipso facta monasterio Cællæ-novę ann. Dom. 935. sed in diplomate Celestini 3. P.M. quo Rudesindum in Catalogum Sanctorum refert, anno quinto Pontificatus appellatur; verùm in Cællæ-novæ monasterio illum tumulatum non tantùm illius monasterij traditio, & sepulcrum Rudesindi manifestat, sed Scriptores omnes tradidêre. Plura nos, & selectiora de B. Rudesindo in historia Familiæ *Sousarum* antiquitate, & claritudine nulli ex primoribus in Hispania secundæ, cui illum cognatione coniunctum, probant ex lib. Genealogiarum D. Petri Alphonsi, Comitis Barcelensis Dionysij Regis filij, tit. 21. §. *Dos Sousaõs* & *Sousas*, illustriss. Bracarensis, Britt. & Eduardus Nonius fol. 5. Geneal. Reg. Portugal.

AE. 962. *Rodulphus Burgundio cont. Berengarium creatur.*] Hoc
C. 924. anno mortuum Berengarium noster Luitprādus in hist. rerum per Europam gestarum refert: vid. Baron. ad ann. 922. 923. 924. Gord. ad ann. 924.

Æ. 964. *Muzarabes miseris modis à Sarracenis tractantur, &c.*]
C. 926. Vid. quę ad epist. Tractem. litt. D. & ad ann. 782.

Floret S. Eugenia V. & M. quæ in territorio Cordubensi,

Vrbe

Vrbe Vtica[*nunc Marmolejos*] *passa est ann.923.&c.*] Morales ad calcem Not.in D.Eulogij opera fol.110.*Viginti nunc quatuor anni plus minus aguntur, ex quo Cordubæ prope Vicum, cui nomen est* los Marmolejos, *dum domus fundamentis ſcrobes effodiuntur, lapis marmoreus candidus non admodum magnus fuit erutus, qui tredecim verſus habebat inſculptos,&c. litteræ verſuum primores integræ fermè omnes perdurarunt; ut nomen S. Eugeniæ Martyris in hunc uſque diem fidelibus proderent.*

Chriſtiani Muz. ob memoriam Martyris poſ. epitaph. verſib.acroſtichis.] Qui hodie leguntur in ipſo lapide in aræ uſu conſecrato Cordubæ in D.Paulli cœnobio ord. Præd.&apud ipſum Moralem,qui primus acroſtichos in illo invenit, & Baron.ad ann.923. quoſque iterum antiquiſsimos Miſti-arabes imitatus in memoriam Martyris hìc dabo.

. . . .
. . . . LIS . . . VVLNERA . . . . .
GENV . . . . VS TRVCVLENTVM
EX . . . . QVI FOECVNDA
NOBIS HIC . . . . RETENTAT
IN COELO DEHINC MERVIT PER SAECVLA VIGENS
ADIVNCTA POLLET CVRIE SANCTORVM IN ARCE
MERCEDES IPSO RVTILI SVA SOLE CORVSCAT
AMBIENS SACRI GLORIAM DE MERCE CRVORIS
REX TRIBVIT CVI CORONAM PER SAECLA FVTVRA
TV ITAQVE NVTIBVS MARTYR NOS MANDA DIVINIS
IDEM SVB ÆRA NOVIES CENTVM IVGVLATVR
. . . SEXAGIES ET VNO SEPTEM DE KALENDIS APRILIS.

Habes hìc è litterarum, quæ integræ manent, veſtigijs τὸ integrum EVGENIA MARTYR: Ad Luitprandum redeo.

Vrbe

Vrbe Vtica.] Quæ in *Bætica* Dextro ad ann. 64. & Antonino inter *Eporam* & *Castulonem*, ut ad ann. 647. dicebam, plura ad Dextrum.

Nunc Marmolejos.] Inventio lapidis memoriæ S. Eugeniæ dicati *prope Vicum, cui nomen est los Marmolejos*, iam comprobat.

Passa est ann. 923.] Moral. *Passa est anno Domini nongētesimo vicesimo tertio, Martij mensis die vicesimo sexto, regnante iam Habdarraghman, huius nominis quarto, regni eius anno duodecimo*, astipulante Baron.

Æ. 968. C. 930. *Thecla V. Bened. Conchæ Camporum.*] Iulian. ad ann. 920. *Florebat hoc tempore S. Thecla Virgo Monialis Benedictina in oppido Vaccæorum Conchæ Camporum*: sic vocat Ægidius Zamorensis; vide quæ ad Dextrum ann. 132. de *Concana* olim dixi.

Æ. 969. C. 931. *Corpus S. Cyriaci repertum est à quodam bubulco, quod ad Gallias ab Hisp. &c.*] Eodem modo Iulianus semper aliquid, suo more, addens *S. Cyriaci corpus inventū à bubulco, ann. 930. ad Gallias ex Hispania allatum; est Nivernis*, de quo quid amplius notem, non invenio.

Æ. 970. C. 932. *Basilius sedet in sede Tol.*] Quem *Blasium* & *Basilium* etiam vocat Iulianus: vid. ann. 862.

Hoc anno Rex Toleti Mezquitam maximā amplificat.] Iulian. *Rex Toleti Mezquitam maximam ampliavit, & multis pretiosisque marmoribus exornavit.* Vox hæc *Mezquita* Arabibus sonat *domū orationis*, in terminatione *Mezquidum*, à verbo *Segede*, geniculari Deo oraturum, ut volunt Didacus Vrrea & Covarruvias; apud Scriptores tamē nostros, qui de Arabibus agunt, frequēter usurpatur.

Basilius scribit ad Silvanactum & Floresind. presbyt.] Iulian. *Silvanactus Episcopus Bracarensis, & Floresindus Auriensis, ad quos vivens Basilius Toletanus scripserat, florent opinione doctiss. & sanctiss. Pontificum.*

Marinus Diaconus Hisp. &c.] Consule quæ ad ann. 846. iam notata sunt.

Basilius Tolet. Concil. contrah.] Iulian. *Basilius Concilium contrahit hoc anno in Vrbe Toletana. Conveniunt autem ad illud Episcopi, videlicet, Egas Valentinus, Andreas Emeritensis, Theodomirus Bracarensis, Adelphius Elborensis ex Carpetanis, & alij numero 30. agitur de reformatione Cleri, & de Officij mutatione. Fuit hoc Concilium ferè nationale.* Æ. 974. C. 936.

Io. Servus-Dei succedit, &c.] Vid. quæ ad ann. 862. Æ. 976. C. 938.

Sub hoc, & in hoc anno multi Martyres passi sunt in Hisp. &c.] Iulianus, ut solet, *Per hoc tempus multi Martyres in Hispania, tametsi nõnulli dicantur degenerasse; de qua re exstat epistola elegantissima, & zelo & fervore Fidei Catholicæ plena, quam scripsit Io. Servus-Dei Patriarcha totius Hispaniæ Archiepisc. Tolet. ad omnes totius Hispaniæ Muzarabes, quæ incipit, Multorum relatu.*

Celeb. mem. in Hisp. S. Agathangeli pass. cum S. Clemente Ancyrano, &c.] Vtrumque celebrat Menologium Græcorum 23. Ianuarij, Metaphrastes apud Lipoman. tom. 5. & Surium tom. 1. & Nicephor. lib. 7. cap. 14. & eodẽ die Martyr. Roman. *Ancyræ in Galatia S. Clementis Episcopi, qui sæpiùs cruciatus, tandem sub Diocletiano Martyrium consummavit: Ibidem S. Agathangeli, qui eodẽ die sub Lucio Præside passus est.* Sed quare in Hispania celebris illius memoria? subijcit namque,

Fuit Agathangelus patre Romano natus Ilici in Hispania.] Iulian. *Floret memoria S. Agathangeli, patre Romano, matre Ilicitana Hispana, qui passus est cum S. Clemente Ancyronensi,* & *Ilicem* in Hispania esse testis locuples est Põponius Mela lib. 2. cap. 6. cùm de *Alone* & *Lucentia* Vrbibus Hispanis agit; & Ptolemæo Ἰλικίας est Vrbs Contestanorum maritima, in Hisp. Tarraconensi, hodie *Elche*, ut meritò volunt Scolanus lib. 6. cap. 9. & Diagus lib. 2. cap. 19. rer. Valent. non multum abludente nomine, præsertim *Ilce* Colonia apud Panvinum.

Ble-

Bletissæ florebant corpora trium SSS. Pastorum] Dixi de ijs olim Apologia Hispana pro Dextro Novit. 3. dixi nuper comment. Latino ad ipsum Dextrum ann. 1. nunc repetam verba Iuliani in adverſ. hûc spectantia. *Nunc maximè florent Bletissæ prope Salmanticam tres sancti Pastores translati ex Turre* * *Ader Hierosolymas, inde Bletissam in Hispanijs; obierunt eodem die, scilicet 25. Decemb. anno post Christum natum 40. iam ætate graves, miraculis illustres, vita omni ætate sanctissimè peracta: nomen horum, ut in quibusdam libris legi, Iacobus, Isacius, & Iosephus, inter se cognati, &, ut creditur, virgines, ex urbe Nazareth honesto loco nati, erant opiliones. Allata fuisse creduntur à quodam Bletissano post ann. 900.* Cuius quidem rei nõ adhuc abolita memoria penitùs est. Nam Bletissæ, sive Ledesmæ in quodam Sacello Ecclesiæ S. Petri visitur hodie marmoreum monumentum, in quo ex antiquissima populi id ultrò constanterque asserentis traditione à quodam Bletissano Equite condita olim fuerunt corpora trium illorum, quibus

* Vt ait Beda c. 8 de loc. Sãct. vid. Hieron. epist. 27.

---- Priùs ignaris Pastoribus ille ----
Emicuit, quia Pastor erat, ----

Vt ait * Sedulius nostras. Illorum duo capita integra, tertium aliquantula parte diminutum, vetustatem colore referentia, unà & triplex pedum, pastoritij muneris insigne, etiam in receptissimæ assertionis testimonium demonstrantur. Quæ quidem mihi à se visa explorataque bona fide retulit Thales meus Rev. P. Petrus Hurtado de Mendoça, singulare Soc. IESV ornamentum, quippè qui genere, ingenio & doctrinâ illustrissimus, non voce solùm Hispaniam suam, sed Orbem universũ scriptis rarâ eruditione præstantibus quotidiè illustrat.

* 2. Carmin.

Tres fuisse *Pastores* hos tantùm ex antiquis affirmant Dexter, Luitprandus & Iulianus, quibus adde Bedam cap. 8. de loc. sanct. & D. Bernardum serm. 6. in vigil.

Natal.

Natal.Dom.ex recentioribus Baron. initio Annal.num. 7.Maldonatum comment. in Luc.2.num.9. Suarez tom. 2. in 3. par. quæst. 36. dist. 14. sect. 1. Io. de la Haie in Triumph.Verit.cap.9.num.11. vers.21. Franc. Panigarola fol.112. Comp. Ann.Eccles.Io.de la Puente lib.2. conv.Mon.cap.33.§.2. C.de Castro c.7.de hist. Deip. De *Bletissa* dixi iam ad ann. 748.

Io. Servum-Dei, cùm ego essem Tol. subd. cogn.] Vid.quæ ad epist.Luitprandi ad Tractem. & Not.liminar. Æ.982. C. 944.

Scripsit epist. quæ incipit, Multorum relatu.] Vide quæ ad ann.938.

Scripsit & ad Marinum, &c.] Iulian. *Scripsit etiam idē Io. ad Marinum PP. cui respondit Papa Marinus Hispanus, misitque ad eum legatum Agapetum.*

Obijt S. Pontifex Toleti Io. cognom. Servus-Dei.] Benè hoc anno, nam 937. Episcopus creatus est, & *annos 10. sedet*, ut ait idem Luitprand. Æ.984. C. 946.

Sepultus est in Ecclesia S. Lucæ.] Iulian. de hoc Præsule, *Obijt sanctissimè Toleti, iacetque apud S. Lucam, posuitque illi Latinum epitaphium Archidiaconus primarius Vistanus, pòst verò Archipresbyter, Vir optimus, & magnæ doctrinæ.* Hodie apud S.Lucam Toleti Gallicis, sive antiquis Castellanorum characteribus legitur inscriptio hæc,quam,ut transcripsi,referam;

I I

PBR. I. PET. MORITVR CVIVS CAPIT OSSA

†2 TELLVS MENS CAELO PONITVR ALTO

CONDI †2 Q†. VITA BREVIS SED GLORIA MVNDI

EST BREVIOR ---------- OBIIT ISTE

ERA M CC XL.

Alvar. Gomecius de Castro in hist. quam de Archiep. Tolet.adornabat, M. S. & Franc.Pisa cap.9.lib.3.hist. Tolet. hinc captam occasionem tradiderunt suspicandi hìc de Ioanne Toletano Antistite apud S.Lucā ex antiquatraditione sepulto; sedsi ad Ære notationē attēdas,

quæ multis post annis subsequuta Ioannem nostrum est, vel illa emendanda, vel alterius hæc inscriptio; quod certius affirmem, præsertim cùm Ioãnes hìc *Petri* cognomine, non *Servi-Dei*; *Presbyteri* dignitate, nõ Episcopi distinctè insigniatur.

Succedit, &c. Visitanus.] Qui Basilio successor dicitur à Iulian. vid. ann. 862. non mirum in hac rerum perturbatione perturbatas Scriptorũ sententias: Garsias Loaisa Not. ad decretum Gundem. *Visitanum* non novit, & in *Ioanne* dubiam Præsulum Toletanorum seriẽ finit. Eius hìc verba opportunè referam in Io. Servi-Dei laudem. *Io. verò Dei Servus vita & miraculis clarus, qui iisdem ferè temporibus, quibus Martyrium sustinuit Eulogius* (hoc est, Arabicę persecutionis, & tyrannidis tempore) *primam Toleti sedem, consentientibus clero & populo, tenuit, in tãta rerum permutatione, & aperto discrimine suas partes strenuè, atque viriliter egit; nam & furori indomito, sanctissimisque moribus immanitati restitit; impotentemque tyrannidem institutis vitæ præclaris oppugnavit. Quamobrem Io. vita privato, designari successorem Mauri non sunt passi. Fuit ergò Ioannes ferè ultimus Episcoporum, qui Toleto in Maurorum servitute præfuit. Vnde Pastore centum, & quinquaginta caruit annos, donec ab Alphonso sexto Rege civitas oppugnata est. Christiani autem Mozarabi, quamvis carebãt publico primoque Pastore, in spiritualibus, veluti Episcopũ, S. Iustæ parochum instituebant, quem electum summa cum observantia suspiciebant, ac venerabantur.* Sic Moral. Gariv. Mariana, Alcocer, Ortizius, Pisa, Nos olim in 2. pro Dext. Apolog. neque aliter sine his historiæ nostræ luciferis hactenus opinaremur.

AE. 986. *Synod. Ingelembensis in Germ. &c.*] Eodem anno Flo-
C. 948. doardus lib. 4. hist. Eccles. Remens. cap. 34. *Congregata denique Synodo in palatio Engulenheim*, & cap. 35. *De Synodo apud Engulenheim congregata*, &c. *S. R. & A. sedis* *Vica-*

Vicario Domno Marino, universæ sanctæque Synodo apud Engulenheim congregatæ Artoldus, &c. Regino Prumiensis lib. 2. Chronic. *Anno Dominicæ Incarnationis 948. Synodus in Ingelheym* (sic in editione Simonis Schardij, alijs ut notat Baron. eod. ann. *Englehem*, sed in correctioribus Flodoardi *Engulenheim*) *à 34. Episcop. habetur.*

XXXI. Episcop.] In Reginone 34. habes, sed corruptè; corrige 31. ex ipsis Episcoporum nominibus apud Flodoardum in Chron. à Pithæo edito, & tom. 3. Concil. par. 2. & apud Baron. hoc anno.

Berengarius Rex Italia, &c.] Flodoardus in Chronic. eodem ann. *Berengarius quidam princeps Italiæ veneno (ut ferunt) necato Lothario Rege Hugonis filio, Rex efficitur Italiæ.* Æ. 988. C. 950.

Concilium habitũ in Hisp. in urbe Cæsaraugustana, &c.] De quo seriè & verè veterem iudiciorum formulam pronuncio N. L. Æ. 989. C. 951.

Nunilo & Alodia, &c.] In Vsuardi Martyrol. *Numilonis & Elodiæ*; sed non benè, nam cum Luitprando cõsentiunt B. Eulogius lib. 2. cap. 7. memor. SS. & antiqua Breviaria Ecclesiarum Abulæ, Pampilonæ, Oscæ, & aliarum; nec aliter in privilegijs à Fortunio, Sanctio Garsia, Sanctio Garceano Navarræ Regibus Legerensi monasterio, ubi reliquiæ harum Martyrum in pretio habẽtur, concessis, & in Martyrol. Roman. De nomine hoc certissimum est: de martyrij tempore, & loco non item, si Scriptores nostros audias, quorum plures, quàm capita, sententiæ. Nam Bætici, Aragonenses, & Autrigones validè, ut singuli suas dicant, inter se contendunt. Pro Aragonensibus pugnant Marinæus Siculus lib. 5. rerum Hisp. Tarapha in Garsia Rege, Io. Briz Martinez cap. 41. lib. 1. hist. S. Ioannis de Peña, Franc. Didacus de Ainsa cap. 34. 35. lib. 2. histor. Oscens. Vincent. Blascus de Lanuza cap. 23. lib. 5. rer. Aragon. Pro Autrigonibus,

Io. Vasæus ad ann. 950. Steph. Garivai cap.6. lib. 21. & & cap. 1. lib. 22. comp. Hist. & Ioan. Marieta c. 32. lib. 4. hist. Eccles. A. Morales Schol. in cap. 7. lib. 2. Memor. SS. D. Eulogij, & lib. 13. cap. 44. Chron. necnon Ioann. Marian. sed ex aliorum sententiâ, cap. 1. & 9. lib. 8. rerum Hisp. Pro Bęticis *Oscæ in Bastetanis dicunt alij* apud eundem cap. 1. lib. 8. singulis non solùm loci situs, & antiqua traditio videntur favêre, sed etiam vetusta ipsarum Martyrum historia, in qua vestigia suę opinationis unusquisque, suo iudicio, cognoscit: nos illam ex antiquissimo Ecclesiæ Abulensis Breviario dabimus, tum ut res ab ijs sanctis Martyribus animosè gestæ omnibus innotescant, tum etiam, ut inde inter dissidentes sententias, si potest, consensus aliquis statuatur.

PASSIO SS. MAR. NVNILONIS ET ALODIÆ.

Lect. 1. *Factum est igitur anno Incarnationis Domini 891. in regione Hispaniæ Saracenorum Abderrahmen Princeps præcepit omni regno suo, ut quisque ex uno, vel ambobus patribus Gentilibus (quod illi iuxta propriam linguam* Molites *vocant) Christianus exsisteret, aut Christum negaret, aut gladio succumberet.*

Lect. 2. *Accidit autem in territorio Berbetano, iuxta antiquissimum locum, qui dicitur Castrum-vigeti, in villa Osca esse duas germanas à patre (ut suspicatur) Gentili in vico parvulas derelictas, à matre Christiana ab infantia enutritas, & in Fide Christi fideliter educatas. Quæ maior Nunilo, quæ minor verò Alodia vocabantur; Cùmque ad intelligibilē pervenissent ætatem, cœperunt ambæ in Fide Christi proficere, ieiunijs, & orationibus, atque vigilijs incubare, Sanctorūque solennitatibus sedulis excubijs pernoctare.*

Lect. 3. *Hæc itaque agentes, minor in pueritiæ, maior verò in adoles-*

lescentiæ annos ingressa, matre defuncta in propria sunt domo à parentibus derelictæ. Et quia non ignobili oriundæ erant progenie, eas quidam propinquus cœpit sæpiùs instigare, ut Catholica Fide relicta ad patris sectam reverterentur: ipsas autem renuentes apud Consulē illius loci nomine * Halaph, *quem in lingua Chaldaica* * Admirantem *vocant, accusavit.*

Sanctæ sic Dei virgines discalceatis pedibus Præsidi sistuntur: qui cùm nec minis, nec blanditijs eas revocare posset, miserans ætati illarum, absque iniuria in propriam iussit reduci domum. Quæ cœperunt in domo se ipsas exhortari in amore Christi, & vigilijs, & orationibus roborare. Hæc propinquus ille videns zelo insaniæ inardescēs, * *perrexit ad Regem Zumabael, quem Hispania ad urbem Oscam præpositum, atque Vicarium miserat, cœpitque eas vehementer incusare.*

Rex autem cœpit cum eis agere, ut Christianorum legem dimitterent, & sic temporali vita meliùs uterentur. Quæ cùm blandis eius sermonibus nec acquiescerent, traditæ sunt cuidā Apostatæ, qui relicto presbyterio Dei filium negaverat, ut illas, sicut & ille, apostatare fecisset. Quæ cùm nec minis, nec blanditijs * *mollirentur; dixerunt Apostatæ. Nos aliquā do moriemur? Certè, inquit Apostata, moriemini. Ergò, ait Nunilo; melius est nobis mori pro Christo, quàm intrare in gehennam.*

Cùm autem bis & tertiò hæc verba dixisset, præcepit illicò minori cervicem suam extendere: at illa apprehensis crinibus capitis circunligans se lictori dixit: Feri velociter. Qui elevatum gladium super eam non in medio cervicis deposuit, sed in mandibula, cadensque corpus in terra, paullulùm eius crura nudata sunt. Quod cernēs soror eius festinans contracta veste contexit. Cùm Rex ei diceret: Consenti, ne moriaris, elevans oculos videt animam sororis suæ in columbæ specie; cui ait: Exspecta me, Soror mea, & * *apprehensa sindone extersit faciem suam, & flexis genibus super corpus sororis suæ præbuit*

* In Breviar. Salmāt. *Calaph.*
* In eodē *Almirā- tem.*
Lect. 4.
* Brevi. Salmant. *Perrexit ad Zamael, quē Rex ad urbē Oscā præpositū atque Vicarium miserat.*
Lect. 5.
* Brevi. Salm. sua sit, *Vt molites se faceret, sicque viverent.*
Lect. 6.
* Br. Sal. *Aprehēsā sindonem suā sibi in cruce alligavit; apprehēsisque crinibus capitis sui texit faciem suā.*

buit se percussori, qui uno ictu caput eius amputavit.

Hæc de illis, quæ cùm omnibus indistinctè attributa videamus, ansam singulis præbuerunt, ut in suos, ut potuerunt, usus derivarent. Et certè non importunè, cùm unicuique sua suppetat ratio opinandi argumenta; nec immeritò, si auctore Iuliano plures huius nominis Martyres in Hispania celebrarentur. Illius hæc sunt verba in Adversarijs è M. S. qui imperitæ editionis errores non modio, sed toto horreo admetitur, data. *In pretio sunt SS. Nunilo & Alodia Virgines & Martyres; Quarum cognominum quædam longè ante eversionem Hispaniæ; Quædam sub Mauris anno 818. Quædam ann. circiter 951. tandem passæ creduntur; Quasdam Tritium patronas habet; Quasdam Osca Aragoniæ; Quasdam Osca Bæticæ*, nam *oppido Oscæ prope oppidum Barbetanum: nunc autem* (Berberanum) *apud Antoninum* (Barbariana) *passæ sunt verò sanctiss. Virgines Nunilo & Alodia sorores ann. 851. 22. Octob. Ferunt priores Bononiæ passas, & ibi servari eorum corpora.* Oscensibus in Aragonia favet oppidum *Adaguesca* non longè ab Osca, quæ hodie *Huesca*, in quo natalem SS. VV. domum populi venerantur. Adde etiam *Berbegal*, *Berberans*, *Berbeto*, & *Perberto* oppida in illius vicinia, teste Blasco de Lanuza, quæ *Berbetanum territorium* referunt. Vnde Venero, Marinæo, Taraphæ, & alijs occasio nata est Oscæ huic Nunilonem & Alodiam attribuendi. Morales pro Autrigonibus stat asserens: *Passas has duas virgines fuisse non longè à Najara urbe, in oppido, quod nunc appellatur* (Castro viejo.) Quod Latinè Castrū vetus redditur. Ibi sepulcrum SS. MM. ostenditur, ibidem alia sunt priscæ recordationis vestigia, & ibidem tanquam alumnæ, & indigenæ summâ totius regionis veneratione coluntur. *Hoc omnino compertum & indubitatū possum,* inquit, *affirmare. Nomina illa Berbetanum*, seu *Vrbevetanum*, & *Castro Bigeti*, *quæ in Breviarijs nostratibus leguntur,*

tur, *ex* Castro veteri *videntur corrupta*; *Oscam remotã admodum in Aragonensibus urbem non credo fuisse traductas sanctas virgines.* Nec Oscensibus in Bætica alia antiquitatis monimenta, quibus suas esse has virgines asserãt, videntur abesse, nam præter antiquam populorum finitimorum, & * Scriptorum aliquot traditionem multa sunt in earum historia, quæ suffragentur. Oscam in Bætica etiam Ptolemæus, & Dexter ad ann. 138. constituũt; nec aliter legendum in D. Eulogio manuscripti libri persuadent; sic in veteri exemplari Moralis (ut ipse testatur) *Osca, non Bosca, fuit*; sic in Iuliano, ubi *Bosca* stolidissima editio reposuit, ex incuria amanuensis, qui Hoscæ aspiratam litteram addidit, unde A in B facilè est commutata. Nunc ad Luitprandum.

* Apud Marian. cap. 1. & 9. lib. 8. Hist. Moral. lib. 13. c. 44. Chron.

Hoc anno patiuntur.] Nempè 951. Æra 989. in Breviario Salmantino, *Circa annos Christi Domini nongentos & quinquaginta*: in alijs aliter. In Eulogio *Æra octingentesima octuagesima nona*, hoc est, anno 851. etiam si ex Moralis calculo, *decennio anteà occisæ pro Christo fuerint.* Verùm, cùm communis omnibus singularum historia perhibeatur, non mirum, si illarum passionis tempus his, vel illis attribuatur, præsertim cùm numerorum error assiduus sæpè sit. Earum, de quibus Luitprãdus meminit, annorum & æræ numerus certissimus videtur, cùm distinctè addat,

Me vivente.] Nam ad ann. 973. eum vitam protraxisse, iam dixi fol. 25. Notar. procemial. litt. K. Quid præterea?

In Castro Vergeti.] In Breviarijs antiquis *Vigeti* legitur: quod ubinam fuerit, nondum divino. Fortasse manifestavit τὸ

Idest Castellon.] Hinc Oscenses in Bætica suas esse has Martyres argutantur: nam eum locum, in quo illarum Ecclesia sita ab antiquis temporibus est, circundant

ali-

aliquot ingentes ſcopuli, turrium in modum, quos vulgò *Caſtellones* vocant. Accedunt etiam illorum opinationi verba, quæ in lectionibus matutinalibus aliquot Eccleſiarum reperiuntur, in quibus martyrij aſsignatur *locus, qui dicitur furcas*; nam etiam apud illos hodie veſtigia eiuſce rei videntur fuiſſe relicta, cùm planicies, quam ornat ſanctarum Martyrum ſacellum, vocatur nunc *Hocajon*, olim *Horcajon*, à duabus nempè rupibus, quæ cùm unà naſcantur, cacumina dividentes formam furcæ videntur repræſentare. Succedit ijs

In Caſtris Vinarijs in Baſtitania.] Diſtinctè utrumque Plinius lib. 3. cap. 1. inter alios Bæticæ populos, *Caſtra Vinaria, Epiſibriũ, Hippo nova, Illurco, Oſca, &c. omnia Baſtitaniæ vergentis ad mare.* Βαςητανοὶ Straboni lib. 3. ſunt inter Gades & Calpem, in Livij Codicibus melioris notæ lib. 37. cap. 46. *Vaſtetani* leguntur, quod eodem recidit, à facili B. in V. commutatione. Sed antequã quod aiunt, manum de tabula, agedum, quæ in Iuliano hac ſuper re legimus, diſcutiamus: addebat ille ſingillatim, *prope oppidum Barbetanum, nunc autem Berberanum, apud Antoninum Barbariana.* Itanè? videamus. *Prope oppidum Berbetanum*, S. Eulogius, *apud oppidum Barbitanum.* Breviaria antiqua, *in territorio Berbetano*; in eodẽ tractu agnoſco verba Rufi Feſti Avieni lib. de ora marit.

Hos propter autem mox iugum Barbetium eſt
Malacæque flumen urbe cum cognomine.

Annè *Babanenſis Baſtitaniæ* apud Plin. lib. & cap. 3. dicam? Quid deinde? *Nunc autem Berberanum.* Scio in Hiſpania *Berberanæ* nomine oppidum eſſe, ſed alius tractus. Quid tandem? *apud Antoninum Barbariana.* Ità certè eſt inter Malacam & Gades hoc modo,

Suel	M.P.XXI.
Cilniana	M.P.XXIV.
Barbariana	M.P.XXXIV.&c.

Etſi

Etsi non desit qui *Barbesolam* (Ptolem. Βαρβησόλα, Melæ *Barbesulgi*) intelligat, quæ hodie *Marbella*, non longè ab alijs, de quibus sermo est; Iulianus iterum, *Ferũt priores Bononiæ passas*, idem fatetur Vasæus ad ann. 950. & Mariana cap. 1. lib. 8. rer. Hispan. Addit præterea diem, nempè *22. Octob.* Eulog. *sub ictu gladij corruerunt undecimo Kalend. Novemb.* Vsuard. eod. die, *In civitate Osca SS. VV. Nunilonis & Alodiæ, quæ pro confessione Christi diutina custodia maceratæ, ac capitali sententia punitæ, martyriũ celebraverunt.* Eod. die Martyr. Roman. sed distinctiùs, *Oscæ in Hispania SS. VV. Nunilonis & Alodiæ sororum, quæ à Saracenis ob Fidei confessionem capitali sentẽtia punitæ, martyrium consummaverunt.*

Adelgarius Bremensis.] De quo plura Adamus antiquus Chronologus lib. 1. hist. Eccles. cap. 39. 41. sed cùm S. Remberti, qui obijt ann. 888. successorem dicat, & annis viginti sedisse, atque à Stephano Romano pallium accepisse Adelgarium; ad illum annum fragmentũ hoc referendum est; nisi mavis hìc illius (ut solet Scriptor noster) memoriam florere. Æ. 991. C. 953.

Agapeto P. succ. in S. P. Ioannes XII. &c.] Flodoardus in Chronic. ad ann. præcedentem, quo nimirùm Agapetus PP. è vivis decessit, *Albuco Patritio Romanorum defuncto, filius eius Octavianus cùm esset clericus, principatũ adeptus est, quique posteà defuncto Agapito suggerentib. sęque sibi Romanis, Papa urbis efficitur*: sed hìc Octavianus, nõ Ioannes? Vtroque nomine illum insignit Hermannus Contractus in Chron. ad ann. 960. *Otho Rex ab Octaviano Ioanne Papa Imperator ordinatur*: sed frequentior Ioannis compellatio viris doctis persuasit hunc Ioannem ex Pontificibus Rom. primum nomen mutasse: vid. Onuphrium, Baron. Gordon. hoc anno; de hoc Ioanne multus Luitprandus noster hist. de reb. per Europ. gestis. Æ. 993. C. 955.

Smaragdus, Serlo, & Fridogodus Angli Monachi, &c. Æ. 998. C. 960.

Theologi, &c.] Malè in M. S. *Selo Godegridus*, leg. *Serlo & Fridegodus*, de Smaragdo Honorius Augustudunensis de illust. Eccles. Script. ad ann. 930. *Smaragdus Abbas manasterij S. Michaëlis lectiones & Evangelia in divinis officijs legendi per circulum anni exposuit, & librum monasticæ professionis congruum composuit, quem diadema Monachorum vocavit; & Grammaticam maiorem Donatũ exponendo explicuit*; Sigebertus de ijsdem cap. 119. *Smaragdus scripsit de vitandis vitijs, & tenendis virtutibus librum, quem attitulavit diadema Monach. quia sicut diadema gemmis, ita hic liber refulget virtutibus. Scripsit etiã super Reg. S. Benedicti, & alia nonnulla*: vid. Sixt. Senens. lib. 9. Bibl. & Possev. tom. 2. Apparat.

De Serlo, sive *Serlone.*] Possevin. ibid. *Serlo Anglus Monachus Dorobernensis, sive Cantuariensis ann. circiter 965. scripsit comm. in Pentateuchum lib. 5. de Proverbijs lib. 1. de differentijs lib. 1. Homiliar. lib. 1. contra aliquorum Monach. licentiam, lib. 1.*

De *Fridegodo.*] Ibid. *Fridegodus Diaconus scripsit carmine vitam S. Vilfridi Riponensis, & S. Audueni Monachi: librum item de Peccatrice in Evangelio. Alterum de Hierusalem superna. Alterum de visione Beatorum. Alterum de cõtemplationibus varijs, vivebat anno. 960.*

Vitæ quædam, quæ adduntur Chron. de vir. ill. Ildeph. cõposita sunt à Felice, &c. quæ incip. Quamvis superius, &c.] Exstant hodie ad calcem collectionis Concil. ab illustriss. G. de Loaisa curatæ fol. 774. sub hac nota, *Duodecim vitæ incerti Auctoris, quæ in MM. SS. Isidoro, & Ildephonso cum hac præfatiuncula præponebantur. Quamvis superius*, &c. Suo tandem postliminij iure auctori Felici restituantur, unà & Scriptores, de quibus meminit, eodem ordine in Felice & Luitprando leguntur; de ijs ego nunc singillatim dicere supersedeo, cum omnium manibus non in illa tantùm Conciliorũ Hisp.

col-

collectione, sed inter opera D. Isidori Hispalensis ubique terantur.

S. Iulianus scripsit vit. S. Ildephonsi.] Quam ad M. SS. exemplaria comparatam, & Notulis illustratam inter illustres in Carpetania Scriptores iam dedimus. Quis iste tamen Iulianus fuerit Prefatione Apologiarum pro Dextro, & in Prolegomenis ad Iulianum Petri latissimè disputavimus.

Felix scrip. vitam S. Iuliani.] Quæ etiam hodie exstat ad calcem lib. de vir. illust. SS. Isidori & Ildephonsi.

Idemque adiecit Chronic. &c.] Habes in editione operum S. Isidori Madridiensi.

S. Godina, S. Gervatius in Lusitania, &c.] His addita etiam est *S. Senorina* in M. S. Benè, nam *Gervatius* & *Senorina* fratres à multis perhibentur, S. Rosendij consanguinei, Athaulphi (quẽ Hufum Hufes vocat liber Genealogiarum Comitis de Barcelos tit. 22.) Comitis de Veira & Basto filij, è celeberrima *Sousarum* in Lusitania familia; de quibus & *Godina* multa Martyrol. Lusit. 22. April. Breviarũ Canonicor. S. Crucis Conimbricensis; Historia antiqua à quodã Monacho Benedictino scripta; Bernard. Britto cap. 25. lib. 7. Mon. Lusit. Ant. Vascõcellos fol. 530. Descript. Lusitan. Ant. de Iepes tom. 5. Chron. Bened. ann. Christi 977. illustriss. Bracarens. cap. 23. par. 1. Episcop. Portuens. Ant. Brandão lib. 12. cap. 26. ex antiquorum monumentis, ex omnibus selectiora nos in *Sousarum familia*, quæ hìc non repeto.

Celebris est in Edetanis mem. S. Anglinæ, quæ cum alijs martyrium passa est Valentiæ XXI. Octob. in persec. Diocleciani.] Iulian. pleniùs (si ad annum Christianum 302. in quo illa referri debent, referas) *Sub hæc tempora martyriũ Valentiæ in Edetanis S. Anglinæ, & aliarum eius in martyrio sociarum, quæ pro confessione Fidei viriliter triumpharunt; harum annua celebritas est Valentiæ 21. Octobr.*

Hæc apud antiquos tantùm, nostris tamen temporibus planè incognita. DEI OPT. MAX. beneficio tandem detecta sunt, ut ait Io. Marieta cap. 62. lib. 4. hist. Eccles. quomodo tamen accidit, ne prorsus memoria depereat, libuit hìc ascribere ex Schedula, quæ ipso inventionis anno edita est à R. D. Vencentio Iustiniano Dominicanæ familiæ viro pio doctoque, utì accepi à R. P. Iacobo Falcone eiusdem Ordinis, & Valentini Cœnobij Sub-Præfecto, qui illi adstitit; ità illa se habet.

DE INVENTIONE SACRI corporis D. Anglinæ martyris.

Simplex, veraque narratio P. Vincentij Iustiniani Antistij.

A*NNO à Christi ortu 1588. 3. Kal. Maij, quo die triumphus D. Petri martyris celebratur, paullò antè quàm summum sacrum solemni ritu inchoaretur in cœnobio Prædicatorum Valentiæ, cùm pictam tabulam vetustiorem revellerent opifices è Capitulo (quod est sepulchrum antiquæ nobilitatis familiæ Boylorum) ut eodem loco statuerent imaginē* DEIPARAE VIRGINIS, *sub invocatione Spei, quæ olim fuerat serenissimorum Regum Alfonsi 5. & Ioannis 2. Ecce tibi latens sacellum affabrè, & antiqua arte confectū, quasi græcum armariolum, & intus arcam, in cuius fronte apparet, ab eodem (ut videtur) artifice, qui veterem tabulam pinxerat, vivis expressa coloribus diva quædam innixa genibus, cui lictor prætendens gladium lata sententia iudicis caput abscindit, atque eam tres aliæ divæ consectantur, quasi eiusdem sociæ, comitesque martyrij. Porrò arca aperta coram nonnullis Patribus, qui illicò latomis, atque tignarijs affuerunt, pulvinarium integumentum apparuit, & intra ipsum aliud integumentum eiusdem materiæ, paullò quidem deterio-*

rioris, intimè denique complura ossa reperta sunt, & mantile, & chartaceum involucrum aromatum, vel alterius nobis incognitæ rei. Conspectis ossibus, profectò sacrum quidpiam esse omnes uno ore dixerunt: sed tamen adhuc cuius essent reliquiæ ignorabant, donec reponendis ossibus intra pulvinarium integumentum, latomus unus fortè deprehendit schedulam vetustissimam, quæ esse illud Divæ Anglinæ corpus hoc modo testatur.

Cor⁹. scẽ. Angline.

Mox observata sunt sub sacello ad utrumque latus candelarum & cereorum ardentium antiqua vestigia. Insuper & huius conventus quidam seniores meminerunt audivisse ab alio multò antiquiore Patre, qui obijt circiter annum 1558. cuiusdam sacræ Virginis caput ligneum, quod modò servatur in domo novitiorum, solitum fuisse stare supra pictam tabulam Capituli, se tamen huius rei caussam atque rationem ignorare.

Deinde coram Doctore Augustino Frexa Vicario Generali Archiepiscopi Valentini, ac Patriarchæ Antiocheni Ioannis à Rivera (qui tunc religionis ergò in domum B. Mariæ vulgò del Puig ad divinam in Anglico bello opem implorandam perrexerat) allatum est caput, & prædictæ arcæ superimpositum: quæ duo simul composita longitudinem, latitudinemque sacelli tam iustè exæquabant, ut manifestum evaserit, ad ea servanda sacellum fuisse constructum. Quinetiam ab eodem religioso sene accepisse commemorabant, olim solemne officium singulis annis ibi fuisse actum die 11. millium Virginum, cùm tamen vetustior tabella picta non illis, sed Deiparæ MARIAE *fuerit dicata. Non quòd Anglina virgo de millenarum numero fuerit: cùm depingendi modus huius gloriosi triumphi sit longè diversus ab eo, quem semper eximij pictores servare consueverunt ad prædictarum virginũ martyrium exprimendum: sed quia S. Anglinæ ossibus adiunxerant*

rant officulum B. Vrsulæ 11. millium Virginum antesignanæ, uti schedula illa indicat, quæ si integra legatur, sic habet.

Cor⁹ ·.·.·. particula Beate Vrsule.

Cor⁹ sc̄e. Angline.

Q ᵛᵒ loco sex illa puncta collocavi, compendium litterarū ...ntinetur, quod nequit intelligi, nisi fortè legendū sit, VEL: s... AVT. ut sit correctio Scriptoris iudicantis impropriè vo... ri corpus, quod exiguum esset officulum: quod non cōparuit eo die. Posteà tamen cùm advenisset Vicarius ille generalis, ut hæc omnia publica notarij fide testata in acta referret, reperit inter aromata, vel pulveres officulum, quod ab omnibus creditum est esse B. Vrsulæ, proptereàque seorsum positum fuisse.

Sed quia mirantur nonnulli, qua ratione fieri potuerit, ut tantæ martyris sepulcrum omnino latuerit in hac domo, ubi ab anno 1239. quo instante Divo Michaele à Fabra Beatissimi Patris Dominici socio, invictissimus rex Iacobus Aragonum primus eā erexit, præter Episcopos, & Doctores, innumeri floruere eximiæ sanctitatis viri, præsertimque B. Ioannes à Podio Ventoso, & S. Vincentius cognomento Ferrarius, Patrum verò nostrorum memoria duo illi Beati Martyres Dominicus à Corduba de Monte maiori, & Amator Spi, nostris denique temporibus inter alios B. Ioannes Miconus, & is, de cuius canonizatione apud S.D.N. Sixtum V. modò agitur, B. Ludovicus Bertrandus: respondemus fuisse tempus, quo eadem domus in quorundam manus devenit, quos cum rerum divinarum cura parum solicitaret, quæ à maioribus acceperant, nec memoria retinere, nec posteris communicare voluerūt, atque ità S. Anglinæ memoria omnino exciderat, solusque restitit usus celebrandi in eodem loco solennē liturgiā, in honorem 11. millium Virginum, idque iam demum absque ratione facti.

Nec

Nec planè mysterio carere existimo, quòd DEVS OPT. MAX. *(qui, teste beatissimo Iob,* Stellas quasi sub signaculo claudit, *id est, incomprehensibili illa sua providentia fulgẽtes sanctorum radios interdum occultat) Divæ Anglinæ corpus tot annos absconditum, his præsertim temporibus patefecerit, cùm Rex noster Philippus bellum maximũ, & æquissimum ijs infert hæreticis, qui versantur in Anglia, à qua videtur productum nomen Anglinæ. Adde, fuisse repertum unà cum ossiculo B. Vrsulæ veterum Angliæ regum filiæ. Quod si hæc singulari consideratione digna sunt, quid quod in celebri die S. Petri martyris hæreticorum hostis acerrimi contigerunt? Cùmque medio in tecto memoratæ arcæ aliorũ sanctorum effigies depictæ fuerint, nullius exstat signum expressum, unde is possit agnosci, si Divum Petrum martyrem excipias. Nam ad sinistram tecti partẽ remanet adhuc monachus Dominicanus consumptis capite & pedibus vetustate, transfixo pectore gladio, quod est insigne S. Petri Martyris Apostolicæ Fidei censoris.*

Hæc habui dicere de invẽtione corporis S. Anglinæ ego frater Vincentius Iustinianus Antistius, iussu patris Ioãnis Loazes Regnorum Aragoniæ Provincialis electi, qui innumera Dei beneficia huic domui collata precibus ac tutelæ Martyris huius sanctissimæ tribuens, eam præcipua quadam religione, & pietate veneratur, & ardenti cupiditate exoptat in universa Christiana Repub. gloriosum eius nomẽ agnosci. Eruditos igitur quosque, qui in hanc narrationem inciderint, etiã atque etiam oro, & obsecro, ut quæcunque de vita, martyrio, ac translatione corporis huius Martyris legendis libris invenerint, ad nos quantociùs mittant, eius interventu ingens à Deo præmium recepturi. Valentiæ 13. Kal. Iunij anno post Virgineum partum 1588. in cœnobio Prædicatorum.

Mensis deinde Augusti die 16. iussu potentissimi, ac catholicæ Fidei propugnatoris egregij Regis nostri Philippi, qui singulari pietate res divinas prosequitur, Ioannes à Ri-

vera Patriarcha Antiochenus, & Archiepiscopus Valentinus, unà cum P. Provinciali F. Ioanne Loazes, omnia quæ de Divæ Anglinæ reliquijs, earumq; inventione scripsimus, examinavit, præsente patre F. Thadæo Ferola Episcopo Clonfertensi.

Vtriusque autem prædictarum reliquiarum visitationis primùm per Vicarium generalem, deinde per Archiepiscopũ nostrum factæ habentur acta publica apud Gasparem Ioannẽ Mico curiæ Archiepiscopalis notarium. Patriarcha Archie. Valeñ. *V. Pascual R.* Frater Ludovicus Ystella magister, *ex commissione Patris Provincialis.*

S. Salvij.] De quo Martyr. Rom. 10. Sept. *In civitate Albigensi S. Salvij Episcopi & Confessoris*, plura Beda eodem die, Greg. Turonens. lib. 5. hist. Franc. cap. 10. lib. 6. cap. 29. lib. 7. cap. 1. Iulian. ad ann. 988. & Molanus Add. ad Vsuardum.

Petri Archiepisc. Compostellan. cognomento Monsorij.] Auctor historiæ Iriensis, quem Gallæcorum linguâ loquentem habeo M.S. de Petro; *Este Rei Bermudo de consello dos maiores de seu Reino lançou a fora, è privou ò dito dõ Pelaio de Eigreja, è fizo elegir por Bispo don Pedro Martiz de Monsoro, Monje mui sabidor, & de boa vida, que era Abbade de S. Paio, bomonrado, è amado de todos os señores, è foi ò decemo Bispo do santa Se de Sanctiago: ò cal acrecentou as honras, denedades, familias, rendas, è votos de Sanctiago Apostol, è fezo ende muitas boas obras*: cui adstipulãtur Garivai lib. 9. cap. 36. Moral. lib. 16. cap. 40. Mariana lib. & cap. 8. Iepes tom. 4. fol. 47. cum de S. Paij monasterio agit, Ferdinandus Oxea cap. 48. hist. D. Iacobi, alij.

Itali Martyris.] Quando hoc factum nondum liquet: certè ut Confessorem Ecclesia celebrat 10. Septemb. Martyrol. Rom. *Compostellæ S. Petri Episcopi, qui multis virtutibus & miraculis claruit*, ex Tabulis Compostellanis, & Molano addit. ad Vsuard. & alijs.

In

In hoc loco multa in M.S.de divisione sedium ab Vvābanc facta, & de inventione Moralium per Taionē Cæsaraugustanum referebantur, quæ in sua loca, hoc est, ad Æram 714. migrare libenter iussi.

Multas habet diptychas Eccles. Hisp.] Vide quæ ad epist. Tractemundi ad Luitprandum notabamus litt. F.

In primis cognitæ sunt Toletanæ.] Iulian. initio Chron. *Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, sicut ceteræ Hispaniarum, & totius mundi sedes, diptychas suas habent, sive tabulas, quas in secretariis servant nimis diligenter, &c.* vid. Ioannes Baptista Cardona Episcop. Dortesanus commentariolo erudito de *Diptychis*, Io. Meursius in gloss. Græco-barb. hac voce, Angelus Rocca ad lib. Sacramentorum D. Gregorij, & Lælius Bisciola tom. 11. lib. 9. Horar. subseciv. cap. 15.

Durabant meo tempore in Campo Toletano vestigia Romanorum ædificiorum.] Etiam nostro, nam apparent hodie vestigia Amphitheatri ad Septentrionē in vico, quē vulgus extra urbis mœnia [*Covachuelas*] vocat. Creber à Romana lautitia non in Italia solùm, sed & in provincijs Theatrorum, Circorum, Stadiorum, sed in primis Amphitheatrorum usus; ut enim Romani victis gētibus linguam, & mores intulêre: sic vitia, hæc præsertim, quæ blandiebantur, & admissionem sibi postulabant, specie quadam amœnæ voluptatis, ut optimus, clarissimusque illorum, ac totius antiquitatis Scriptor censet * I. Lipsius. Exēpla obvia in Iudæa, Græcia, Africa, Asia, Gallia: in nobilioribus Hispaniæ urbibus, Toleti, Hispali. Illic veneranda antiquarum parietinarū facies amphitheatri formam repræsentat, nempè ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν, προσερρήθη, ex eo quòd sedes undique in orbem habuit, sine ulla scæna, ut ait * Dio. Sic Toleti Amphitheatri reliquiæ manifestant: ut & Circum sive Hippodromon, quæ ex glarea firmissima

* 1. de Amphit.

* L. 43.

compacta, & opere signio in nostram usque ætatē permanent in ea Campi Toletani planicie, quæ *Vega* dicitur, ità ut verè à Toleti habitatoribus

Quidquid & in Circo spectatur, & Amphitheatro
Dives Cæsareo -----

spectaretur olim. Loci ipsius, & ruinarum species rem dicit, nam ut cum *a* Corippo Africano describam,

a 1. de la..d. Iu t.

Ipse ingens Circus, pleni seu Circulus anni
Clauditur in teretem longis anfractibus orbem
Complectens geminas æquo discrimine metas,
Et spatium mediæ, qua se via tendit, arenæ.

b Eclog. 7. Imò, ut Calpurnius Siculus *b* dixit,

Et medium geminis se molibus obligat ovum.

Ipsissima hîc vestigia oblongiorem in memoriam formam reducunt. Confirmant eæ caveæ, quæ paucos ante annos discoopertis aggerum molibus apparuerũt. Certè in Circo eas olim fuisse constat ex mutilo *c* Livij loco, in hoc integro. Verùm hanc ab alijs curatam porrò rem hîc non curo. Tu videsis de illa VVV. Cl. Guil. Philandrum *d*; On. Panvinium *e*, & Gor. Becanũ *f*, apud quos loci facies egregiè repręsentatur. Quin & Templum sive Soli, ut *g* Tertullianus, & *h* Corippus volunt; sive Cereri, ut *i* Tacitus & K Dio, sacrum in Circensibus Fidem facit, cuius etiam adhuc ruinæ, & ipsa Campi, nostris *Vega*, compellatio, in quo Hippodromus *medius patescit, statimque intrantibus oculis totus offertur*, ut Plinius de Tuscul. dicit, nescio quam Campi Martij speciem præfert. Verùm hæc *vigilantium somnia*, & in re crepera coniectanea. Rem etiam nostram auget inscriptio vetus hæc, quæ hodie exstat in ædibus Professorum Soc. IESV Toletanis, à me, ut in columela scripta visitur, transcripta

c L. 12.
d In c. 7. L 1. Vitr.
e Cap. 5. Lud. Cir.
f 3. Hieroglyph.
g De Spectac.
h 1. de laud. Iust.
i 15. Ann.
K 42. Histor.

HER-

* HERCVL. P
ENDOVEL
TOL. V. V
OSCA
DEIS TVTEL
COMPEDII
VRSOS. TAVROS
AVES. MARINAS
QVONDAN D. D

* Eandē refert Fr. Porto-carrero c. 1. vit. S. Ildephons. malè tamen scribit, & pejùs interpretatur.

Ex qua tamen nondum me extricavi. Illud scio apud L. And. Resendium erudítiss. Lusitanum 4. de Antiq. Lusit. & I. Gruterum ex Scaligero pag. 88. Inscript. antiq. variè istius (quodquod illud sit) numinis nomen inveniri, nam ENDOVELLICO, ENDOVELICO, ENDO VELLICO, & ENOBOLICO legitur. Nihil tamen ex hac varietate lucis. Cuius caussam, aut originem se penitùs ignorare ingenuè Resendius profitetur, nisi si ab oppido propinquo, quod *Endovellia* fortè diceretur, nomen esset impositum. Iac. verò Menæcius Vasconcellos in scholijs ad Resend. adduci nullo pacto potest, ut cū Resendio suspicetur ab oppido illo, quod exstare potuit, *Endovellici* Dei appellationem tractam; & meritò, cùm apud Geographos & ceteros Scriptores nulla eius unquam fuerit mētio: à deductione tamen vocis seu Græcæ, seu Latinæ argutatur. Ego doctiori rem prorsus mihi ignoratam lubens meritò relinquo. Tantùm addam præsens, ac præcipuum mihi istud (quodquod sit) numinis provocabulū Hispanis fuisse videri, cùm ex hac inscriptione Toletana, & octo Lusitanicis id propemodum constet. Certè HERCVLEM PATREM, & ENDOVELLICVM TVTELARES DEOS TOLETVM agnoscit, & ijs quasi in arena litat.

LVITPRANDO;
Sive
EVTRANDO,
Hactenus attributa
FRAGMENTA.

E Bibliotheca D. THOMÆ TAMAIO DE VARGAS HIST. REG.
nunc primùm eruta, & ex variorum exemplarium fide
recensita.

BOETIVS SEVERINVS V. C. Lib. de *Trinitate*.

Eruditi est hominis unumquodque, ut ipsum est, ita de eo *fidem capere* & *tentare*.

LVITPRANDI, sive EVTRANDI FRAGMENTA.

1 DVPLEX Legio, *altera dicta* Septima, Gemina, Pia, Felix, *quæ Gotthis* Flos Civitatum *dicta est*; *& hæc fuit Regia sedes, Episcopalisque nulli subiecta Pontificum Hispanorum præterquàm Romano Papæ*; *altera, quam* Vrbicus *fluvius lambit*, *&* Benaventum *dicta*; *hæc paruit Episcopo Asturicensi*; *& dicta est* Legio Vrbica.

Legio Gemina, *sedes Episcopalis paruit Bracarensi ad tempora S. Lucij Papæ, qui creditur exemisse Legionensem Episcopum à Bracarensi, quia contra vicinum Basilidem Asturicensem Episcopum lapsum mirabiliter dictis, scriptis, factisque laboraverat.*

2 Aquæ Quinctianæ *in Gallæcijs Lucensibus* (*quarum meminit Ptolemæus recensens hos populos*) *sunt in monte* Tebiceio. *Est fons quidam, qui fluit ac refluit, & fluctus habet instar Oceani prope fluvium* Loriam (*vulgò* Lo:) *quem cùm vidisset Q. Metellus Prætor ante Christi nativitatem annis 140. miratus, ei, proximoque oppido nomen imposuit, vocavitque* Aquas Quinctianas: *Fluvius* Loria *visus propè, labitur in* Silum *flumen.*

3 *Æra 868. à Nativitate Domini 830. vixit sanctiss. Virgo* Lumbrosa *ex oppido* Cęa, *quæ frequentabat paræciam in diruto monasterio SS. MM. Facundi & Primitivi cũ Muzarabibus Christianis in magna vitæ sanctitate; iacuit in illa*

la paræcia, donec per Alphonsum Regem reparato monasterio illuc ea translata est; obijt non multò prius reparatione; frequentantur eius reliquiæ maxima populi veneratione. Colitur 1. die Novemb. & iacet in tumulo supra duas columnas.

4 Carthagine Spartaria *S. Constantinus* * *Confessor, vir clariss. multarũ virtutum gloria clarus, migrat confessor sub Valeriano XI. die Martij. Eodem die passi SS. MM. Heraclij & Zozimi passorum pro Christi Fide ibidem.*

* Al. Cõfessus.

5 *Dum transirem Pyrenæum in confinibus Hispaniæ S. Felix colitur in civitate* Spalatensi, *vel* Espalensi, *qui missus ab Hispanis Episcopis ad prædicandum Evangelium, sub Diocletiano martyriũ consummavit XII.* Kal. *Iun. Sunt qui putent hanc eandem civitatem esse* Spartulacensem; *non rectè hi, nam in oppido* Onzanego *sanctus Episcopus & Martyr colitur.*

Hic Felix creditur fuisse, qui cum alijs XIII. Episcopis Confessoribus interfuit Concilio nationali Illiberritano, & præfuit Episcopus Accitanus, missus verò ab Hispanis Episcopis propter ferventem eius caritatem, prudentiam, scientiam & leporem ad confirmandos in Fide populos Hispanos, ivitque ad Celtiberos, Vascones, & Pyrenæum accolentes.

6 *S. Patricius, qui celebratur XVII.* Kal. *April. non fuit Episcopus Arvernensis, sed creditur Malacitanus, qui interfuit Concilio Illiberritano, pòst, dum iret aliò, venit Arverniam, & obijt.*

7 Heracleæ *in Hispania, quæ Civitas* Calpe *dicitur, passionis recolitur triumphus S. Ianuarij Salernensis Episcopi cum socijs VII. Ianuar. cuius meminit Dexter, aitque* passum sub Diocletiano; *fuit Episcopus, qui interfuit Illiberritano Concilio.*

8 *Quam Latini* Murtiam, *Gothi vocaverunt* Bigastrum, *Mauri* Acatha; *anno 900. venit illò (ut conijcitur) Episcopus Bergaræ Thiestes, estque martyrizatus ibi.*

Me-

9 *Melantius, vel Melanius, natus in maiori Britannia venit Romam, & à S. Stephano missus Rothomagum, ibi aliquantulum temporis Episcopale munus exercuit, pòst nescio qua caussa, venit Athenas, & cum Sixto Pontifice venit Toletum, ubi successit in Episcopali sede Palmatio vel Paulato; interfuit Concilio Illiberritano; pòst anno 305. venit Rothomagum, & 310. sanctissimè mortuus est, ibique sepultus II. Kal. Novemb.*

10 Villæ Casinæ, *quam Mauri vocaverunt* Villam-Castin *in confinibus Carpetaniæ S. Nicasius primus Episcopus Rothomagensis cum socijs patitur sub Domitiano, misso Fescennino iussu Domitiani, qui eos in Hispania occideret.*

11 *Anno Domini 302. Constantio Cloro, & Galerio Maximino Cæsaribus, Consulatu quarto, die III. Aprilis, die Veneris S. Passionis Domini per totum Orbem, & anno XVI. Melantij Toletani Pontificis ijsdem Coss. mense & die, diruta est Ecclesia Toletana B. MARIÆ Virginis Assumptioni à S. Elpidio erecta, & à B. Marco Marcello spatijs ampliata, solo æquata est à Duum-viris, iussu Diocletiani, edictoq; P. Datiani Hispaniæ Præsidis, qui demolitioni præfuisse dicitur. Extunc creditur per Orbem sacras Synaxes fieri solitas in speluncis, ut Romæ in cœmeterijs,* Augustobrigæ, *quæ dicitur à Mauris* Cobisa, *in fine Carpetaniæ in antro;* Toleti *in spelunca, quæ vulgò di citur* Herculis, *opere Romano;* Libariæ *in Celtiberia in speluncis, quas à cavitate* foratas *vocant, & sic in alijs antris. Dici non potest quanta deiectio Christianorum animis accesserit hac demolitione & librorũ incensione; Toletanos libros loco tuto posuit S. vir Melãtius, & animabat Christianos ad tolerantiam* cruciatuum. Duravit demolitio XVI. annis, donec anno 318. lex lata est à Constantino, quæ iussit restitui bona, fundos, solaria sanctis Ecclesijs; Tunc reparata est S. MARIÆ* de Columna, *matrix Orbis Ecclesia, cuius Imaginem & Columnam Christiani absconderunt, iuvante Valerio Episcopo & Vincentio*

* Al. *crucium.*

Archidiacono: Toleti restituta est Ecclesia Assumptioni S. Dei Genitricis dicata, & de novo S. Leocadiæ recèns Martyrij & Civi & Patronæ altera.

12 *Non prætereundum est in ijsdem Adversarijs meis Tamerinum vel Marinum Toletanum Pontificem ad Sardiniam delatum cum alijs, adhuc durante persecutione Diocletiani XXI. Aug. passum.*

13 *S. M. Pomponius Ianuarius Episcopus Salanensis interfuit, vt dictum est, Cōcilio Illiberritano; fuit Vir Consularis, prædicansque in* Heraclæa *civitate Freti Herculei, per dira tormenta cum socijs pro Christi Fide triumphavit.*

14 *S. Vitalis, quem à fonte Baptismatis sustulit S. Sebastianus, è* Thermida *in Carpetanis Romam miles profectus, relictis filiolis Iusto & Pastore Complutensibus, III. mensis Iulij anno 290. colitur prope Paduam passus.*

15 *Nicomediæ passus est in persecutione Diocletiani S. Flavius Antiochenus, Vir Cōsularis, & Episcopus Illitercitanus, qui Concilio interfuit Illiberritano habito anno 299. vel circiter; qui negotiorum gravium caussa Nicomediam delatus cum fratribus Augusto & Augustino VII. Maij martyrium passus est.*

16 *Anno 313. Constantino & Licino Augg. Coss. III. sub Miltiade Papa coactum est Toleti Concilium universale totius Hispaniæ Præside Tamerino vel Marino Toletano; interfuerunt Leontius Bracarensis, Benedictusq́. * Tarraconensis, Sabinus Hispalensis, M. Emeritanus, & alij quamplures Episcopi sancti: Conciliarem epistolam mittunt ad Meltiadem quibus ille respondet.*

* Al. Tabelonensis.

17 *Turibius Notarius S. Leonis, Archidiaconus Tudensis succedit Ceponio Episcopo Tudensi; moritur verò sanctè Kal. Novemb. qui translatus fuit Æ 528. Is autem fuerat anteà Iracensis, cùm scripsit Idito.*

18 *Concilium primum Emeritense habitum est* Bracaræ, *nōdum ea parte Gallæciæ, quæ est à Compostella in potestatem*

Sue-

Suevorum habita anno III. Richilanis II. Suevorum Regis, qui mortuus Idib. Martij Æ. 481.

19 *Pancratius ærumnis confectus moritur anno 444. succedit illi in Sede Bracarẽsi Balconius Vir pius & zelo Dei plenus.*

20 *Prædicationibus S. Pontificis Balconij, & aliorum Episcoporum pullulantibus erroribus Priscilliani Gallæciamque vastantibus, Reciarius fit ex Gentili Christianus, & mirificè fovet Ecclesias & Catholicos, à quibus publicè prædicatur Fides Catholica, & dat facultatem cogendi Concilium ad A-*quas Cœlenas veteres, *ut dictum est.*

21 *Fluminis* Tenedi *aquæ præsertim prope* Guardiam *oppidum quà flumen labitur in Oceanum, quia lutulentæ sunt, & cœnosis impeditæ vadis* Cœlenæ *dicuntur, quasi nigricantes; & Hispanorum more oppido nomen dedere, ut aliàs* Sucro, Vaccæa, & Eminij.

22 Varada *municipium est antiquum Carpetaniæ in via Toleto Complutum sic. Toleto* Illeoscam *XXIIII. M. P.* Titulciam *M. P. M.* Varadam *VIII. M. P. M.* Complutum *XXX. M. P. & viam* Varada Segoviam **f. c. M. Fulvius Nobilior Procons. Hic [*scilicet* Varadæ*] recolitur memoria Nerei, Saturnini & 365. Martyrum, qui erant in æstivis in hoc municipio sub persecutione Diocletiani passorũ XVI. die Octob. imò crediderim hos passos Cluniæ; reliquias aliquas illinc huc allatas, & ibidem aliquot annis in** Titulcia *vixisse concorditer.*

**faciendum curavit.*

*Glossema est.

*Al. *Tullianis.*

23 Muris *oppido in Gallæcia in populis Clamerianis, ubi ex mari exundantique flumine fiebat peninsula, de qua Plinius lib. 4. S. Theodorus Monachus cultus est vita, miraculisque clarus II. April.*

24 Ovetum, *quod prope* Lucum Asturum *Civitatem Regiam (& quæ sub Suevis continet sub se* Lucum Augusti, *& in quo Luco Asturum sub Rege Theodemiro Suevorũ habitum est Concilium nationale Suevorum) tempore Maurorum allata est arca Toleto cum reliquijs plurimis, & Cappa,*

 qua

qua B. Virgo donavit S. Ildephonsum Toletanum Antistitem, quæ fuit candidissimi coloris, & corpora SS. Asturij cognomento Serrani, & Iuliani Toletanorum Episcoporum.

25 *In Gallæcia civitate* Luco Augusti *memoria SS. MM. Procli & Hilarionis sub Trajano passorum, quorum reliquiæ & Acta aliò translata dicuntur.*

26 Achartæ *vel* Murciæ *mansit Episcopus & templũ* * *Ecclesiaque tempore Maurorum.*

* Al. *Arcisa.*

27 *Floret memoria sanctitatis apud* Lucum Augusti *S. Põtificis* * *Odonis, qui reparavit hanc Civitatem & Ecclesiam, & illi Sedem restituit anno 744. annis 27. post vastationem huius Civitatis, moritur pòst sanctissimè.*

* Al. *Odornis.*

28 *Ante Hispaniarum vastationẽ à Mauris in Ecclesijs Cathedralibus Eucharistia semper patens erat: quem morem servaverunt aliquæ Ecclesiæ, ut Bracarensis, Toletana, Lucensis, & aliæ, quæ non captæ à Mauris, sed vel desertæ, vel admissæ: In aliquibus Ecclesijs, ubi frequentissimi Sarraceni degebant, & Ecclesiæ erãt debiles, id aliquando fiebat, sed rarò.*

29 *Via Antonini Emerita Augusta Cæsar-augustam sic; Castra Iulia, vel* Trogillum *(posterius nomen retinent Mauri) M. P. M. XVII. Lacippea XX. M. P. nunc* Mudraga; *Leucipam M. P. M. XXIV.* Villare Pedrosi *Mauris, Augustobriga M. P. M. XII. Toletum M. P. M. LV.*

30 *Itinerarium, quod Antonini Aug. nomine circumfertur, mirè corruptũ est, additis & subtractis mansionibus nõ paucis; primò cœptum sub I. Cæsare, productum sub Augusto, positis tantùm nominibus locorũ sine milliarium numero, pòst addita sunt milliaria ab Antonino, & ob id illi tributus est labor, qui alioqui plurium fuit additu nominum, ut Constantinopolis, Maximianopolis, Diocletianopolis, quod est signum tunc ultimam manum operi fuisse superadditam.*

31 *Cùm Lusitaniam pertransirem, publica Sarracenorum fide, vidi non longè procul Eminio in campo* Offensi *vetus & miraculosum stagnum, quod tot fecit miracula, & Ecclesiam stan-*

ſtantem anno 942. Conveni S. ſenem Heronium Bracarenſem Pontificem in Cancheræ *ruinis cum ſuis ovibus officio S. Paſtoris fungentem; & * Eminij S. virum Gundiſalvum, quē audivi poſt aliquot annos ſucceſſiſſe Heronio.* * Al. Emirij.

32 *Ego Chronicon meum, quod miſeram Tractemundo, etiam tranſmiſi partem illius Heronio Bracarenſi ſeni Pōtifici ſanctiſſimo, & ſcripſi illi ſequentem Epiſtolam.*

Sanctiſſ. Patri & Eminētiſſ. Papæ Heronio, meritiſſ. Bracarenſi Archiepiſcopo Luitprandus Toletanus Subdiaconus dilatum officium illi debitum, & ſalutem & felicitatem æternam precatur.

Efflagitaſti à me ſervulo tuo frequenti pone convicio, ſanctiſſ. Pater & Eminentiſſ. Papa, quod pro tua in me præſtantia iuſtiùs imperare potuiſſes, ac pro mea in te meritiſſima obſervantia ad nutum ego parere debuiſſem, cùm inviſi S. Iacobi Zebedæi filij, Doctoris & Apoſtoli noſtri ſacra ex voto limina, ut pleraque Luſitaniæ Gallæciæque celebriora loca, & inprimis ſanctiſs. Doctoris, Martyris & Apoſtoli Petri primi eiuſdem Apoſtoli diſcipuli, primique Hiſpaniarum Martyris ædem ſacram ac admirabiles reliquias; à te tuiſque miniſtris Bracaræ Auguſtæ tecto perhumaniter exceptus ſum. tunc cùm ſermonem facerem opuſculorum meorum, & inter illa Continuationis Chronici mei ducti ad annum 960. ad Chronicon M. Maximi Benedictini Monachi ſapientiſſimi poëtæ & Epiſcopi Cæſarauguſtani, & Flavij Dextri; tunc iniecta eſt tibi cupido vidēdi lituras meas, quia videras Dextrum & M. Maximum, & ſtudijs ſanctarum Scripturarum & legendarum noſtrarum rerum hiſtorijs ſalabaris labores prolixæ & inſuavis captivitatis inter Mauros; promiſi ſtatim miſſurum partum meum, vel potius abortivum fœtum, maluique qualemcunque tibi caſtigandum, quàm nullum mittere, ſatius ducens parere comiter imperanti, quàm reluctari comiter efflagitanti, an placiturum ſit hoc meum obſequiolū, prorſus ignoro. Si fuerit ingratum, tu videris, qui iuſſiſti; ſin

pla-

placeat ceteros annos, quos addideram, tibi mittam. Vale sanctiss. Pater, & sanctum tuum, licèt pauperculum senatum Fidelium & ministros inprimis, Clerumque saluta, qui versantur inter lupos ut oves mansuetæ, ac barbarorum carnificinæ in singulas horas subiacent, ferentes continuas iniurias, maledictaque à Sarracenis, quorum gladius eorum impendit ceruicibus. S. senex Ioannes Seruus Dei Toletanus Antistes multùm te salutare iubet, ac iniunxit mihi de te scire an eius Epistola Cyclica in tuas manus venerit. Iterum & tertiò vale. Toleto IV. Idus Octob. Æ. 981.

33 *Fluvius* Sucro *dividebat Oretanos Orientaliores ab Occidentalioribus Bastetanis, & in Antonino populi* Saltiga & Putealia *sunt Bastetanorum. Via sic ordinatur in codicibus castigatioribus. Saltiga XV. M. Putealia XXXII. M. pass. prope* Paracuellos; *Vallem longam XL. M. P.* Branchales *modò dicitur oppidum, unde eius principium sumitur; Terbitium XXV. M. P. Mauri* Arbecam *vocant. Allaborciũ XXV. M. P. vulgò* Cartenam. *Argiriam XII. M. P. Carenas Calletæ M. P. M. XX.* Carinenam *Sermone Maurorum M. P. VIII. Longares Cæsaraugustam M. P. M. XXVI.* Zaragozam *vocant.*

34 *Iulianus Lucas, Auctor Græcus, Toletanus Diaconus refert Græcos, cùm venissent in Hispaniam, in Bastetanis condidisse oppidum dictũ* Dicæarchia, *vel* Puteolos, *aut* Putealia, *quod Mauri diruerunt; Tunc posteà venisse * Carpetaniam, & alterum condidisse; huius nomen* Paracuellos *dicitur, quasi * Adaga* κωλεν, *à Mauris dicitur* Almodovar.

* Al. Cãpaniam.
* Sic in omnib9 Codd.

35 *Cilices in Hispaniam venientes à regione Cetide vocarunt hunc locum, quem Mauri vocant* Albacete *corruptè.*

36 *S. Potamiena, civis Puteal iensis in Bastetania, filia M. Aurelij Decimi Præfecti legionis VII. Geminæ, Piæ, Felicis, & S. Quinctiæ Marcellæ, soror Cæciliæ Quinctiæ, quæ nupsit Druso Valerio Cæliano Valentiniano, & isti fuerunt parentes M. Aurelij Valentiniani Præsidis Provinciæ Hispaniæ*

Citerioris; constant hæc ex inscriptionibus.

37 Arbucaræ *in Celtiberia S. Papij Martyris, qui varijs tortus cruciatum generibus tandem datis cervicibus occubuit 4. Kal. Iulij anno 303. sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Præside Hispaniæ P. Daciano, ibique eius memoria celebris est.*

38 *Ætate parentum meorum anno Domini 923. Martij 25. passa est martyrium virgo sanctissima Eugenia, filia Christianorum Muzarabum in municipio Vticensi, quod in Conventu Cordubensi vocarũt* Marmolejos, *iussu Regis & Miramamelini Abderrameni ferissimi tyranni, Fidei Christianæ caussa, & post carceres & supplicia datis cervicibus martyr effecta est, Cordubæ sub Blasio, vel Basilio Toletano Pontifice Martyr est honorificè sepulta cum versibus acrostichis in marmore cælatis, & mirificè culta est, & etiam in Oveto, Toleti & in Gallæcia celebratur. Huius sanctiss. Virginis & Martyris Hispanæ reliquiæ delatæ sunt ad varias Hispaniarum partes, ubi conditæ sunt illi Ecclesiæ.*

39 *In Tabulario S. Iustæ reperi carmen hoc compositũ à Domino Blasio Toletano Pontifice præstantiss. illius seculi poëta, quod ijs adam.*

Eugenia hoc posita est tumulo celeberrima Virgo,
Sanguine quæ Christi est testificata Fidem.
Purpura, quam decorat infecto sacra colore,
Laurea & exornat cui duplicata caput.
Multa tulit, sed plura refert ex hoste trophœa,
Virtutes, lauros Æther & ipse canit.
Miratusque canet ventura in secula Mundus,
Dum steterit Tellus pondere fulta suo.
Toletum tibi, Diva potens, tibi Corduba felix
Patria, mensuram porriget usque decem.
Totaque iam refert Tricensis Eclesia laudes,
Præcipuæ indigeti solvet Ibera suæ.
Morte paras vitam, penetras quoque funere cælos;

Vul-

Vulneraque ad Superos expediêre viam.
Supplicibus te pande piam, portumque salutis
Diva doce miseros, Diva tuere reos.
Quod patimur, si est triste iugum, sit caussa salutis;
Blasius hoc Præsul carmine te celebrat.
Toleti memor ergo sui, nitidæque tuorum
Maiorum sobolis iam tua regna tenens.
Eugeniam sequeris Pelagi fortissime Martyr,
Moribus & similes estis & igne pares.
Efferus Abderamen Almansor credidit ambos
Perdere, utrumque tamen morte sub Astra rapit,
Vos eadem fortasse gravet custodia vinctos
Compede, tum vinclis, tum pietate pares,
Quos ibi sermones seritis de morte ferenda
Pro pietate semel, proque pudore simul?
Eugenia, ò Pelagi, tibi sit nova caussa coronæ,
Illa necem patiens te docet esse virum.
Post cuius testare Fidem vestigia constans,
Illa tuo capiti serta nec una locat.
Gaudetis sub Astra duo de morte subacta,
Nomine velletis plura tulisse Dei.
Vos rosa, vos decorant candentia lilia testes,
Hinc rubor, hinc candor tempora vestra tegit.
In terris patria haud similis, tamen una duobus
Patria communis Regia celsa Dei.
Gaudete, ò pugiles, memores estote clientum,
Quos dubia exercet pugna, gravatque metus.
Præsentes igitur populis pugnantibus este;
Si nos aspicitis, vincimus & fruimur.
Si vincemus, erit palmæ pars maxima vestræ;
Gloria nostra simul gloria vestra & erit.

Obijt sanctiss. Virgo & Martyr Eugenia VII. Kal. April. feria IV. hebdomadæ dictæ in Passione; quam post duos annos assequitur sanctiss. iuvenis Pelagius, ut creditur, natione Gal-

læ

læcus, qui ducem & magistram habuit ad Martyrium santiss. Eugeniã Æ. 961. ann. 12. Abderramenis huius nominis quarti dicti cognomẽto Almansoris, Egira verò 312. Sævissimus fuit hic Imperator, & multas in Christianos edidit strages, ac Fidei Christianæ fuit hostis infensissimus. Sunt qui credant, tunc occisam Toleti Mariam Servam Dei.

40 *Queritur S. Pontifex Innocentius I. in Epistola ad Episcopos Hispaniæ Toleti congregatos ad Concilium, quòd ex Iurisperitis & Causidicis fierent Episcopi, ut quidã Fl. Rufinus Consul cum Flavio * Eusebio ann. 347. fit Episcopus ann. 360. in Hispania, & Gregorius ex Præfecto Prætorio Galliæ Episcopus Illiberritanus; licèt fuerint ambo viri sancti & vitæ laudabilissimæ, Pontifex prohibet.* *Cuselio

41 *Sunt qui dicant S. Theclam Iconij natam primam Paulli discipulam, eiusque prædicatione conversam, natam patre Hispano Celtibero, matre verò Iconiensi, gentili durissima.*

42 *Anno tertio Regis Sisennandi sub Audace Tarraconensi Pontifice arca per mare Mediterraneum ab Angelo devecta est Tarraconem cum parte corporis S. Theclæ Virginis & Martyris discipulæ S. Paulli cum inscriptione intùs reperta, quæ hoc significabat; anno 633. excepta est cũ ingenti gaudio Præsulis ac civium, ac res scripta per epistolam ab Audace Præsule Regi Sisennando, miram Hispaniæ lætitiam attulit; sub captivitate Maurorum anno 960. cùm ego illac transivi, sedulò custodiebatur in captivitatis medio permittentibus Sarracenis à Catholicis Muzarabibus, & ad preces illorum qualecumque carmen lusi, quod & eis porrexi,*

Diva potens, superas inter numeranda cohortes,
Prima & femineo Martyr opima choro.
En patriam repetit tot iam volventibus annis,
Et Laletanum sospitat illa solum.
Transmittit pelagus supero præeunte ministro;
Paret & imperio ventus & unda suo.
Ex Celtiberia genitor fuit urbe profectus,

Illeque quos deamat, filia Thecla fovet.
Ecce Luitprandrus non novus incola terræ
Hispanæ, externam carmine lætus adit.
Accipe quæ supplex tibi, Virgo, carmina sacrat,
Pectore pro templo te quoque, Diva, tegit.
Felix adventus tuus est & lætus Iberis;
Est nihil ulterius Tarraco quod cupiat.
Te veniente salus venit, & faustissima tecum
Importat votis amplius usque modum.

43 *In tempore Muzarabum erat Ecclesia Tarracone* sanctæ Thecla vetus.

44 *Sucro fluvius nascitur in Hispania è monte dicto* Megaratula, *quem Sarraceni vocant corruptè* Mogorruta, *non procul à Turia dicto etiam Ibero minore, à Mauris* Guadalaviar, *quasi diceres fluvium aquæ candidæ; transit per urbem cognominem, dictam à Mauris Concham, à Malacha Celtiberorum urbe dicta à Sarracenis* Melca, *& à môtibus, qui Sagunto impendent; quam civitatem Carthaginenses demoliti reædificantes Carthaginem Edetanorum vocaverunt; itaque fluvius hic Sucro in pelagus Mediterraneum exundat non procul à dicta Carthagine & fluvio Ibero minore.*

45 *Duplex est* Segueda, *altera caput Belitanorum in Celtiberia à Mauris dicta* Borgia, *altera in Arevacis dicta* Valeranica *à Sarracenis.*

46 *Titios populos* Thauſt *vocaverunt Sarraceni, sicut Bisgorgitanos* Gobia *in ripa Iberi, ubi à Cæsaraugusta ad Dertosam sunt plusquàm triginta populi Romani.*

47 *Axeniam civitatem in Anstis populis vocant Sarraceni* Xixenam: *Colendam civitatem* Maluendam *vocaverût.*

48 *Illicis Colonia immunis* Bellsa; *pòst* Oriola *est dicta.*

49 Occile, *ubi mercatus fuit Hispanorum Arevacorum decurtato vocabulo, corruptoque Mauri* Ciria *vocant; ab Ocili* Cilia *prius, & adbuc corruptiùs* Cina.

Finis

50 *Finis Arevacorum est* Villanova *in confluenti fluminum Arlanzæ & Arlanzonis, quæ ibi iunguntur.*

51 *Civitates has in Arevacis sitas in Celtiberia Pallantiam* Berlangam *Mauri vocaverunt, Calagurrim* Caleruegã, *Sigidam* Zaias, *Lauroniam* Varzones.

52 Ausa *vel Ausona in populis Ausetanis est tempore Maurorum dicta* Mãrresa, *sicut Egara* Besseda, *vel* Bosque de Malatosca.

53 *In Concilijs Toletanis alius fuit Episcopus Castulonensis & Castellanus, in Castellanis Castellum caput fuit; quã urbẽ Mauri vocant* * Besalu. *In tertio Toletano Concilio confirmat Froiselus Episcopus Castellanus alius ab Episcopo Castulonensis, qui ibi confirmat.* * Al. *Seſela.*

54 *S. Maginus, aliàs Maximus passus est VIII. M. pass. à Tarracone in mõte* Palfuriano *XV. August. sub Diocletiano, Præside Hispaniarum Datiano ann. 302. Fuit Civis Tarraconensis, egit vitam eremiticam.*

55 *Palfurius Sura, Vir Senatorius, amicusque Martialis in senectute creditur sub Claudio venisse Tarraconensis Prætor, & prope Tarraconem oppidum è suo nomine condidisse* Palfuriam, *à Mauris pòst corrupta voce.*

56 *Corpus S. Sigismundi Regis Burgundionum & Martyris allatum ab urbe Seduno ad tractum Barcinonensem creditur delatum, & in monte Tesiade depositum; quem montem Mauri decurtata voce vocant* Monsenem.

57 *S. Salvius Episcopus Ambianensis & Martyr creditur allatus prope Barchinonẽ, ut sanctus Valentinus Episcopus & Martyr (alij faciũt Interamnij Flavij in Hispania Episcopũ; alij autẽ Italũ Romæ passũ sub Trajano Imp.) ad Monasterium quoddam prope Rubricatam urbẽ, nunc* Mantresam *dicunt; alij putant huius urbis Interamniæ fuisse Confessorem Episcopum.*

58 *Reliquiæ S. Baudelij Diaconi & Martyris Mamausensis sub Iuliano passi pro Fide delatæ sunt Rhoda Civitate*

maritima prope Indigetes Toletum, quæ pòst delatæ sunt in arca sacra Ovetum.

59 *VII. Septemb. passa est S. Virgo & Martyr Regina apud urbem* Alisiam *in confinibus Lusitaniæ & Carpetaniæ sub Olybrio Præfecto Hispaniarum sub Diocletiano, cuius reliquiæ delatæ sunt sub Sarracenis ad territorium Augustudunense; Mauri urbem* Alisiam *vocaverunt* Alixam.

60 *Mauri videntur esse depopulati civitatem Egaram, olim sedem Episcopalem, quæ tempore Gothorum civitas fuit amplissima, cuius ruinæ in Laletaniæ fine visuntur prope civitatem* Basim, *& exortum fontium, vel fluminis Clodiani, sic à nobili Romano Clodio vocati. Habet terminos* Bordel *dictum* Burdilis, *Palada, nunc* Paladera, *Mõtesam,* Monsen, Portellam *nunc nomen habet.*

61 Lugoduni *in Lusitania, quam urbem vocaverunt Mauri* Vitigodinum *S. Iustus, ut creditur, Episcopus Egarensis, qui Concilio Egaræ congregato subscripsit. Quam urbem vocaverunt corruptè Gothi Egaram, Latini* Bassedam *in Castellanis, cuius meminit Ptolemæus.*

62 *Antiquissimus est Episcopatus Bassedensis, nã S. Fructuosus Episcopus Tarraconensis & Martyr, priùs creditur fuisse civis & Episcopus Bassedensis, & inde translatus Tarraconem, ubi Martyrium obijt illustrissimum.*

63 *Æra Cæsaris 769. Ioannes Egarensis destructa civitate sua, vix evasit senex, & confectus senio peregrè profectus est aliò.*

64 *Froiselus Episcopus Castellanorum interfuit tertio Concilio Tolet. huc ex Dertossana sede iussu Regis gloriosissimi Reccaredi translatus.*

65 *Apud Castellum Milleduni in Castellanis à Mauris dictum* Millol *corruptè, S. Leonis Episcopi, & Confessoris, ut creditur, Egarensis miraculis clari. Sunt qui credant hunc Episcopum fuisse, & à Venetis delatum Venetias, datumque Leoni Mitamanensium Episcopo in Castellanis ad mare*

Me-

Mediterraneum, & submerso oppido maris fluctibus delatum fuisse ad oppidum Milledunũ, & sepultum in cœnobio S. Servuli Martyris, cuius corpus vel reliquias illuc translatas fuisse ad oppidum Milledunum, quod, ut diximus, Mauri more suo vocant Millol.

66 *In Hispania, Civitate* Octogessa, *quam Gothi corruptè vocarunt decurtatè* Ictosam, *celebrantur Martyres Iuvenalis, Bonosus, & Maximianus sub Trajano passi, & S. Vildefridus eiusdem Civitatis Episcopus, & Confessor miraculis clarus; Ante tempora Constantini hæc sedes in Hispania vetusta est, paret Tarraconensi, nec ab alio potest cogi Episcopus eius nisi à Papa; interfuit Concilio Gerundensi sub Ioanne Tarraconensi Frontimanus Ictogessæ.*

67 *In Asturibus Hispaniæ, urbe* Britonia *SS. MM. Gorgonij, Firmij, Antonij, & Agapis Virginis natorum in Nicæa Bithyniæ casu ad Hispaniam delatorum in persecutione crudelissima Decij, qui x. Martij per varios, & terribiles cruciatus palmam Martyrij tandem consequuti sunt.*

68 *Lucius, aliàs Lucas, Episcopus Britoniensis Hispaniam petens Cæsaream captus Padovæ (nescitur caussa) cum socijs passus est sub persecutione Neronis; coliturque memoria eius, & Britoniæ in propria sede, & Cæsareæ.*

69 *In Asturibus prope* Balobrigam *in mari Oceano resederunt naves Normanorũ, quæ precibus Gundisalvi sancti Episcopi Mindoniensis, vel Balobrigensis submersæ sunt anno 850. colitur 1. die Novemb.*

70 *S. Martinus ex Orientalibus partibus in Gallæciam veniens convertit ad Fidẽ Catholicam Suevos, factusq; est primò Episcopus Britoniensis, vel Mindoniensis, pòst ex Britoniensi Dumiensis, tandem ex Dumiensi Archiepiscopus Bracarensis.*

71 *Duplex sedes Dumiensis, altera in Asturijs, quæ Britoniensis, altera in Gallæcijs, & hæc fuit Monasterium, quod S. Martinus instituerat.*

Du-

72 *Duplex Castulo, alterum dictum Catulij, ambo Sedes Episcopalis.*

73 *In divisione Episcopatuum sub Rege Theodemiro Suevorũ* Magnetum *Episcopatus Portuensis oppidum, quod Sarraceni vocaverunt* Maulhoce *factus est Sedes; duravit parum.*

74 *Vectica Sedes & Bracarensi subiecta dicta est etiam* Besea *vel* Betaonie, *à Mauris verò* Barbola *in Portuensi Sede. Sunt qui dicant esse quoque dictam Betonicam à Betonibus proximis conditam.*

*Al. *Vrctica.*

75 *S. Hipheris creditur passi Vecticæ sub iudice Fl. Cæsario, qui fuerat olim Præfectus Romæ, pòst sub Iuliano Iudex Hispaniæ tandem anno 397. sub Honorio iam confectus æuo Consul cum Attico.*

76 *Anno XV. Theudij Regis Gothorum Ær. 584. celebratũ est à patribus Provinciæ Tarraconensis Concilium Vallense in oppido* Valle *Vallis Faventinæ; nec legendum nisi mendosè* Vallentinum, *sed* Vallense, *vel ut alij codices habent* Valletanum *vel* Valletense. *Ibi colitur sacer Amatus Presbyter & Abbas Tamarensis XII. Septemb. Fuit Amatus oriundus à Valle, patre Theodoro Vallensi Hispano, qui duxit uxorem Gratianopoli in Gallia; natus est anno 635. obijt anno 695. translatus ad Vallensem urbem anno 712. tempore Sarracenorum aliò translatus.*

77 *Cùm essem Fuldæ, incidi in Codicem Conciliorum Toletanorum in membranis litteris Gothicis scriptum, quem sanctissimus Helipandus Toletanus Archiepisc. ad Carolum M. Augustum transmiserat; ibique reperi mutilum Concilium Toletanum sub Iuliano Ær. 578. anno IX. gloriosiss. Regis Theudij, quod videtur nationale: Sic.*

In nomine Domini N. I. C. incipit Concilium Toletanum sub Iuliano Toletano Metropolitano sub die XIV. Kal. Decemb. Ær. 578. anno IX. gloriosiss. Regis Theudij.

Cùm

Cùm ex consensu gloriosiss. Regis Theudij D. N. omnes Hispaniæ Metropolitani, alijque Pontifices consedissent Toleti urbe Regia in Basilicæ sanctæ MARIÆ Virginis Secretario, quæ vocatur Hierusalem, & de Sanctorū Patrum institutis, Canonumque decretis debita mētio haberetur, placuit nobis omnibus in unum collectis tractare de morum reformatione, ac si quæ decreta sunt in anterioribus Concilijs, & temporum abusu deleta, denuò restaurari; Et inprimis Fidem S. Concilij Nicæni liberis mentibus & vocibus profiteri.

Incipit Fides à sancto Concilio Nicæno. Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem, &c. [usque ad vitam futuri seculi, Amen.]

Deerant in ipsa Synodo nonnulla folia, & ob id nonnulla capita: & primò desunt prima quatuor capita. Sequitur verò caput V.

Cap. V. de Clericis fictis & Clericis, qui se fingunt habitu & nomine Monachos esse.

Cap. VI. Presbyter contumax excommunicandus est. Si quis Presbyter ab Episcopo suo fuerit degradatus, aut officio pro certis criminibus suspensus, & ipse per contemptū, & superbiam aliquid de ministeriorum....

Cap. VII. de Presbytero post ordinationem. Ceterùm Presbyter si post ordinationem aliquid acquisiverit, illud observandum est, quod in Canonibus de consecratis nihil habentibus constitutum est.

*Cap. VIII. de viduis & puellis Religiosis. De viduis & puellis, quæ habitum Religionis in domibus proprijs tam à parentibus, quàm per se mutaverint, si post contra institutum, &c.**

Nunc verò servatis ijs, quæ inter nos ad disputationem institutionum veneramus, gratias agimus omnipotenti Deo, deinde Domino nostro gloriosissimo Principi Theudio, divi-

* Subijciuntur ijs capita alia ad usq; 33. ita dimi nuta, ut superse derimab eorūtrāscriptione.

divinam clementiam exorantes, ut feliciſſimos annos agat in Regno, ut ea quæ ad cultum Fidei pertinebant, licentiam nobis præſtet liberè peragendi, voſque ſanctiſſimi Patres in annum ſequentem XII. Kal. *Octob. in hanc etiam Regiam ſedem conventuros eſſe denuncio, niſi mavultis ad civitatem convenire Valentinam huic Metropolitanæ ſedi ſuffraganeā. Ite felices ſanctiſſimi Patres.*

Subſcripſerunt Iulianus Toletanus Metropolitanus; Eleutherius Bracarenſis, Zelſinus Tarraconenſis, Emila Emeritenſis cum LXIV. alijs Epiſcopis omnium Privinciarum, multis Abbatibus, & Viris Palatinis.

Coacta eſt ſacra Synodus Æra 579. XII. Kal. Octob. anno feliciter X. glorioſiſſimi Domini noſtri Regis Theudij.

78 *Supereſt fragmentum Canonum IV. V. XVI. L. CI. (Ea Valentia Hiſpaniæ eſt.)*

Cùm Epiſcopi totius Hiſpaniæ conveniſſemus in ſede Civitatis ſplendididiſſimæ Valentiæ præſtituto die XII. Kal. Octob. anno feliciter X. Domini noſtri Regis glorioſiſſimî Theudij, qui nobis amplam ad hoc clementiſſimè dedit facultatem, ut regulam Fidei Catholicæ defendentes, de moribus etiam ageremus.

Præſedit idem Iulianus Toletanus Metropolitanus, & ceteri, qui ſuperiori Concilio tunc interfuerunt, & illud confirmarunt.

(Hic ponebatur, ut ſuprà, regula Fidei ex Concilio Niceno, deinde canones pluſquàm CXX.)

Conſedentibus nobis in urbe Valentina Hiſpaniæ placuit aliqua determinare ad Fidei, & morum ſtabilimentum. *

* *Succedebāt ijs canones*

Quibus peractis agimus gratias Omnipotenti Deo, qui nos in hunc locum incolumes, & in vinculo caritatis concordes coniunxit, deinde Domino noſtro filio glorioſiſſimo Regi noſtro, & Domino Theudio, qui nobis amplam concedit pro ſua clementia licentiam conveniendi in hoc loco, & res Fidei, ac morum liberè determinandi.

Ite

Ite in pace sanctissimi Pontifices, & in annum sequentem X. Kal. Decemb. Toleto scite conventuros.

Iulianus S. Ecclesiæ Tolet. Metropolitanus his constitutionibus, quas S. Synodus universalis determinavit, subscripsi.

Benagius pro Episcopo Bracarensi, cuius vicem gerens subscripsi.

Leontinus vicem gerens Domini Emilæ Emeritensis confirmo.] *Sic ceteri LXIV. Episcopi.*

73 *Cùm Gothi, Sueviq́ue Hispaniam possiderent, destructa Carthagine nova, civitate nobilissima, quæ Sedes Episcopalis fuit, translata est Sedes* Murciam, *quam Gothi vocarunt* Bigastrum, *quasi duplex castrum; & Episcopus Carthaginensis vocatus est Bigastrensis; sub Mauris vocata est* Murcia & Oriola; *& reparata tandem Carthagine Sedes eidem & nomen restitutum est, dicta Sedes Carthaginensis.*

74 *Florius fuit ultimus Episcopus Carthaginis novæ, quia post excissam Carthaginem Sedes illa* Bigastrum, *id est,* Murciam, *translata est.*

75 *Romæ habetur celeberrima memoria S. Victoriæ V. & M. quæ fugiens ab sponso Eugenio in Hispaniam ad Provinciam Marsorum in Bastetanis passa est in civitate* Turbula, *quam corrupto vocabulo* Tovarram *Sarraceni vocaverunt. Illa celebre condidit sacrarum Virginum Monasterium, & ibi passa est.*

76 *S. Anatbolia Soror S. Victoriæ secuta S. Victoriam ad Hispaniam & pòst relictam Turbulæ Martyrem XXIII. Decemb. rediens ad Italiam, anno sequenti IX. Iulij cum Audace passa est in civitate Thora. Olim Turbulæ Soror utraq; culta fuit, sed exolevit memoria SS. VV. & MM. adventu Maurorum.*

77 *Titus Aurelius & C. Lucius Eugenius Hispani cives Turbulani vel Tribulani (utroque modo dicitur) in ea urbe, eiusque territorio versus Hellanes oppidum Græcorum, ubi*

nati, prædia habuerunt profectique Romam; Victoriam hic, ille duxit Anatholiam.

78 *Sunt qui putent corpus S. Virginis Victoriæ à Christianis Turbulanis delatum ad Cataloniam; alij ibidem relictum, metu tamen Sarracenorum absconditum.*

79 *Sunt qui putent à Rege Suintila Gothorum ædificatam primò civitatem Victoriam in ruinis antiquæ urbis, sicque nominatam à Rege Gotho in honorem S. Victoriæ passæ Turbulæ, cuius, ut aliorum Sanctorum, fuit Rex iste Catholicus apprimè devotus.*

80 *S. Secundus primus Episcopus* Abulæ *in Bastetanis, quæ nunc diruta à Mauris* Villagurda *dicitur, ubi sunt ingentes ruinæ, distatque plus minus à Turbula vel* Tovarra *XXVI. M. P. Inde sanctus idem discurrens per Hispanias in Lusitania prædicat; urbe Abila, ubi passi sunt S. Vincentius & Sorores, ibique martyrium patitur, & eius corpus mira Muzarabum custodia servatur in ruinis urbis.*

81 *Cùm essem* Carthagine Spartaria *legi inscriptionem in honorem S. Victoriæ, quam vocabant propter egregiam eius sanctitatem* Augustissimam, *in hunc modum:*

VICTORIAE. AVGVSTISSIMAE
CAIVS. VALERIVS. FELIX
EX. VOTO. DD
VIVENTE. MAXIMIANO. VRBIS. * ABVLANAE
PATRICIO.

* *Annè* TVRBVLANAE?

82 *Relicto Hierosolymis alligato Paullo, eius iussa S. Secundus Episcopus Abulensis ad Hispaniam rediens, utramque invisit Abulam.*

83 *Sancti Septem Pontifices prædicant primò per partes Meridionales Hispaniæ, ut Acci, Bastæ, & Malacæ, Illiberri, Vrci, Vergiliæ, Abulæ, Illiturgi; maior horum pars in Bastetanis est, scilicet Iriæ, Illiberri, Vergiliæ, Illiturgi, Abulæ; in*

Ba-

Bastulis verò interq; prope Calpem urbem Bæticæ. Sic sacer Hymnus à S. Pontifice Toletano:

Cultus per hos (inquit) *Hesperiæ finibus*
Indita illuxit Fidei gratia præpotens;

Per Fines Hesperiæ *intelligit partes magis Meridionalis Hispaniæ; postea prædicaverunt per partes Septentrionales & Orientales.*

84 *Obijt autem Abulæ S. Secundus Pontifex & Martyr I. die Maij anno LXV. cùm prædicasset Toleti post mortem S. Elpidij primi Toletanorum Pontificis, & discurrit per Carpetaniam totam.*

85 *Abila dicta est Lusitanorum Civitas; Abula vel Abyla Bastetanorum, & fuit eius Episcopus Priscillianus, in cuius detestationem post adventum Gothorum desijt esse Sedes, & ad alteram translata est; scilicet, Obelam, vel Abelam in Vettonibus in fine Carpetaniæ; post adventum Maurorum & recuperationem Abilæ ex deceptione nominis facta est Sedes Episcopalis; Abula verò destructa est à Mauris, nec hactenus ex ruinis iterum educta.*

86 *Non deest fundamentum cogitandi S. Secundum Episcopum (& si in quibusdam codicibus non ponitur) passum cum alijs Prid. Kal. Aug. & fuisse Episcopum Abulensem, qui passus est ad oppidum* Fumadam *Abulæ propinquum ann. LXV.*

87 *In divisione sedium Emeritæ subiectarum cùm dicitur* Villa † Esteteranij *inter Cauriã & Abylam vel Ovilam, villa hæc intelligitur* Alcantara, *quam Mauri sic vocaverũt à Pontis celebritate, ut oppidum illud Gothi vocaverant eodem modo* Ovillam.

† *Deficit hæc vox in M. SS. diuisionum.*

88 *Creditur iussu Regis Vvambanis Catholici Quiricum Toletanum in villula prope Aquis oppidum Carpetaniæ à Mauris* Talaveram *dictum in honorem S. Pimenij Pontificis & Martyris eiusdem terræ Cathedram erexisse Emeritensi subditam. Villula illa dicta fuit sic à Sarracenis, pòst Vicus* Cazalegas.

89 *S. Pimenius, qui colitur I. Novemb. creditur passus sub Adriano paullò post mortem S. Marci Marcelli Eugenij anno XVI. Adriani, Christi 135. Hibero & Silano Coss. anno 4. S. Sixti sub S. Hermolao Toletano Pontifice, & postmodum Martyre. Creditur gravissimos passus esse cruciatus in Monasterio suo* Cazalegas, *Q. Matidio Gratiano Citerioris Provinciæ Præside.*

90 *Sancta Memoria S. Ianuarij primò Episcopi Tibulariensis, mox Beneventani Martyris.*

91 *Monasterium Agaliense ad Septentrionem suburbij Toletani positum, ab Athanagildo Rege Gothorum cōditum, præter Karadinense, omnium Hispaniarum Monasteriorum, & Galliæ Narbonensis dici potest Pater litteris, religione, fama, bibliotheca, frequentia Monachorum, & virorum illustrium; ubi erat insignis litterarum Academia & totius Regni nobilitas sapientia & moribus bonis imbuebatur; hinc velut ex equo Troiano prodierunt Abbates alijs Monasterijs, & præclarissimi Præsules multis Ecclesijs Hispaniæ.*

92 *S. Ildephonsus SS. Cosmæ & Damiani Abbas, pòst Præpositus Monasterij Agaliensis, Toletanus fuit Episcopus; scripsit librum* Synonymorū *&* Conciones contra Hæreticos, *quos Concilium Provinciale approbavit, cùm nationale Toleti Concilium cogitur.*

93 *S. Ildephonsus, cùm ad matutinas Incarnationis venit, tulit secum librum* Synonymiæ, *ubi cum Beata Virgine colloquitur, & lib.* XIV. Concionum, *quos dat Virginibus Dei* contra tres hæreticos.

94 *S. Vualderedus Episcopus Cæsaraugustanus Ær. 739. XVII.* Kal. *Decemb. interfuit Toleti consecrationi Regis Vvitisani & coronationi. Obijt 20. April. 1. anno Regis Roderici Ær. 748. cùm rexisset Ecclesiam suam 23. vel paullò plus 24. ann. sepultus est in sacratissima Sede B. Mariæ Virginis* de Columna *à S. Iacobo ædificata.*

95 *Tunc habitum est Concilium nationale ab Vvitissano com-*

comprehensum, ubi totius Hispaniæ, Galliæque Narbonensis Episcopi confluxerunt.

96 *Æra 688. Kal. Maij, habita est Toleti nationalis Synodus contra Monothelitas, in qua mirabilem se ostendit S. Ildephonsus Abbas SS. Cosmæ & Damiani: Præsedit Orontius Metropolitanus Emeritensis Antonius Hispalẽsis, Eugenius Regiæ Vrbis Metropolitanus, & Potamius Bracarensis; hinc summa castitatis, & doctrinæ S. Ildephõsi pervenit ad aures sanctissimi Pontificis Martini Martyris, qui ad Ildephonsum scripsit, ille verò respondit. (Duobus & ampliùs passuum millibus Toleto Septentrionem versus in colliculo fuit Monasterium SS. Cosmæ & Damiani Martyrum filiatio Agaliẽsis; est ibi fons irriguus, in honorem S. Iuliani Toletani Pontificis, cui Agaliense sacrum fuit. Dictus putatur pagus ille Arabicè,* Benalgavia.*)*

97 *Muza Arabs reliquit Mahomat Ben-Ahuma Toleti Ducem, deditque partem terræ prope Monasterium SS. Cosmæ & Damiani, quod post aliquot annos dirutum est.*

98 *Colocerus & Parthenius ad Fidem prædicatione sua disponunt uxorem Decij Cæsaris.*

99 *Possessio hæreditatis & iugeris protensa est usque ad vallem* Benalgaviæ, *quæ Monasterium Agaliense habuerat, prataque dedit Coloniæ suæ, scilicet, Monasterio SS. Cosmæ & Damiani, quod apud vulgares* Agaliense minus *etiam dici solebat.*

100 *Sunt qui putent, quod & ego credo, S. Leocadiam Monialem fuisse Ordinis Carmelitani, quem Ordinem Monachi Carmelitani ad Fidem Christi conversi in Hispaniam intulerunt, ex quibus fuit* Elpidius *primus Toletanus Præsul à S. Iacobo constitutus.*

101 *S. Elpidus, quem S. Iacobus præfecit Toletanis primum Pontificem, Carmelita Monachus fuit, & in prima Petri concione conversus ad Fidem, cum socijs multis venit in Hispaniam, & Toleti fundavit Monasterium Virginum &*

Mo-

Monachorum; ubi postea fuit Agaliense, quod fuerat B. Virgini curæ monialium harum matri.

102 *In præpositura vel prioratu Monasterij Agaliensis S. Helladio successit Emilianus, Emiliano Eufrasius, Eufrasio Bacinda, Bacindæ verò Iustus Archiepiscopus Toletanus tribus annis hoc officio functus, in Abbatia successit Helladio Richila, qui erat Abbas, cùm Prior eius electus est Iustus Archiepiscopus Toletanus, vir acri iudicio, eleganti corporis habitudine, & litterarum cognitione, maximæ religionis, alter ab alio Iusto.*

103 *Avila vel Bavila, vel Abula Abbas S. Iuliani, fit Episcopus Cauriensis, confirmatque in aliquibus Concilijs Toletanis.*

104 *Anno 870. florebat in Catalaunia S. Vir Eremita Ioannes Guarinus Hispanus ex Valentia, qui prope Montem Serratum in spelunca (in qua Barcinonenses Christiani imaginem B. Virginis MARIÆ in perditione Hispaniæ recondiderant) deceptus à Dæmone Mariam filiam Comitis Gotifredi Villosi corruperat, & interfecerat, & pœnitentia ductus ivit ad summum Pontificem Stephanum, qui anno Põtificatus sui tertio dedit illi, ut more bestiarum septennium reptaret, donec infans illi diceret,* Surge Ioannes; Deus acceptavit pœnitentiam tuam: *quod ita accidit; obijt anno 905. prid. Id. Iunij, sepultus est in spelunca, ubi fundatum est Monasterium sacrarum virginum Benedictinarum, quas Maria filia Comitis ope B. Mariæ ad lucem revocata, rexit, & anno 909. obijt.*

105 *Imago S. MARIÆ Montis Serrati est ante tempora S. Severi Barcinonensis Episcopi sub Gothis, in quam miram habebat devotionem admirabilis Episcopus, &, ut dicitur, Eulalia Barcinonensis.*

106 *Celebres sunt plures Imagines per Hispanias B. MARIÆ consecratæ, ut Tescarensis, Iznatorafensis & aliæ, sed post imaginem* B. MARIÆ de Columna *in Cæsaraugustana*

Ci-

Civitate, est Mageritensis, quam socij S. Petri Mageritum *Antiochia attulerunt, cùm S. Apostolus venit in Hispanias. Sed Domnus Garsias Margeritensis Muzarabs anno circiter 718. vel 720. ædificavit illi Eremitoriolum, ubi filius eius ad vitam revocavit Domina.*

107 *Imago B. MARIÆ lapidea, quæ servatur in arca* Petre rubeæ *prope fluvium Anam, lapidea ante Gothos facta est; in loco tuto collocaverunt eam Muzarabes illius regionis.*

108 Lacurris *Civitas à Carthaginiensibus condita prope* Carcesam *à Mauris dictam* Cazorlam, *& à Mauris corrupto vocabulo vocatur* Lariola, *habet fortem quandam arcem.*

109 Castrum altum *vocatũ est à Christianis Muzarabibus* * Pena S. Petri; *ut oppidum* Salega *ad* Valazotum *fluvium urbem interfluentem corrupto vocabulo* Tafola.

110 *Oppidum* Hippo *in Carpetania corruptè vocatum est* Yepes: *Nec multò post vastationem Hispaniæ dirutum.*

* *Annè* Petra, *quæ* Peña *Hispanis est?*

111 *Theogenes, & Socij Carpetani ex* Hippone *vel* Yepes *in Laodicæa passi sunt, nec desunt qui dicant* Hippone *passos.*

112 *S. Ildefonsus posuit in æde Toletana S. Lucæ imaginem B. MARIÆ.*

113 *S. Præcelius passus Romæ, Civis fuit* Hipponis.

114 *Nicolaus Comes duxit uxorem Bletissam, sororem vel filiam Cindasuinthi Regis, genuerat Evantium Comitem, & Ducem Eugenium, qui pòst fuit Archiepiscopus Toletanus, Luciam, Eventiam; hæc nupsit Ophiloni Palatino, illa Stephano filijs Regis Athanagildi fratribus Reginarum Brunechildis, & Galasinthæ, Ophilo genuit Ophilonem, Cubicularium Comitem & Ducem, ex quo Toletanorum Domus; At Stephanus genuit Ildefonsum sanctum Archiepiscopum Toletanum, Stephanum; & Ophilo Comes Scantiarum Fonsam Socrum Regis Reccaredi, fratriam Reginæ Brunechildis; qui tres confirmant in tertio Toletano Concilio; filius Ophilonis Ophilo cõfirmat in octavo Concilio Toletano secundo*

do loco, inter Palatinos confirmat & Nicolaus Comes Scantiarum.

115 *Dum fui Fuldæ in Bibliotheca reperi vetustissimum Codicem Antonini Pij, ubi in difficillimo itinere* ab Ostio fluminis Anæ Emeritam, *reperi in margine,* Antoninum agere de flumine parvo Anæ, *qui influit in Bætim non procul Beatiam, & hunc ingressum vocat* Ostium, *quia illic clauditur, & absconditur, ut qui per Ostium intrat in domũ, quò se abdit. Sic habent duo Codices* Antonini. Præsidio *XXX. M. P.* ad Rubras *XXVIII.* Onova *XXVIII.* Illipa *XLIV.* Italica *XVIII.* Monte Mariorum *XLVI.* Curia *XXXVI.* Contributa *XX.* Perceiana *XXI.* Emeritam *XXIII.*

116 *Quidam faciunt Domnum Garsiam Ramiri Mageritensem Muzarabem, consanguineum Domni Conterici Archiepiscopi Toletani, qui reparavit Ecclesiam S. Torcati Martyris Toletanam; alij verò Ruderici Regis Dapiferũ iam senem, virum pium, devotissimum B. Virginis Antiochensis.*

117 *Imago B. MARIÆ de* Præsidio, *quæ est & fuit in Ecclesia S. Iustæ (ubi vixerant Archiepiscopi Toletani) est à temporibus Gothorum.*

118 *Euphemius reparavit Ecclesiam S. Iustæ Toleti, quam condi iussit Sanctina uxor Regis Theodorici Ostrogothorum.*

119 Anatorgis *Civitas est, quam Sarraceni vocaverunt* Veas, *quam rivulus præterfluit. Hìc fugit Gnæus Pompeius tumultum, quo se recepit* Iznatoraf *Mauri montem terreum.*

120 *S. Latro (sicut legi in monumentis Gothicis Bibliothecæ Fuldensis in Collectaneis S. Melantij, & lib. de Passione S. Serrani Archiepiscopi Toletani, & in lib. S. Ioannis Damasceni) dictus est Dimas Ægyptius Gentilis, qui Dominæ nostræ cum Ioseph ingredienti Ægyptum spoliaturus eos,*

occurrit, sed visa Virginis modestia, & pueri mira pulchritudine, mutato animo illis inserviens viam ostendit.

121 *Visitinus Episcopus Toletanus ex* Viscaia *frater Domni Zuriæ Principis huius gentis, vir magnanimus, & ad bona promtus.*

122 *In insula* Scombrina *prope Carthaginem tempore Atanagildi & sequentium Regum Gothorum fuit Monasteriũ S. Martini Ordinis S. Benedicti, cuius Abbas insigni sanctitate pollebat.*

123 *Evantius Archidiaconus Toletanus fuit patruus S. Ildephonsi, qui missa seculari militia vovit Deo militare prudenter.*

124 *S. Eugenius, patruus S. Ildephonsi, Monachus à meis temporibus pro sancto habitus, & vocatus, & ab omnibus Hispanis cultus.*

125 *S. Helladius Episcopus Toletanus semper habitus, & cultus est, ut sanctus, sed Gothici Pontifices, ut alij, non consueverunt celebrare Confessores; fuit hic sanctus Pontifex natus Toleti, Patre Helladio Palatino consanguineoque Luciæ, & Leuvigildi, viro Catholico, ut fuit filius.*

126 *Sanctus Ildephonsus fecit Iusto carmẽ sepulchrale: iacet ad D. Leocadiam.*

127 *Cindasuinthus Rex Primatum Hispanorum (Toleto trãslatum Hispalim, non multò priùs propter hæresim, & Machometismum Theodiscli, anno 4. Theodori Papæ approbantis) transfertur. Auctor Ildephonsus in Additionibus ad Chronicon generale S. Isidori.*

128 *Tempore captivitatis Episcopus Patriarcha Toletanus, degebat in Ecclesia S. Mariæ* de Alficen, *in S. Iusta exercebat officia Pontificalia, & administrabat sacramenta, ac horæ recitabantur.*

129 *S. Pathenius fuit caussa, ut converteretur ad Fidẽ uxor Decij Cæsaris prædicationibus suis; patitur sub eodem gravissimos cruciatus anno 260.*

130 *Municipium* Burginatum, *quod Mauri vocaverunt* Buxexar, *20. millibus pass.* Orea *Bæticæ oppido distans, à Germanis Coloniæ Trajanæ Civibus conditum antiquitùs, Mauri diruerunt, ubi Gentilium tempore fuit celebris nundinarum Conventus, ibi fuerunt duo sancti, qui creduntur Martyres 21. Augusti Vincentius & Iulianus cum Socijs, in primis Ecclesiæ persecutionibus; creditur diruptum à Sarracenis, cùm Burginatenses resisterent, est optimi soli cœlique, terra ferax frugum, si non desint imbres; hic finis est Oretaniæ, & incipit Regio Bastetaniæ.*

131 *Liber* Fabularũ, *qui circumfertur nomine Æsopi Phrygis, dicitur sub eius nomine à Socrate Philosopho editus.*

132 *Anno 949. Rex quidam Sarracenus, nomine Mahomad Iaquesus, Dominus* Tricij *prope* Lucronium *habuit filiam, quæ conversans cum Christianis baptizata vocari voluit Columba; virgo miræ pulchritudinis & pietatis: quod cùm pater eius scivisset, ægrè tulit, & omnibus, quibus potuit, modis illam à religione Christiana transversam ad Machometismũ traducere conatus est; quod cũ non posset, illi caput amputavit, quod cùm illa manibus sustulisset, ad oppidum usque S. Colomæ deduxit; ibi mira pietate circumvicinorũ oppidorum coli cœpit. Obijt 28. Maij. Pater eius erat Mabomat Iaquesus, Dux Regis Cordubæ, qui filiam Columbam (ut creditur) à S. Victore Cerasensi Presbytero edoctam occidi iussit, & ipsum Victorem Presbyterum 26. die Augusti. anno Domini 950. Cùm ego eram Toleti.*

133 *Natalis Episcopus Toletanus interfuit Concilio Romano, in quo gratiæ sunt actæ propter Constantini baptismum anno 324. Interfuit, & subscripsit Concilio Niceno muneribus donatus à Constantino; cum Ossio redijt Romam, inde Toletum, ubi statuta Concilij generalis servari fecit.*

134 *Eidem Constantinus ex auctoritate Sylvestri Summi Pontificis iniunxit, ut Primati (cuius Primatus in Concilio Niceno confirmatus est) ut comite Osio Cordubensi iuberet* in-

inquiri veteres Hispanorum Episcopatuum terminos, & eos renovari, quod factum est per totos septem annos, vel novem, delegatis singularum Metropolium Episcopis, qui per homines locorum peritos id sciri curarunt.

135 *Natalis Toletanus ab exsilio rediēs, Mediolani moratur, pulso in exsilium sanctißimo Dionysio, à Catholicis Mediolaniensibus Episcopus eligitur; qui licèt se gesserit, ut Vicarius illius, rebus præclarè gestis floruit, & in numero Sanctorum relatus, fuisse dicitur. Obijt 13. mens. Maij anno 354. Vir sanctus, pius, & doctus.*

136 *Sanctus Episcopus Natalis Toletanus, pòst Mediolanensis, Vitalis Hispani filius fuit, nepos sancti Natalis Confessoris Romani; successit S. Melantio Confessori; interfuit Concilio Arelatensi primo, Romano sub Silvestro, Nicæno, pòst Fidei caussa missus in exsilium, reversus Mediolani Episcopus eligitur, sanctus moritur.*

137 *Vitalis pater huius in Hispania natus est, qui veniens in Italiam, genuit S. Natalem. Pòst* Thermedæ in Carpetania *priore cõiuge defuncta, duxit Hispanam, ex qua genuit sanctos fratres Iustum & Pastorem Martyres Complutenses; itaque erant fratres isti Martyres, & Natalis Toletanus Episcopus ex patre.*

138 *S. Isidorus Hispalensis scripsit librum* Prophetarum, *quẽ ego vidi scriptum lingua Latina, Gothica, vulgari Hispana, & Arabica.*

139 *Marinus vel Camerinus Episcopus Tuccitanus, qui interfuit Concilio Illiberritano anno 300. tempore persecutionis, Melantij sanctißimi Confessoris, & Natalis successoris, Coepiscopus fuit; dicitur à quibusdam interfuisse Concilijs, & ad hunc scripsisse S. Pontificem Melchiadem; sed Dexter huius non meminit; sunt qui dicant Natalem etiam dici Marinum, vel Camerinum.*

140 *Patruinus, Paternus, vel Paternianus succedit in Sede Toletana; post 29 annos Episcopatus, secedit in Palæstinam,*

ibi fit Monachus, & pater Monachorum, mox Episcopus fit; moritur maior centenario.

141 *Maurentius eius vel frater, vel Archidiaconus sequutus est.*

142 *Marinus, vel Camerinus factus est Episcopus Arelatensis.*

143 *Concilio Arelatensi primo præsedit Osius, & duo Presbyteri missi à S. Silvestro; habuit orationes Natalius Toletanus, & scripsit Epistolam synodicam, fuit à secretis Concilij cum alio.*

144 *Toletanum Primatū adiuvante Osio in Concilio Nicæno declaratum est.*

145 *Convenit Cordubam Athanasius habitis ibidem duobus Concilijs, semel anno 350. iterum anno 356.*

146 *Prior Sardicensis ex Thophane confirmat Concilium Sardicense, cui Toletanus interfuit Natalis, & Athanasiū, & Paullum absolvit.*

147 *A temporibus Apostolorum maxima consuetudo, & quædam fraterna societas fuit inter Ecclesiam Toletanam, & Mediolanensem.*

148 *Athenodorus Episcopus Plateæ in Celtiberia vel Turiasonensis comitatus est S. Vitalem, & post mortem rediÿt ad sedem suam, interfuitque Concilio Sardicensi, Vir pius, & Catholicus.*

149 *Severinus, cognomēto* Euphrada*, sanctus, & Catholicus atque adeò unus ex legatis Concilij Sardicensis, substituitur Euphradæ primo huius nominis Agrippinensi hæretico deposito.*

150 *S. Gerbatius decimus Episcopus Traiectensis dicitur privilegio particulari vixisse ferè 400. annos; sic multi Auctores.*

151 *S. Osius Episcopus Cordubensis sanctè Catholicèque Cordubæ moritur, 3. die Maij (quo celebratur S. Crucis inventio, quam celebritatem ipse petivit à Silvestro, Constantinoque cele-*

celebrari) anno 360. cùm esset annorum 110. præsentibus multis Episcopis, & viris Religiosis, dato veneno, quod illi iussit propinari Constantius in odium Fidei Catholicæ, quia noluerat Arrianorum sectam impiam sectari, ut multi testantur Scriptores; ipse testamento facto testatus est se mori in Fide Concilÿ Nicæni, detestari dogma impiorum Arrianorũ, & qui eos sequerentur, nunquamque (licèt vis illi sit illata per tormenta, ut communicaret Sirmÿ cum Valente & Vrsatio) aliter sensisse, aut prædicasse; post reditum ex Vrbe Sirmio scripsit Osius epistolam Constantio, quæ incipit: Ego confessionis munus explevi.

152 *Duo fuerunt Archiepiscopi Toletani vocati Olympÿ; alter ex Episcopo Thraciæ, vir sanctus, qui succesit Natali, cuius meminit S. Augustinus: alter, qui interfuit Toletano Concilio, ex Episcopo Oxomensi; uterque tamen nobilis scriptor.*

153 *Petrus Pulcher scripsit ad Clementem primum Hispalensem Episcopum, Clerumque, ut Primas: quòd anno 747. celebraverant sanctum diem Paschæ XXX. Martÿ, cùm esset celebrandum II. Aprilis; rescripsit verò Clemens, & Clerus gratias agens.*

154 *Quinctus Serenus Q. Sereni filius, ad quem cùm remisisset S. Bachius Iustinus Philosophus & Martyr Epistolam longam anno 156. (scripserat anno 154. ad S. Anicetum Papam) natione Hispanus ex oppido Gallæciæ, nunc vulgò* Samos, *unde dictus est* Samonicus; *fuit, ut quibusdam placet, Iunioris Gordiani (qui vixit annis 35.) præceptor; nec multò pòst à Caracalla iussus est occidi in balneo (creditur ut Pater Christianus, cuius caussa occisus credi potest) fuit Medicus celeberrimus. Multa scripsit* de Medicina, *in qua plurimùm excelluit. Ex huius genere fuit Serenus Martyr, & Sancta Serena uxor Diocletiani Augusti, cuius neptis fuit etiam S. Susanna Virgo & Martyr, filia S. Gabini Martyris.*

Obÿt

155 *Obijt S. Regina Gelesiuntha Chilperici Regis uxor, filia verò Regis Athanagildi, iussu mariti strangulata XXIV. die Maij anno 566. cuius mortem, ut refert Fortunatus & S. Gregorius Turonensis, magnis Deus illustravit miraculis.*

156 *Anno 565. quando natus est Reccaredus Levigildo, & factus Monachus Benedictinus Leander XXII. Martij S. Severinus Hispali moritur.*

157 *Zenas & Q. Serenus Samonensis ex Gallæcia convenerunt Romæ Iustinum, & licèt coniugati, reversi in Hispaniam utebantur officio Catechistarum, ut ex Iustino Philosopho constat.*

158 *Decessit Q. Serenus Samone in Gallæcia, cum opinione sanctitatis anno 165. relicto filio adolescentulo, qui fuit egregius Medicus, & virtutis ac religionis amantissimus. Dies Senioris Q. Sereni dicitur fuisse XIV.* Kal. *Martij illo anno. Medici duo filij Quinctus & Marcus Sereni passi sunt sub Severo Alexandro. Item tertius & quartus Sereni passi cum alijs in Africa sub Diocletiano. Horum filij L. Serenus Monachus, familiaris Diocletiani & Publius Serenus; Martyr in Africa hic, ille verò in Hispania Sexti Firmij in Bætica passus est sub Diocletiano anno 290. Horum erat cognata S. Serena uxor Diocletiani. Serena uxor Imperatoris Philippi mater fuit Serenæ uxoris Diocletiani.*

159 *Ad vallem, quam Mauri vocant* Benalgaviam, *fuit Monasterium SS. Cosmæ & Damiani, ubi fuit Abbas S. Ildephonsus adhuc Diaconus, inde Presbyter translatus est ad Agaliense.*

160 *Vvalderedus Toletanus Monachus Abbas Sanctæ Leocadiæ Prætoriensis Toletanæ fit Episcopus Cæsaraugustanus, Vir sanctus & doctus.*

161 *In Ordine S. Benedicti idem est* Pater & Abbas, *& sub hoc Immediatus vel sub-Priore Rector & Præpositus; sic Agaliensis fuit Præpositus vel Rector Patrimonij, S. Ildephonsus priùs Abbas SS. Cosmæ & Damiani.*

S₂

162 *S. Ildephonsus factus Præpositus Agaliensis Monasterij rem auxit, collabentem disciplinam restituit, & vitam Monachorum à Palatinis servavit.*

163 *S. Iacobus Missam, quam coram ceteris Apostolis constituerat Petrus, ceterique comprobaverant (& pòst litteris mandavit S. Clemens & ob id dicitur vulgò Missa S. Clementis) Hispanis Episcopis tradidit, & usi sunt illa priùs in Hispania quàm in alijs Occidentis partibus; postea illam in scriptis attulerunt etiam Sancti Septem discipuli S. Iacobi, S. Torquatus & Socij, & per Bæticam Meridionalem, ubi nullum reliquerat Episcopum, ut testantur Iulianus & Felix Toletani Pontifices libris eadem de re editis in confirmationem Missæ S. Isidori, quos ego legi & aliquando evolvi, cùm essem in Fuldensi Bibliotheca, à Carolo Magno cœpta, multisque libris valde referta.*

164 *Gregorius, ad quem scripsit Eusebius Vercellensis, reprehendit Osium eò, quòd concessisset Concilio Ariminensis non fuit Illiberritanus, sed Episcopus Toletanus.*

165 *Duæ factiones fuerunt in Hispania; altera non recipientiũ cum Luciferianis non solùm Sarracenos, sed qui resipuerant; quam sequutus est Gregorius Toletanus & Vincentius eius Archidiaconus, pòst Archipresbyter & Aurelius Diaconus: Altera cum Gallis, Italis & Damaso aversantium Hæreticos & recipientium pœnitentes; quales fuerunt Hyginius Cordubensis tactus hæresi Priscilliani, qui missus est in exsilium Treveros; & Liriosus Episcopus Hispanus Dertosanus. Miræ inter hos strages, pugnæ, cædes; prævalebat tempore Theodosij factio recipientium pœnitentes: In hoc erravit Gregorius Toletanus, nec placuit Damaso successoribusque eius hic immodicus rigor.*

166 *Stasius Episcopus Oretanus Hispanus Synchionus à S. Gregorio Bætico ex Iudice simul electus, qui duo & alij iubentur deponi ab Innocentio I. & deponerentur, nisi iam fuissent mortui. Non loquitur de Gregorio Toletano S. Innocentius,*

quia

quia iam ille decesserat, neque ignorabat Papa non defunctum esse Gregorium.

167 *Elpidius Hispanus Toletanus, consanguineus Theodosij, quem coniungere volebat Theodosius Olympiadi viduæ feminæ sanctissimæ, & ad quem scripsit Symmachus Consul, florebat opinione magnæ virtutis & peritia rei militaris.*

168 *Qui meliùs sentiunt, affirmant vixisse Gregorium Bæticum ad annum 424. iam ætate decrepitum & fatiscentem.*

169 *Parum affuit quòd Bonifacius Papa poneret pro Doctore quarto loco S. Ambrosij Isidorum Hispalensem Episcopum.*

170 *Sunt qui dicant ex Cheronesso Hispaniæ delatum corpus S. Elpidij primi Toletani Episcopi, dicti Confessoris more Græcorum (verùm ille verè Martyr fuit) in Marsiam Italiæ, inde verò à Theodorico Metensium Episcopo eo tempore, cùm hæc scriberem, Metim delatum cum alijs corporibus sanctis anno 969.*

171 *Magna pars eorum, qui dispersi in persecutione S. Stephani ad varias partes traiecerant, & ad Hispaniam plurimi venerant, erat ex Monachis Montis Carmeli prædicationibus Christi & Apostolorum ad Fidem conversi, in quibus Elpidius & Socij Pontifices à S. Iacobo creati, & post Martyres facti.*

172 *Gregorius Episcopus pòst Illiberritanus natus Compluti in Hispania anno 342: per omnem ætatem litteris & bonis moribus floret, exercuit se in gubernatione, à Gratiano factus est PP. Galliarum, & submotus à Maximo, postea rediens in Hispanias factus est Episcopus Illiberritanus, successit Augustali anno 389. scripsit librum* ad Gallam Placidiam Augustam *anno 420. moritur anno 424. cùm esset ferè octogenarius, relatus est inter Divos: de illo Innocentius I. queritur, quòd homo Iudex statim factus esset Episcopus. Sunt qui putant priùs fuisse Malacitanum, & inde translatum. Composuit primò inter alia librum* de Fide, *etiam cùm primò*

ce-

cœpisset Pontificium; at petente Galla Placidia Augusta anno 420. de Trinitate *composuit alterum (quem credo S. Hieronymum non vidisse) cùm iam nupserat Constantio Augusto, qui cœpit anno 419.*

173 *Osius patria Cordubensis, natus Osio patre ex propagine Græcorum: pater & filius verè Catholici, nutritus in ea Ecclesia doctrina Episcopi Cordubensis. N. viri sanctissimi, & per omnes gradus venit ad sacerdotium, & illi successit in Episcopatu, natus anno 250. ferè ante persecutionem Decij. Vixit in pueritia satis honestè, & præbuit specimen futuri; fuit acri ingenio, doctrina sapientissimus, & in persecutione Diocletiani anno 295. sub Præside Daciano cum multis Episcopis Hispaniæ sacratissimis & sanctissimis Christi fuit Confessor Fidei.*

174 *Memini me legisse in Bibliotheca Fuldensi in scriptis Trogi Pompei Augustum dedisse Edictum* de describendo Orbe *Tarracone, & idem Edictum in libro illo dicebatur datum Tarracone; dilata tamen exsecutio propter negotiorum multitudinem diù.*

175 *Sunt qui putent, testanturque Auctores graves non pauci S. senem Osium in odiũ Fidei Catholicæ à submissis à Constantio Imperatore Ministris occisum, & ita fuit Martyr.*

176 *Augustus Cæsar excogitavit anno 38. ante Christi Natalem, dum esset Romæ, describere totum Orbem pacata Hispania tunc à bellis Pompeiorum. At post 10. annos, cùm esset in Hispania rescripsit Edictum Tarracone, misitque viginti viros probatæ vitæ, qui inciperent ab Occidente, & censeret universos populos, & postea deventum in Orientem. Publicatum est Edictum illud Hierosolymis paullò priùs quàm CHRISTVS nasceretur, & isti viginti viri censuerunt Palæstinam & totum Orientem. Hæc descriptio facta est prima sub Cyrino, quia pòst altera descriptio facta est.*

177 *Irene virgo detulit ex Hispania Thessalonicam magnam*

multitudinem librorum ſacrorum (fuit enim, ut creditur, Illiberritana) & abſcondit anno 304. Theſſalonicæ paſſa eſt V. Aprilis.

178 *In quadam Hiſtoria vetuſtiſſima* de rebus Conſtantini *reperi, Conſtantinum Imperatorem (cui contigit Hiſpania regenda) filio ſuo Conſtantio ſuaſiſſe, ut Hiſpanis faveret, & accerſeret Oſium Cordubenſem Epiſcopum, virum ſanctiſſimum & prudentiſſimum, & à ſuo latere nunquam diſcedere pateretur, & eius conſilijs acquieſceret, quod per totam vitam Conſtantinus ſervavit.*

179 *Vir doctiſſimus Flavianus, & ad quem ſcripſit Symmachus, & cui inſcripſit Feſtus Rufus alium librum* de ſtellis, *floret ſub Theodoſio, ad quem miſit Symmachus Gentilis* Panegyricum, *quem compoſuit in* laudem Theodoſij iunioris, *habitum in Senatu.*

180 *Obijt Feſtus Rufus Avienus, vir Catholicus & Hiſpanus, Civis Elborenſis, in Hiſpaniæ Carpetania, eodem anno & die, quo Auguſtinus aſcendit ad Cœlos in ſua Civitate, ſepultus eſt præſente Maiorino Toletano Archiepiſcopo in Æde S. Leucadiæ.*

181 *Quòd ſanctus ſenex Oſius in pace & Eccleſiæ communione diceſſerit, præter teſtimonium Athanaſij ſuperſtitis, docent verba Teſtamenti eius, quo dicit* in Fide Concilij Nicæni ſe mori velle & omnes hortari, ut in illa vivãt, atque prorſus mori vellent. *Moritur verò centenario XIV. annis maior iam decrepitus, & velut in ſenſu puer, & imbecillitate virium defeſſus.*

182 *Craterius, qui interfuit Concilio Cæſarauguſtano, patruelis Gregorij, veniens in Hiſpaniam factus eſt Epiſcopus Oxomenſis, vir pius & doctus.*

183 *Gregorius reverſus Nazianzium ſcripſit Audentio Toletano Pontifici, commendans ei patruelem ſuum venientem in Hiſpaniam.*

184 *Prima hæreſis, quæ venit damnanda in Hiſpaniam, fuit*

Pri-

Priscillianistarum, quæ foris hùc prorupit, damnata verò est in Secretario Sanctæ MARIÆ del Pilar *Cæsaraugustæ, quod Sanctus Iacobus ædificavit, & non alibi decuit damnari.*

185 *In* Castris Vinarijs *in Bastetania SS. Nunilo & Alodia anno 931.*

186 *Chisarus ex filijs Vrsatij damnatur, ut exsulet in Carpetaniæ oppido* Elbora *vel* Aquis *ex Rescripto Gratiani; provocat ad Audentium Primatem & Metropolitanum, ut Episcopatui suo restitueretur; coacto Cõcilio Toleti damnatur anno 382.*

187 *Sanctissimus vir Audentius Episcopus Toletanus scripsit* contra Bonosum in defensionem illibatæ Virginis MARIÆ *elegantes libros.*

188 *Habita est Confessio Nicæna & aliorum anno 394. in Concilio Toletano.*

189 *Sanctus vir Audẽtius Toletanus Episcopus obijt III. Decembris Toleti maior nonagenario, plenus dierum & sanctissimorũ operum. Sepultus est in Æde suburbana S. Leucadiæ, vbi corpus eius iacebat, condita iussu Sanctæ Helenæ III. die Decembris, cum magno mœrore Civium, quia fuit illorum Pater.*

190 *Anno 702. anno II. Regis Vvitisanis precibus Reginæ, quæ sanguine contingebat Sisebertum, ab exsilio ille revocatur, ab excommunicatione absolutus cuidam Episcopatui Hispaniæ præficitur, evasit verè pœnitens, & anno 715. I. Iunij moritur; & dabatur ei Toletana Sedes, quam humilitatis caussa recusavit.*

191 *Cùm essem Toleti Subdiaconus, rem controverti vidi,* an Albam, an Casulam B. Ildephonso attulerit B. Virgo MARIA, an ornamentum Pontificale; *quidam pauci postremum, multi* Albam *esse dicebant; Ego credo totum attulisse pontificium ornamentum, sed quia ipsa iuvabat induere, & attrectavit manibus suis* pallium, *sacratius habetur:*

tur: dixitque Missam die Sabbathi, ut solebat, audiente B. Virgine & cælesti Choro, qui canticis suis illam administravit die Sabbathi anno 665. Ob id vocatur Capellanus B. Virginis, *& ob id divulgato per Orbem miraculo Rex Recesuinthus & Vitalianus Pontifex nomine suo, & suorum Successorum voverunt se visuros esse die Nativitatis Ecclesiam, quam propter adventum B. Virginis idem S. Ildephonsus* lib. de Scriptoribus in Additione ad lib. D. Isidori *vocat* terribilem.

192 *Genesius primus Episcopus Arvernensis Ildephonsum admonuit per Epistolas de hæresi Ioviniani per quosdam excitata Arvernis, qui dicebant B. Virginem in partu corruptam mansisse, & eos tendere in Carpetaniã, ut magnam in B. Virginem fidem suis falsissimis rationibus labefactarent, & omnino perderent.*

193 *Petrus, qui postea factus Episcopus Aquileiensis, mittitur à Vitaliano Toletum, ut sciret verumne esset miraculum de data cælesti veste D. Ildephonso; qui fit etiam socius eiusdem Ecclesiæ.*

194 *In Magnilucensi Monasterio, quod iste Genesius condidit, iussit servari Epistolam suæ responsivam à B. Ildephonso missam, ubi fortiter impugnat illam hæresim Arvernorum.*

195 *In Deibiensi Monasterio posuit S. Ildephonsus ad Villam* Illeoscam *Imaginem B. MARIÆ Virginis, quam habebat in oratorio suo.*

196 *Eborenses vel Talabricenses tempore Maurorum colebant istam Imaginem.*

197 *Osius Episcopus Cordubensis invitavit ad Concilium Episcopos Orientales Cordubam ad caussam S. Athanasij examinandam; convenerunt omnes Hispani ad Concilium nationale: adfuit ipse Athanasius, & porrexit Synodo Confessionem suam, ut sub Iulio Romæ fecerat, quæ incipit:* Quicunque salvus esse vult. *Et ex ea addidisse Patres*

dici;

dicitur in eo Concilio Symbolo Nicæno in articulo Spiritus Sancti. Qui à Patre Filioque procedit; *quod confirmavit S. Damasus postea: Et ita in primo Toletano post annos 46. ab hoc Concilio invenitur hæc particula, quæ primò in Hispania addita est Symbolo Nicæno, & pòst accepit Ecclesia Romana. Concilij huius meminit Osius in Epistola* ad Constantium Augustum.

198 *Calpurnius Præses, sub quo passa est S. Eulalia Emeritensis, creditur fuisse Præfectus Romæ sub Imperatore Claudio.*

199 *In faucibus* saltus Fibulariensis *est* Fibularia, *quam Mauri* Xergal *vocaverunt, Sedes Episcopalis; sic in Concilio Illiberritano XIV. loco confirmat Iaminius Episcopus Fibulariensis: Ita in quibusdam codicibus.*

200 *Cornutus Tertullus Orator iuvenis accusavit S. Paullum Hierosolymis, postea senex collega fuit Plinij iunioris in Consulatu, cuius meminit libro V.* Epistolarum.

201 *Valde probabile est inspirasse Dominum S. Gregorio, ut oraret pro Trajano, ut salvaretur, quia edictum contra Christianos hortatu Plinij Secundi Proconsulis in Bitynnia mitigari iussit.*

202 *Sunt qui putent Amaonem vel Ammonem filium Rufi, discipulum ex LXXII. cui cum Cleopha CHRISTVS apparuit, dum irent duo in Castellum Emaus, venisse in Hispaniam, & ibi prædicato Evangelio profectum in Soliam Cypri civitatem, prædicatoque simul Evangelio ibi largiter passum IX. Februarij.*

203 *Eubulus, cuius meminit Paullus ad Romanos cap. ult. creditur fuisse Gallilæus ex Naim civitate, filius viduæ, quem Dominus suscitavit, & sequutus CHRISTVM, eius discipulus fit; Pòst Romam venit cum Petro, & fuit vir insignis, & à puero valde virtuti deditus: Missus est à S. Paullo Episcopus Pamphiliam.*

204 *Credibile est sanctos septem Discipulos Iacobi præmonitos ab eo venisse ad Bæticam.* *Theo-*

205 *Theodulus, qui prædicat Cæsareæ Palæstinæ cum alijs sub Præfecto* Firmiliano *passus est XVI. Februarij.*

206 *Sunt qui putent S. Rufum, ex LXXII. Discipulis qui fuit unus, Episcopus primò Thebanus, mox Dertosanus à S. Paulo, cùm venit in Hispaniam, ibi relictus Episcopus, cuius meminit Sanctus Paullus ad Romanos, & S. Policarpus Martyr; fuisse passum cum alijs in Armenia die XIX. Aprilis. Sed meliùs puto sentire eos, qui XIIX.* Kal. *Decembris cum Zosimo passum tunc putant, qui fuit Episcopus Thebanus & Dertosanus.*

207 *Passi sunt decem mille crucifixi milites prope Alexandriam ad Tigrim & Euleum amnem positam in monte, qui ramus est ** Candani *(vel hic Caucasus sit sive Taurus) Ararath dictus est, crucifixi circa dicta flumina felicia. Alij dicunt crucifixos ad montem Ararath, qui Latinè dicitur Equinus, par montium Gordiænorum, in cuius cacumine, teste Iosepho, Arca Noe requievit, quam etiam partem Gordiænorum fluvius Tigris irrigat, & mox in planiciem Regionis Gordiænorum, quæ barbaricè etiam dicitur* Ararath, *non longè tria millia passuum præterit Civitatem Characem ab Alexandro dictam Alexandriam, & à dextra eius multis ostijs in Sinum Persicum spaciosissimus ingreditur.*

* Al. Cădavi.

208 *Nulli tempore Romanorum permissum est sepeliri, vel uri corpora mortuorum intra Civitatem, sed extra: sic Christiani sepelierunt S. Leucadiam in pomœrio, vel suburbio, quod tunc muro veteri longiùs distabat, separatim corpora Sanctorum & Pontificum seorsum Christianorum, dicebatur locus,* Sepultura Sanctorum.

209 *S. Amator, coniux Verenicæ, cui Dominus faciem suam expressam dedit, famulus S. Virginis MARIÆ & Ioseph, & Domini baiulus ac nutricius, post discessionem eius ad Cælos, eius hortatu S. Martialem cum coniuge sequutus est*

ad

ad Gallias, ubi ſicut viderat prope Nazareth Eremitas Montis Carmeli, eam vitam in editiſſimo mõte ſequutus eſt. Vixit ibi multos annos agens vitam magis cæleſtem, quàm terrenam; creditur diſceſſiſſe anno 75. celebratur 1. die Novemb.

210 *Macer Hierotheus Hiſpanus Emporitanus olim ſub Imperatore Tiberio Tarraconenſis Gubernator perrexit anno 45. Cyprum, ubi Paullum audiẽs converſus eſt ad Fidem, & eum ſequutus eſt.*

211 *Tertius Favius Terentius, amanuenſis Paulli, de LXXII. Diſcipulis primùm Mediæ Epiſcopus, poſt Iconij, paſſus eſt XXI. Iunij anno 88.*

212 *Nervium oppidum prope Illiturgim Baſtetanorum à Nerva conditum à Sarracenis corruptè* Neſtron *dicitur.* * Al. Negron.

213 *S. Sixtus (qui poſtmodum fuit Pontifex) habito Toleti Concilio interfuit, ut Legatus Papæ; poſtea venit Oſcam, unde tulit ſecum Laurentium filium Orentij & Patientiæ; per Hiſpanias reverſus Romam fit Pontifex Maximus & præſcius Martyrij S. Laurentij iuſſit Diaconibus, ut Orentium parentem admonerent, ut faceret Templum S. Laurentio ſacrum, quod & fecit, & poſt cum coniuge, quæ præceſſit Martyrium, patitur 1. Maij ſub Claudio.*

214 *S. Fulgentius bis fuit Epiſcopus: Carthaginenſis primò, inde Aſtigem tranſlatus, & poſtremò Carthaginem, ubi paucos annos vixit, videlicet in hoc Epiſcopatu.*

215 *In Codicibus correctioribus quintum Concilium Toletanum habetur Æra 676. anno primo Suinthilani.*

216 *Paulla de genere clariſſimo Gothorum mater fuit Theodoræ vel Theodoſiæ Cerüelæ coniugis Severiani parentum Leandri, Theodoræ, Florentinæ, Fulgentij & Iſidori, qui hoc ordine nati ſunt.*

217 *Severianus duxit uxorem Theodoram Cerüelæ 14. annorum; naſcitur anno ſequenti Leander ſcilicet 542. anno ſequenti Theodora vel Theodoſia uxor Leovigildi, mater Ermene-*

menegildi Martyris & Reccaredi Æra 588. nascitur Florentina in die S.Florentij Martyris. Obijt sanctè anno 610. annorum 60.

218 *S.Carolus Magnus, licèt in iuventute fuerit (ut illa fert ætas) iuvenis debilis, iam factus vir evasit sanctissimus; in Gallia, & Germania ac Flandria, ut sancti Confessoris memoria colitur; Obijt Aquis Germanis maior 78. annorum, anno 814.*

219 *Theodoricus Rex Ostrogothorum venit in Hispaniam, & pro suo nepote Amalarico illam plures annos rexit, duxitque uxorem Toleti Sanctinam de gente nobilissima Gothorum, ex qua tulit Severianum Carthaginis Dominum.*

220 Karadigna (*primum in Hispania cœnobium Benedictinorum, ubi Sanctina uxor Theodorici Regis iacet, & habet 200. Monachos Martyres) dicta fuit tempore Gothorum & Romanorum oppidum* Karedinas.

221 *Credibile est S.Carolum Magnum post mortem cultum à Toletanis.*

222 *S.Torquatus S.Iacobi Discipulus pertransijt profundũ flumen rupto ponte, & celebratur XV. Maij cum ceteris.*

223 *Creditur S.Montanum, cùm esset Archidiaconus Toletanus, in adventu & receptione Theodorici Regis Ostrogothorum, non parum valuisse, ut esset pacificè receptus, ut tutor Regis Amalarici nepotis eius.*

224 *Cùm Theodoricus Rex Ostrogothorum venit in Hispaniam, amiserat Audefledam filiam Regis Clodovei, ex qua Amalasiuntham habuit.*

225 *Hispani Cordubenses, Hispalenses, Illiberritani, Mentesani, Toletani, Complutenses gravati servitute Maurorum, prætergressi montes Pyrinæos clementissimè excipiuntur ab Imperatore Ludovico Pio.*

226 *Creditur Severianus missus in exsilium tempore Agilanis, & caussa Fidei, quia Catholicus erat, cum filijs Leandro, Theodosia, & Florentina & uxore Theodora Cerüella: Fulgentius & Isidorus nati sunt Hispali.* Fla-

227 *Flavius Marcus Ceruela, Dux Gothus splendidissimo genere duxit uxorem Paullam feminam clarissimam, ex quibus nata est Flavia Theodora Ceruela, uxor Ducis Severiani, femina Christianissima; obijt Hispali vterque.*

228 *Restitit Severiano Aguilanus, & obsessus in urbe Carthagine Spartaria, quam Gothi penitùs exciderant, caussa Fidei missus est Hispalim in exsilium anno tertio Agilanis, cum coniuge, & filijs; ubi mortuus est.*

229 *Leander scribit ad sororem Florentinam monialem Benedictinam librum* de Virginitate, *vel* de institutione Virginum, & Contemptu mundi, *cùm esset illa nouemdecim annorum, primo anno sui Pontificatus.*

230 *Adhuc manserunt ædes Severiani Carthagine, & res ampla familiaris. Leander impetravit revocationem ab exsilio matri suæ, fratribus, & sororibus, ab Athanagildo. Theodora mater in exsilio laboris caussa, & quia magis est firmata in fide & in virtutibus, noluit redire Carthaginem.*

231 *S. Montanus scripsit ad Turibium anno ultimo Theodorici, cùm adhuc esset in Hispania, & Ega esset Toleti gubernator.*

232 *Pons seruatus fuit Toleti ad Sanctam Mariam* de Alficem *è regione* adlatus.*

* Sic in M. SS.

233 *Sanctina virgo Toletana, pòst uxor Theodorici, nascitur Toleti anno 480.*

234 *Ex Sanctina, vel Sanctia Theodoricus duos filios sustulit, Theodoricum, qui iuvenis mortuus est, & iacet cum matre Regina Sanctia apud S. Petrum Karadinensem, & Severianum, qui fuit uxoratus.*

235 *Moritur Sanctina VIII. Idus Maij, quo die festum S. Michaëlis, & Concilium Toletanum celebratur.*

236 *S. Marcus Elpidius Iulianus S. Iacobi discipulus, primus Episcopus Toletanus.*

237 *Mamas Confessor ex tractu Tudensi creditur delatus Cyprum, floruit hic sub tempore Gothorum anno 500. vel circiter;*

citer; obijt mense Augusti XXVI. die. Tempore Maurorum relictis reliquijs in Asturia & per Hispanias ad Cyprum delatus est à Christianis.

238 *Reperi in Archivis Sanctæ Ecclesiæ Emeritensis Codicem scriptum litteris Gothicis, in quo dicebatur Complutum dictum à Mauris,* Guadalcalam, *& etiam dictum esse* Iplaceam.

239 *In vetusto Codice litteris Gothicis scripto memini me legisse in Germania, in vita S. Ildephonsi, quam scripsit S. Cixilla Archiepiscopus Toletanus.* Leucadia dixit Ildephonso: PER TE VIVIT DOMINA MEA: *Sed in alia, quæ habetur:* Dixit Ildephonsus: PER VITAM ILDEPHONSI VIVIT DOMINA MEA.

240 *Aiunt Aquilas Regias à polo in polum volitare, & ob id dicuntur Apostoli Aquilæ, eò quòd totum Orbem peragrarunt, & illud Ecclesiastici;* Viam Aquilæ in cœlo. *Diciturque Iovem duas Aquilas misisse, alteram ab Ortu, alteram ab Occasu, easque demum Delphos urbem Græciæ, quæ dicitur Orbis ὀμφαλὸς, hoc est,* umbilicus, *convenisse.*

241 *Illiturgi civitas est Bastetanis, itinere quinque dierum distans à Carthagine Spartaria, cuius Livius meminit: hancq; Scipio demolitus est. Hìc creditur prædicasse S. Euphrasium, Episcopumque fuisse Illiturgitanum. In scopulo alto Arx est dicta* Tavia *à Græcis Ancyra profectis à quadam urbe sic dicta, cuius meminit ter Antoninus Pius* in Itinerario.

242 *S. Ildephonsus ordinatus est Lector, Ostiarius, Exorcista, Subdiaconus, & Levita à S. Helladio in Æde Prætoriensi S. Leucadiæ, postquàm inviserat Agaliense Monasterium, unde secum duxit Ildephonsum, ubi erat cum Iusto & Eugenio, à quo anno 640. consecratus est Abbas Benedictinus anno III. Aurasij Toletani Archiepiscopi: nam Æra 644. natus est in æde paterna S. Ildephonsus, qui pòst fuit Toletanus Pontifex.*

243 *In pluribus Codicibus Livianis tertia Dec. libri VIII.*

legitur Iliturgis *ſimplici,l, & ita legendum eſt, ad differentiam alterius Bæticæ, quæ ſcribitur duplici, ll: apud Eulogium ſimplici ſcribitur.*

244 *Probabiliter ſentiunt, qui putant* Flaviobrigam *eſſe civitatem, quam Mauri* Orduniam *vocant, caput* Amanium *Populorum, quæ pars fuit* Autrigonum *Populorum.*

245 Vxama, Segiſamunclum, Antecuia, Deobriga, Vindelia, Salionca, Tritium, Metallum, Virueſca *parebant Coloniæ* Flaviobrigæ, *quæ caput erat harum, & iuris dicũdæ cauſſa eò petebant.*

246 *Pugnatum eſt à Romanis ad* Belgidam, *vel* Vellicam, *vel* Velligam *in Cantabris, ut refert L. Florus. Hæc eſt nunc* Spinoſa *à Mauris dicta, ut* Araquellos, *vel* Racim, *vel* Arandillos, *non procul à fontibus Iberi.*

247 *Eſt autem* Segiſamona *Populus* Curmodigorum, *quem Sarraceni vocant* Oſornum, *non procul à Seguiſamona eorumdem* Curmodigorum, *quos vocat Florus* Curgonios.

248 Portus Iuliobrigenſium *dictus eſt & ſacratus Victoriæ, quia ibi victi ſunt Cantabri Iuliobrigenſes volentes repellere claſſem Romanorum tempore Imperatoris Auguſti. Alij veriùs putant vocatum ſic, quòd Iuliobrigenſes victoriã reportaverunt, eò quòd nõ dicitur* Victoriæ de Iuliobrigenſibus, *ſed* Iuliobrigenſium, *quaſi ipſi reportaverint.*

249 Sarcimum *vicus eſt apud Cantabros in Hiſpania prope fontes Iberi: ibi iuſſu Caroli Martelli exſulat S. Eucherius Epiſcopus Aurelianẽſis: in vita eius corruptè legitur* Hiſbania.

250 *Petrus cognomento* Pulcher, *& ob elegantiam oris, & multò magis ob morum ſanctitatem, dum peragrat loca ſancta Archiep. Toletanus, Damaſci comprehenſus à Sarracenis, & horribilibus cruciatibus, & in crucem actus nobile conſumavit martyrium anno Domini 752. Oct. IV.*

251 *Fuit in Cantabris Monaſterium S. Trudonis Benedictini ſicut in Germania.*

252 *In Hispania habuit Carolus Martellus multos amicos, ut apud Cantabros, & Astures.*

253 *Dicitur modò* Sarcimum *apud Cantabros, vel* Sacernulum, Barcena, *vel* Salcedum *ignobilia quædã oppidula.*

254 *Sanctissimus vir Vera Tarraconensis Archiepiscopus, qui interfuit XVI. Concilio Toletano, vir pius, humilis & sanctus, obijt XX. Octobris; celebratur in tractu Aureliano apud Carpetanos.*

255 *Est Auctor, qui credat Exsuvium discipulum S. Marci, post eius mortem prædicasse Evangelium * Centumcellis in Lusitania, pòstque rediisse solum in Cyprum, ubi constitutus est Archiepiscopus, maximorum patrator miraculorum dictus est propter eius opera.*

* Al Cautasoliæ.

256 *Mihi valdè probabile est, & legitur in Orientis Historijs, Elpidium, & reliquos Episcopos, quos traxerat S. Iacobus in Hispanias, & ab ipso S. Iacobo baptizatos, fuisse de numero Carmelitarum, qui in Hispania, & per alias Regiones monachatum introduxerant. Istos vocat Eusebius (libro 2. capite 3.)* Prophetici Ordinis.

257 *Caius Herminius Rufus, Prætor Gaditanus profectus Romam anno 84. quarto anno Olympiadis 215. * trãsijt in Hispaniam ad annum 86. & dum Gadibus decerneret venire Tarraconem in via oppido* Villa Æuvea, *aliàs* Alona, *vel* Delo, *nunc corruptè dicta à Mauris* Millenia, *obijt, & ibi iacet sepultus.*

* Al. *mãsit in Hispania.*

258 *Decem millia passuum Occasum versus ab oppido* Turbula, *vel* Tribula *fuit oppidum* Abula *Bastetanorũ, nunc dirutum.*

259 * Vrci *fuit Episcopalis sedes, nunc deletum dicitur, partiebatur terminos hoc modo cum Sedibus:* Vrci hęc teneat: de Egesta usque Carthaginem: de Bigastro vel Murcia usque Mundam. *Hæc civitas est ad fluvium* Mundam *apposita, octo mille passibus antequàm confluat* Munda *fluvius in* Taderem, *quæ vel fluvio nomen dedit, vel ab eo accepit.*

* Al. *Vrcifontes.*

Ve-

260 *Venerabilis memoria Plinij Iunioris, qui pro Christianorum defensione scripsit ad Trajanum, quem redeuntem ex Asia conversum Cretæ ad Fidem nonnulli credunt; & pòst in persecutione Antonini Pij Novocomi cum alijs passum VII. Augusti: nec enim tam insigne defensionis opus iusta mercede defraudandum fuit.*

261 *In Hispania aliquot familiæ creduntur conservare sua nomina à tempore Romanorum, ut quæ à* V. Pacieco, A. Pimentario, L. Varganteio, Q. Sosio, Æ. Vero *apud Scriptores illorum.*

262 *Trajani anno 15. Domini 114. quo tempore* Sarmaticus, Arabicus *vocatus est, reversus ex Asia Cretam, Plinius exstrui fecit celebre ibi templum in honorem Trajani, quod templum diruit, & restauratum in nomine IESV-CHRISTI Plinius Secundus,* * *CHRISTO credidit, & baptizatus est à S. Tito Cretensium Episcopo, ut refert Zenas in eius vita: itaque reversus Romam Christianus sanctè & piè vixit multos annos. Vocabatur* Caius Plinius *à Trajano, & ab alijs* Secundus, *nec fuit hoc tempore alter Secundus Vir Consularis.*

* Al. *cum filio* additur.

263 *Magna pars eorum, qui ex Iudæa traiecerant in Hispaniam tempore Nabuchodonosoris, erat ex discipulis SS. Eliæ, & Elisei, & Enoch, & successores illorum.*

264 *Põpeia Celerina, socrus Pliny Iunioris, soror fuit S. Celerinæ, quæ excepit corpus S. Torpetis Martyris ex Tuscia in Sinensem Portum miraculosè venientis.*

265 *Videre potui vitam S. Sincleticis Virginis, & Abbatissæ Ægyptiæ (cuius dies festus est V. Ianuarij) hanc scripsit S. Pontifex Athanasius, ut quemadmodum Monachi habent speculum in Antonio, sacræ Virgines eam tanquam speculum intuerentur. Dicitur fuisse mulierum Virginum Professionis Propheticæ & Carmelitic æ Parens.*

266 *Sunt qui putent, Dionysium Papam fuisse natione Africũ, Scriptorem libri* de Situ Orbis, *qui tulit passionem* * *

Theo-

267 Theodorus *fluvius, hoc est*, Donum Dei, Tader, *&* Estaberus *dicitur ob eximiam aquam, quam habet ob coniunctionem* Mundæ, *qui Mediterraneum intrat ad urbem* Longunticam.

268 *In Codicibus Plinij correctis pro* Alga minor, *quod non reperitur in minus correctis, lege* Alba minor.

269 Suel *inter Abdeeram &* Hexi, *vocatus etiam* Sivel; *& pòst à fortitudine nominari cœpit* Castellum Ferreum.

270 *In Archivis Ecclesiæ Emeritensis reperi in Codice scriptum Concilium Toletanum universale in hunc modum:* IN NOMINE DOMINI. Incipiunt gesta Synodalia Concilij Generalis Toletani acta in Vrbe Regia in Æde Sanctorum Apostolorũ Petri & Paulli Prætoriensi, anno III. Regni gloriosissimi Principis Vvambani, sub die XVII. Kal. Decemb. Æra 713. pro terminis restituendis Ecclesiarum & Diœcesium Hispanarum. *Interfuit Rex gloriosissimus Concilio Generali, & salutatis de more solito singulis Episcopis dixit:* SANCTISSIMI PATRES, Video vos gravissimè contendere pro terminis vestrarum Diœcesium, & inde gravissimas inter vos lites, & cõtentiones exoriri, eò quòd aliqui vestrûm, secundùm accepi, aliorũ Parochias invaderent, & alienos terminos quolibet prætextu latenter adoriri: quare dignum esse duxi Maiestate culminis nostri vos ad concordiam revocare. PLACETNE VOBIS, SANCTISSIMI PONTIFICES? Responderunt omnes: PLACET, PLACET. Vivat multos annos serenissimus & gloriosissimus Rex ac Dominus noster Flavius Vvambanus.* Tunc * * * * * * * * * * *

* Reliqua desiderabãtur in omnibus codic.

SYLLABVS OMNIVM,
QVAE IN NOTIS AD LVITPRANDVM laudantur, emendantur, notantur.

Collectore in Studiosorum gratiam

D. IOANNE BERTRAN

Regio apud Hispalitanos Sacellano.

Aga-

Ble-

Egi-

Geor-

Oreo-

Vir-

INDICVLVS

Fragmentorum LVITPRANDO *adſcriptorum* Diligentiâ V. N. D. *Philippi Oſullevani Bearri Iberni.*

Cili-